



3 1761 07833916 5

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

<http://www.archive.org/details/thesaurusresolut50cath>





THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILLII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta,
aliasque Canonici Juris Sanctiones


MUNUS
SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE
R. P. D. CARRARA

Prodierunt in Causis sub annum 1781.

PROPOSITIS
Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis,
ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus
apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS L.
TRIPLICI
INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLXXXI.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

BX

1935

A-36

t. 50-51



I N D E X

ALPHABETICUS CAUSARUM

*Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt
anno 1781. per Diœceses dispositus.*

A

A Merina Associationis Funerum. 7.,
& 28. Julii pag. 114., & seqq.,
& pag. 120.

Amerina Visitationis Sacrorum Limi-
num 10. Februarii pag. 23., & seqq.

Anagnina 10. Februarii pag. 27., &
seqq., 18. Augusti pag. 137., &
seqq., ac 15. Septembris pag. 148.

Anagnina 28. Julii pag. 120., & seqq.
Andrien. Dispensationis ab Irregulari-
tate 20. Januarii pag. 4., & pluri-
bus seqq.

Atulana Parochialis 24. Novembris
pag. 167., & seqq., ac 22. De-
cembris pag. 179.

Asten. Visitationis Sacrorum Liminum
10. Februarii pag. 20., & seqq.

Avenionen. Jubilationis 10. Februarii
pag. 31., & seqq., ac 17. Martii
pag. 33.

Auximana Emphyteusis 7., & 18.
Aprilis pag. 75., & seqq., ac 79.,
& 12. Maii pag. 84.

Auximana Subsidiarum Dotialium 17.
Martii pag. 53., & seqq., 7., &
28. Aprilis pag. 56., ac 77., & 24.
Novembris pag. 159., & seqq.

B

B Urgi S. Donaini 17. Martii pag. 46.,
& seqq.

C

C Amerinen. Beneplaciti Apostolici
24. Novembris pag. 172., &
seqq., ac 22. Decembris pag. 179.

Camerinen. Præminentiarum 17.
pag. 50., & seqq., ac 7.

Aprilis pag. 55., & seqq.

Carpentoraten. 15. Septembris pag.
149., & pluribus seqq.

Civitatis Castellanz 7., & 28. Apri-
lis pag. 72., & seqq., ac 79., &
22. Maii pag. 83.

Collen. 20. Januarii pag. 9., & pluri-
bus seqq., ac 10. Februarii pag. 13.

Compostellana Reductionis 20. Janua-
rii pag. 7., & seqq., ac 10. Fe-
bruarii pag. 13.

Constantien. Decimarum 7., & 28. Ju-
lii pag. 111., & seqq., ac 119.

D

D Erthonen. Suspensionis, & Re-
ductionis Missarum 17. Martii
pag. 34., & seqq.

E

E Ugubina Applicationis 18. Augusti
pag. 145., & seqq., ac 15. Sep-
tembris pag. 148.

F

F Anen 20. Januarii pag. 1.

Faventina Missæ Conventualis 10. Fe-
bruarii pag. 14., & seqq.

Feretrana Reductionis Onerum 12.
Maii pag. 91., & seqq., ac 16. Ju-
nii pag. 97.

Ferrarien. 18. Augusti pag. 141. seqq.,
ac 15. Septembris pag. 148.

Ferrarien. Subsidiarum Dotialium 22.
Decembris pag. 186., & seqq.

Firmana Cappellanæ 20. Januarii p. 2.
Firmana Dispensationis ab Irregulari-
tate 7., & 28. Aprilis pag. 59., ac
pluribus seqq., & pag. 78.

Firmana Reportationis Oneris Missarum
24. Novembris pag. 177., & seqq.,
ac 22. Decembris pag. 180.

Fulginaten Applicationis 22. Decem-
bris pag. 184., & seqq.

I

I Lcien. Missæ Conventualis 7., &
28. Julii pag. 117., & seqq., ac
120.

L

L ucana Demolitionis, & Transla-
tionis Oneris Missarum 28. Julii
pag.

pag. 128., & seqq., ac 18. Augusti pag. 135.
Lunen. Sarzanen., & Parmen. 10.
Februarii pag. 17., & seqq.

M

M Aceraten. Juris funerandi 16. Junii pag. 101., & seqq., ac 7. Julii pag. 109., & seqq.
Massanen. 18. Augusti pag. 137., & 15. Septembris pag. 147.
Mediolanen. Beneficii 28. Julii pag. 131., & seqq., ac 18. Augusti pag. 136.
Melevitana 12. Maii pag. 89., & seqq.
16. Junii pag. 97., ac 22. Decembris pag. 180., & seqq.
Melevitana 22. Decembris pag. 189., & seqq.
Melevitana Missæ Conventualis 18. Augusti pag. 140., & seqq., ac 15. Septembris pag. 148.
Mutinen. Suspensionis, vel Reductionis Onerum 20. Januarii pag. 1., & seqq.

N

N Ebien. 28. Julii pag. 122., & pluribus seqq.
Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum 7., & 28. Aprilis pag. 62., & seqq., ac 78.
Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum 7., & 28. Aprilis pag. 65., & pluribus seqq., ac 78.
Nullius Leprignani Legatorum 7., & 28. Aprilis pag. 68., & plur. seqq., ac 79., 12. Maii pag. 83., 16. Junii pag. 98., & seqq., ac 7. Julii pag. 109.
Nullius Sublacen. 16. Junii pag. 106., & seqq., ac 7. Julii pag. 110.
Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostoli, ci 16. Junii pag. 104., & seqq. 17., & 28. Julii pag. 110., ac 131., & 18. Augusti pag. 136.

P

P erusina Parochialis 28. Julii pag. 126., & seqq.

Pisaren. Nullitatis Professionis 28. Aprilis pag. 80., & seqq., 12. Maii pag. 84., & 16. Junii pag. 100., & seqq.; ac 7. Julii pag. 111.

R

R Avennaten. Funerum 17. Martii pag. 37., & seqq., 18. Augusti pag. 140., & 15. Septembris pag. 148.
Romana Alimentorum 12. Maii pag. 84., & seqq.
Romana Fructuum 20. Januarii pag. 2., & seqq.
Romana Reductionis Oneris Missarum 12. Maii pag. 86., & seqq.
Romana, seu Comen. Sponsalium 24. Novembris pag. 162., & seqq.

S

S enogallien. Dispensationis ab Irregularitate 12. Maii pag. 94., & seqq., ac 16. Junii pag. 98.
Senogallien Oneris Missarum 24. Novembris pag. 175., & seqq., ac 22. Decembris pag. 180.
Spoletana 15. Septembris pag. 155., & seqq., ac 24. Novembris pag. 157.
Sutrina Translationis 20. Januarii pag. 3., & seqq.

T

T erracinen., & Privernen. 17. Martii pag. 41., & seqq.
Terracinen., & Setina 17. Martii pag. 43., & seqq.
Tiburtina Parochialis 15. Septembris pag. 153., & seqq., ac 24. Novembris pag. 157.
Tirafonen. Ordinum 16. Junii pag. 102., & seqq., 7. Julii pag. 116., ac 24. Novembris pag. 158.

V

V eliterna Reductionis Missarum 22. Decembris pag. 182., & seqq.
Viglevanen. Reductionis Missarum 10. Februarii pag. 29., & seqq., 17. Martii pag. 33., & 7., ac 28. Aprilis pag. 57. seqq., & 77.
Urbinate. 20. Januarii pag. 2.

Die Sabbathi 20. Januarii 1781. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Quatuor; quæ primo loco recensentur Causæ, in ultima Amplissimi Ordinis Congregatione diei 2. mensis Decembris anni nuperrime transacti propositæ non fuerunt. Rogamus itaque Eminentissimos Patres dicte Congregationis Folium iterum consulere, ut expediant.

FANEN., cujus duo sunt Capita:

- I. *An sit standum, vel recedendum à decisis quoad primum, & secundum Dubium in casu &c.*
- II. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad tertium, & quartum Dubium in casu &c.*

*Sess. 23. cap. 1.
de Reform., &
Sess. 25. cap. 7.
de Reform.*

Ad I. in decisis, & amplius; Ad II. in secundo loco decisis, & amplius.

MUTINEN. SUSPENSIONIS, VEL REDUCTIONIS ONERUM, in qua quæritur.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

*Sess. 25. cap. 4.
de Reform.*

Affirmativè, juxta modum, nempe quòd Missæ, quæ celebrantur, atque onera, quæ proveniunt ex mera consuetudine utriusque Sodalitii reducantur ad unum Anniversarium pro quolibet in Octava Omnium Fidelium Defunctorum. Missæ verò, quæ proveniunt ex dispositione Fundatorum suspendantur ad quinquennium, celebratis tamen duabus Missis in qualibet hebdomada ab unaquaque Sodalitate pro Animabus Fundatorum in genere; Et qui supererunt redditus erogentur ab utraque Sodalitate in comparandis Suppellectilibus Sacris, & in refectio-

20. Januarii 1781;

Altarium dumtaxat, quæ ita sunt in Ecclesia Parochiali, non autem Oratoriorum, & ad mentem; & mens est, ut Episcopus incumbat adimplemento, & curet etiam, ut Parochus aliquid conferat in refectionem Altarium.

Sess. 23. cap. 6.
de Reform.

FIRMANA CAPPELLANIÆ, cujus Dubium est:
An, & quomodo Oratricis precibus sit annuendum in casu &c.

Oratrix utatur Jure suo.

Sess. 22. cap. 11.
de Reform.

URBINATEN., cujus unum est Caput:
An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Dilata, & ad Dominum Secretarium ad mentem.

Sess. 24. cap. 12.
de Reform.

ROMANA FRUCTUUM. Nicolaus de Bâbalo Canonicus Sacrosanctæ Lateranensis Basilicæ absens & residentia nulla impetrata facultate, postulavit coram hac Sacra Congregatione, ut sibi concederetur abessendi Indultum cum absolute quoad præteritum: Et quamvis Eius Cardinalis Archipræbyter adhæsisset instantiæ Canonici, idemque fuisset Canoniorum votum licet circumscriptum certis conditionibus eorum jura, quæ habebant contra Canonicum Oratorem, præservantibus, attamen Sacra Congregatio sub die 17. Aprilis 1779. rescriptit = *Quoad præteritum lectum, quò verò ad futurum ad aliud Biennium ad formam præcedentium Indultorum, & consensum Capituli.*

Huic Rescripto quoad primam partem præteritum tempus respicientem non acquiescens Canonicus ejus jura experiri petiit coram hoc Amplissimo Senatu, & hinc triangularis quæstio facta fuit, nimirum Canonicum inter, Concanonicos, & Beneficiatos ejusdem Latera-

20. Januari 1781.

3
teranensis Basilicæ. Causæ species, & rationum momenta nunc reassumenda dedimus in Folio Congregationis habitæ die 15. Aprilis superioris anni 1780. Dubium, quod erat = *An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.*, quodque in ea Congregatione proponi, ac definiri non potuit, propositum, ac definitum fuit in sequenti Congregatione diei 29. ejusdem mensis Aprilis edito responso *Quoad Beneficiatos, & Clericos Beneficiatos in decisis. Quò verò ab Canonicos pro recessu à decisis.*

Facta iterum potestate Canonico jura sua deducendi, Causa reproponitur. Canonici, uti scimus, acquieverunt Resolutioni. Beneficiati pugnant pro persistencia in decisis. A Canonico de Bubalo nihil habuimus. Videant nunc Eminentissimi Patres.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

Dilata :

SUTRINA TRANSLATIONIS. Hujus similiter Causæ species, & quæ in ea juris sunt, data fuerunt in *Sess. 22. cap. 8. de Reform.* Folio Congregationis habitæ die 28. Augusti 1779., quod in lucem Hominum editum fuit *Tom. XLVIII. Thef. Resol. Sacr. Cong. Conc. pag. 106.*, & *seqq.* Tria erant quæstionis Capita = I. *An sit locus translationi Confraternitatis Suffragii Animarum Purgantium ab Ecclesia Beatissimæ Virginis Misericordiæ ad Ecclesiam S. Antonii Patavini in casu &c.*, & quatenus affirmativè = II. *An transferendi etiam sint redditus, & onera à dicta Confraternitate implenda in dicta Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis Misericordiæ in casu &c.* = ac demum III. *An iidem Confratres teneantur implere obligationes per ipsos assumptas pro manutentione dictæ Ecclesiæ, & Sacrarum Suppellectilium, aliorumque in casu &c.* = & hæc tria Dubia in præfata Congregatione proponi non potuerunt. Iis autem propositis in Congregatione habita die 15. Julii nuper elapsi anni 1780. responsum fuit = *Ad I. Affirmativè cum pactis, & conditionibus ab Episcopo approbandis = Ad II. Affirmativè salvis dispositionibus Testatorum = Ad III. Negativè.*

20. Januarii 1781.

4
Cum autem nonnulli ex Confratribus Sodalitii Suffragii Animarum Purgantium Contradictores novam Audientiam impetraverint, Causa nunc redit ad novum Eminentissimorum Patrum iudicium, ut repetita lectione, Folii dictæ Congregationis habitæ die 28. mensis Augusti 1779. respondeant.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

In decisis, & amplius,

*Sess. 14. cap. 7.
de Reform.*

ANDRIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Occurrentibus feriis autumnalibus Canonice Nicolaus Marziani Andriensis Seminarii Rector ad rusticandum in ejus Vineam secum duxit Adolescentem Franciscum Zingarello Andriensem annorum sexdecim circiter, qui in eodem Seminario degebat, ut nomen daret Ecclesiasticæ Militiæ. Tertio die, quo Rector ad Vineam accesserat, nimirum 26. Septembris 1778., idem Rector oblectamenti causa venari cupiens præcepit Adolescenti, ut acciperet, sibi que traderet igneam Balistam seu Scloppum, qui in altera mansione ejusdem ruralis Domus existerat. Mandatis Rectoris obtemperavit Adolescentens, acceptoque Scloppo, hic repente se explosit, læsitque in humero dextero Rectorem, qui ex vulnere post octo dies occubuit.

De hoc infortunio delata notitia ad laicalem Curiam Andriensem, hæc *ex officio* procedens, in carceribus Adolescentem Zingarello conjecit, interrogavitque super eventu læsi Rectoris, qui respondit = *Nell'atto del qual colpo immediatamente rivoltomi verso detto Figliuolo, l'hò trovato collo Schioppo in braccia, senza però tenerlo colla mira, o sia impugnato verso di me, mà per contingenza alla mia direzione, e dolendomi io di esser stato ferito, detto Figliolo tutto tremante, e sciolto in lagrime, e dirrottissimo pianto hà detto, che detto Schioppo li è sparato in mano casualmente, senza che Egli ci avesse data causa, forse perchè si trovava il cane del Fucile ingrillato, e caduto dalla prima posta, e che per contingenza o da se, o per-*

perchè si fosse casualmente da lui toccato il piede, che fa cadere il Cane, fosse detto Schioppo sparato =

Ac ita Rector credidisse, & credere dixit, nec ipse dubitavit umquam = Che detto Figliolo avesse commesso verun dolo, o colpa anche levissima, = subdens = lo affatto non intendo querelare di tal fatto veruno, e molto meno detto Francesco Saverio Zingarelli, anzi escolpo lo stesso, per non avere avuto verun dolo, o colpa, ma è sortito il fatto per una mera contingenza, e tanto più per essere sicuro, che lo stesso stava con me con tutto il suo piacere, e soddisfazione, e senza menomo disgusto = falsusque fuit, quod = essendo andato, come hò detto, in detto Casino, ivi abbiamo fatta permanenza con tutta la pace, e quiete, senza che ne io avessi dato à detto Figliolo menomo motivo di dispiacere, ne lo stesso avesse dato à me verun motivo di collera, mà sempre con allegria, e serenità di animo abbiamo fatta permanenza, mangiando nella stessa tavola, e dormendo nella stessa stanza.

Ac ita post Rectoris obitum rem evenisse accidentaliter, & sine dolo, & culpa Francisci declararunt Angela Cassano, & Joseph Marziani Mater, & respectivè Frater Defuncti Rectoris, proindeque = hanno escolpato, ed à maggior cautela, & ad esuberanza hanno rimesso al sudetto Seminarista Francesco Zingarelli ogni, e qualsivoglia offesa involontariamente accaduta, liberandolo, ed assolvendolo come innocente, obligandosi di non voler mai fare veruna querela in ogni futuro tempo contro di quello, e così hanno promesso, e scolpato, rimesso, liberato, ed assoluto con giuramento tacitis Scripturis &c.

His stantibus declarationibus, & consensu, laicalis Andriensis Curia sub die 24. Novembris 1778. suum protulit definitivum Decretum subinde à superiori similiter laicali Curia confirmatum, quo Franciscum à Carceribus liberari, & amplius non molestari mandatum fuit. Quo peracto, Franciscus preces porrexit pro dispensatione ab irregularitate, ut ad Ordines tum minores, tum Sacros ascendere possit.

Auditus Andriensis Episcopus, hic narravit, quæ supra-relata fuerunt, additque = quod perventa notitia ad aures Matris defuncti Sacerdotis de presenti relatione facienda ad Sacram Congregationem, eadem sub die 19. currentis Mensis comparuit in hac Episcopali Curia, & ægre ferens petitam dispensationem exposuit, dictum homicidium quamvis sine dolo, attamen cum aliqua culpa evenisse =

qua stante contradictione, suum animi sensum pro conce-

cedenda, vel deneganda postulata dispensatione huic Sacrae Congregationi submitit.

Nunc sustinet Adolescens, hic non agi de homicidio voluntario, vel per industriam, vel per insidias patrato, sed agi quidem de homicidio, quod casu evenit nulla praesente rixa, nullo jurgio, nulloque Occisoris animo vel laedendi, vel occidendi, quibus in terminis petitam dispensationem esse concedendam, ut Orator ad Sacros Ordines ascendere, & Beneficia quaecumque, ac dignitates obtinere valeat, praecipit Aecumenica Tridentina Synodus *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*, sanevitque *Cap. Lator 9.*, & *cap. Exhibita Nobis 22. de Homicid. volunt. vel Casual.*

Quod autem homicidium fuerit mere casuale, probari ait idem Adolescens ex jurata depositione tum defuncti Rectoris, tum illius Matris, & Fratris, quorum verba supra relata fuerunt ab ipsis non revocanda praesertim in ejusdem Oratoris injuriam *ad Text. in L. Nemo potest 75. ff. de reg. jur.*, nec non ex Judicis Decreto, quo illum à crimine absolvit absque ulla eidem indicta pena vel temporali, vel spirituali.

Tota igitur quaestio vertenda esse videtur ad canonicam distinctionem inter promotum, ac promovendum; nam dispensatio ab irregularitate favore promoti facilius admittitur, ast cum promovendo, qualis est Orator, rigidius proceditur, *Pignatell. Consult. Canon. tom. 7. consult. 19. num. 3.*

Animadvertendum tamen est, rigorem cum promovendo servandum esse, cum idem met Promovendus alterum casualiter occidens causam dederit rei illicitae, nec servaverit moderamen inculpatae tutelae: An idem dicendum sit de Adolescente Francisco Oratore, qui mandatis Rectoris dumtaxat obtemperans scloppum sumpsit, qui eum casualiter, sine dolo, vel sui culpa ictu percussit lethali, & cujus infamiae nota, quae caeteroquin nulla est, ubi deest delictum, integrè deleta fuit, postquam innocentem eum Judex absolutoria sententia declaravit *ad Textus in Can. Habet, Can. Mennam 2. quæst. 5., Cap. Si quis, cap. Ex tuarum 8., & cap. Inter 10. de Purgat. Canonic.*, docentque cum aliis *Reinfestuell. in Jus Canon. lib. 5. tit. 34. num. 17., Zies eod. tit. num. 7., Canisius num. 3., & Lauren. ibid. quæst. 467. num. 1.*, ipsi viderint Eminentissimi Patres.

Sacra Congregatio favore Adolescentis promovendi, qui alterum Calcis ictu casualiter interemit = *consulendum*

20. Januarii 1781.

Sanctissimo pro dispensatione arbitrio Archiepiscopi = res-
pondit in Senen. Dispensationis 30. Martii 1776.

Causa proponitur. Ab utraque Parte jura circumferuntur. Dubium est.

An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu &c.

Affirmativè ad cauthelam, & ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.

Reliquæ non propositæ.

COMPOSTELLANA REDUCTIONIS : *Alfonso Sess. 22. cap. 6. de Reform.*
Lopes de Liceris Canonicus Cathedralis, & Metropolitanæ Ecclesiæ Compostellanæ anno 1624. accedente consensu Capituli, quatuor in eadem Metropolitana Ecclesia fundavit Cappellanas in titulum collativas, quarum Cappellani essent à Capitulo nominandi. Onus imposuit unicuique Cappellano qualibet hebdomada Missas duas cum recitatione Responsorii in fine cujuslibet Missæ pro Fidelibus defunctis ad Altare Suffragii Animarum Purgantium ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ, nec non assiduè residendi, ac inserviendi Choro, ut alii ejusdem Ecclesiæ Cappellani resident, & inserviunt. Pro dote verò cujusvis Cappellaniæ assignavit annua quinquaginta Ducata monetæ illius Regionis constantia annua scuta 27. 50. monetæ Romanæ, solvendaque ab ipso Capitulo tamquam Fundatoris debitore in annuis Ducatis biscentum pro fructibus passivi Censui in sorte Ducatorum quatuor millium.

Anno 1630. decessit Fundator condito Testamento, in quo binas alias fundavit Cappellanas in eadem Ecclesia, ad idem Altare, & cum iisdem oneribus, Chorique servitio, excepto tamen Matutino, ac dote, quibus gravati, & onerati fuerant quatuor præcedentes Cappellani. Ac pariter stipendium annuorum Ducatorum quinquaginta pro unoquoque novo Cappellano solvere sese obligavit Capitulum, quod pro dicta solvenda summa alium Censum passivum cum hæreditate Fundatoris imposuit in sorte Realium 25505. ad rationem pariter Realium quinque pro quolibet centenariis, & anno.

Sub initium præsentis Sæculi ex universali lege censuales fru-

fructus à quinque Ducatis, vel Realibus pro centenariò redacti fuerunt ad tres, vel tria, proindeque Cappellanorum redditus imminuti fuerunt ad annua tantum Ducata triginta, nimirum ad annua scuta 16. 50. monetæ Romanæ pro unoquoque Cappellano. Quare ad preces Capituli Archiepiscopus de annis 1713., & 1714. binas pro tunc suppressit Cappellanas, quarum onera, & redditus inter quatuor alios Cappellanos partiendos esse mandavit, ita ut auctum sit cuique Cappellano onus Missarum ad annuas Missas centum quinquaginta sex præter Chori servitium, stipendium verò ad annua Ducata 45., hoc est ad annua scuta 26. 06. monetæ Romanæ.

Anno 1767. Capitulum alterum ex ejus passivis Censibus pro Cappellanorum congrua assignatis redemit, investivitque pecunias ad rationem duorum cum dimidio pro quolibet centenariò, & anno. Quadere cum Cappellanorum redditus ulterius fuerint imminuti, dum eorum respectiva congrua modò redacta est ad annua scuta vnginti quatuor, & obulos nonaginta duo, quam afferunt prorsus imparem ad ferendum onus celebrationis annuarum Missarum 156. cum Responsoriiis, residentia, Chorique servitii, hinc iidem Cappellani preces porrexerunt huic Sacrae Congregationi pro onerum reductione juxta reddituum imminutionem.

Archiepiscopus Compostellanus pro informatione, & voto requisitus censuit, dignam esse Cappellanorum petitionem, cui, attenda fructuum imminutione, gravioribus Chori, Missarumque oneribus, ciborum *denique caritate, Eñi Patres aures præbeant.*

Regula juris est, quòd in piis reducendis oneribus, nisi, aliter constet ex conjecturata Testatoris voluntate, potius alia onera reducenda sunt, quàm onus Missarum, ex firmatis per *Fagnan. in cap. Ex parte de Constit. n. 4. Monacell. in formular. legal. tom. 1. formul. 19. tit. 10. num. 25., & seqq., & Bordan de legat. cap. 15. n. 35. & 42.*

Sacra Congregatio quandoque firmo remanente onere Missarum, servitium Chori reduxit ad dies festos tantum, ut *in Regien. Reductionis Servitii Chori, & Missarum 27. Aprilis 1776., & quandoque Missarum, aliaque onera proportionabiliter reduxit, ut in Albinganen. 12. Decembris 1778.*

Jura à Cappellanis circumferuntur. An autem reductio, quæ

20. Januarii 1781.

9

quæ petitur , concedenda , nec ne sit , & quomodo , erit ab Eminentissimis Vestris cognoscendum , definiendumque .

An , & quomodo precibus Cappellanorum de Liceras sit providendum in casu &c.

COLLEN. : Usimbardus de Usimbardis primus Eccl. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

clesiæ Collensis Episcopus anno 1607. donavit Fulvio fratri suo summam scutorum Florentinorum 600. ea adjecta lege , ut donata summa multiplicaretur usque ad scuta mille subinde investienda vel in Censibus , vel in Locis Montium , quæ stare deberent pro dote Canonatus in eadem Cathedrali Collensi Ecclesia erigendi Jurispatronatus Familiæ masculinæ Usimbardi; Onus imposuit Canonico pro tempore existenti tres in eadem Ecclesia , & in qualibet habdomada celebrandi Missas , unumque Anniversarium in die illius obitus cum interuentu , & assistentiâ Canonicorum , *quibus omnibus (sunt verba dictæ Donationis Contractus) pro eorum elemosyna dare debeat julios duos pro quolibet , & præcipue illis , qui celebraverint Missas pro ejus Anima .*

Præterea voluit , quod Canonicus resideret , horisque Canonicis , & functionibus Ecclesiæ Cathedralis assisteret , subicereturque punctaturis , absque eo , quod de Capitularibus quotidianis distributionibus participaret , cum loco quotidianorum distributionum esse , & stare deberet tertia pars fructuum Præbendæ suæ , adeout si horis Canonicis abfuisset , amitteret id , quod si præsens esset , lucratus fuisset .

Exacto multiplico constitutis scutis mille , fuit anno 1621. ad instantiam Fulvii donatarii erectus Canonatus cum oneribus ab Episcopo jam defuncto de Usimbardis fundatore præscriptis , eidemque pro Præbenda assignata fuerunt decem Loca Montium Pietatis Florentinæ Civitatis , in quæ fuerant dicta scuta mille investita , quorum singulorum Locorum fructus cum tunc essent ad rationem scutorum quinque pro quolibet Loco , & anno , Canonicus ex eis pro sua Præbenda annua scuta quinquaginta

monetæ Florentinæ percipiebat, quæ Simon de Usimbardis primus ejusdem Canonicatus Possessor in tres partes divisit, primam scilicet pro Choralibus distributionibus, alteram pro tribus hebdomadalibus Missis, tertiam denique pro Anniversario.

Verum cum fructus dictorum Locorum Montium redacti fuerint ad rationem scuti unius cum dimidio pro quolibet Loco, & anno, ita ut Præbenda Canonicatus de Usimbardis nec tunc excefferit, prout nec hodie excedat annua scuta quindecim, quæ tamen non integra perveniunt ad Præbendam ob quasdam retentiones, quæ fiunt in solutionibus fructuum Locorum Montium, & ob alias certissimas peragendas expensas, difficile fuit alium occurrente vacatione propter tenuitatem reddituum invenire Præbendam, utcumque Sacra Congregatio die 30. Septembris anni 1684. mandaverit, ut sublato onere Anniversarii, & exempto, ac liberato Canonico pro diebus tantum ferialibus à Chori servitio, onus trium Missarum pro qualibet hebdomada more regionis inspecto ad eleemosynam manualementem proportionabiliter ad quantitatem reddituum esset reducendum.

Eadem Sacra Congregatio itidem anno 1731. ad preces Præbendati Pauli de Maris præcepit, quòd onus interessendi Choro reduceretur ad solas anni Solemnitates cum hebdomada majori, & ad omnia solemnia Festa Cathedralis Colen., firma tamen obligatione celebrationis trium hebdomadalium Missarum: Quemadmodum quoque die 8. Julii 1769. instante tunc Præbendato Michaeli Cattani, Sacra hæc Congregatio in suo robore permanente obligatione trium Missarum in qualibet hebdomada, servitium Chori reduxit ad solos dies Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis cum tribus præcedentibus, Pentecostes, & Corporis Domini Nostri Jesu Christi.

Cum his oneribus de Canonicatu Usimbardi provisus fuerit Odoardus Ignatius Zeti Florentinæ degens, qui satis agnoscens Canonicales redditus annuorum scutorum quindecim ab ipso tamen non integre percipiendorum impares esse pro ferendo dumtaxat Missarum onere, dum pro tribus hebdomadalibus Missis, quæ sunt anno quolibet centum quinquaginta sex, requiruntur annua scuta quindecim, & obuli sexaginta ad rationem eleemosynæ manualis, quæ in ea Regione nunc est Julii unius pro qualibet

Missa

Missæ, itaut nihil superfit pro Utenfilibus, nihilque pro Chori servitio utcumque ad certas anni solemniore festiuitates redactæ, preces porrexit huic Sacræ Congregationi tria postulans.

Primo, quod Præbenda Canonialis, quam obtinet, compatibilis sit, ejus naturali durante vita, cum quolibet asequendo Beneficio Ecclesiastico ejusdem Collensis, vel alterius Diæcesis, etiam sub eodem Tecto, & personalem residentiam requirente, itaut Præbenda Usimbardi tamquam simplex Beneficium habeatur.

Secundo, quod Missæ reducantur ad rationem taxæ perpetuæ juxta mentem Fudatoris, qui mandavit, eleemosynam *juliorum duorum* pro qualibet Missa dandam esse, *præcipue illis, qui celebraverint Missas pro ejus Anima.*

Tertio demùm, quod firma manente reductione Choralis servitii facta anno 1769., teneatur ad interessendum tantùm pro temporibus in dicta reductione expressis, quoties tamen adsit in Civitate, vel Diæcesi Collensi, aliter teneatur ad celebrationem unius Missæ ad libitum pro quolibet interessentiæ defectu, tribus exceptis diebus majoris Hebdomadæ cum alio sequenti die Festo Resurrectionis D. N. Jesu Christi.

Hiscæ petitionibus Sacra Congregatio rescripsit = *Quoad reductionem Missarum ad rationem taxæ perpetuæ Lectum. In reliquis Episcopo pro Informatione, & voto transmissa fundatione auditis.*

Episcopus longa sua relatione narravit ea, quæ dicta sunt, testaturque = *eleemosynam manualement pro Missarum celebratione, quæ in Diæcesi Collensi consistebat in tribus quartis partibus unius Julii, ad integrum julium auctam fuisse decreto Episcopi Prædecessoris de anno 1770. . quod adhuc observatur, & idcirco hodiernis redditus Canonici de Usimbardis non sufficere pro stipendio trium Missarum per singulas hebdomadas in præfata Cathedrali celebrandarum, ex quibus ante enunciatum decretum deducta eleemosyna Missarum aliquid supererat pro Canonico.*

Addit verificari, Oratorem, ut rebus suis incumbat, degere Florentiæ, quæ Civitas ferè viginti octo millibus passuum distat ab hac Collensi, quamobrem, ut in prædictis Solemnitatibus adesset functionibus hujus Cathedralis, non amplius, aut rarius Verbum Domini Populis annunciare posset, quo munere fungitur laudabiliter, nec non cum Animarum ædificatione, & non facile, neque sine incommodo hujusmodi iter esset ei, cujus ætas jam incipit ingra-

*vescere . Reverenter itaque recipiam quodque Indultum per
EE. VV. concedetur Canonico Zeti , cujus precibus nihil
mihi est , quod contradicam , sicuti nec habent , quod
contradicant Canonici hujus Cathedralis .*

**Hæc in Facto sunt . Quod autem juris erit , pertinet ad
Eminentias Vestras deliberare .**

**An , & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in ca-
su &c.**

Die Sabbathi 10. Februarii 1781. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BINÆ sequentes Causæ descriptæ jam fuere in Folio Congregationis habitæ die 20. transacti mensis Januarii, quod EE. VV. non graventur iterum ante oculos habere, ut eas expédiant.

COMPOSTELLANA REDUCTIONIS, in qua discutitur.

An, & quomodo precibus Cappellanorum de Liceris sit providendum in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

Affirmativè, nempe reducendas esse ad duas tantum Cappellanas cum integro onere Missarum omnibus ex Cappellanis a Testatore injuncto, atque omnibus aliis oneribus a Fundatore præscriptis, facto verbo cum SSmo.

COLLEN., in qua respondendum est.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Affirmativè pro reductione tantum ad duas Missas in qualibet hebdomada; In reliquis negativè.

*Sess. 22. cap. 2.
de Sacrif. Miss.
& Sess. 24. cap.
12. de Reform.*

FAVENTINA MISSÆ CONVENTUALIS . Hujus
Causæ species quatuor composita Dubiis data fuit in
Folio Congregationis habitæ die 29. Aprilis superioris
anni . Quorum I. erat = *An ad celebrationem , & appli-
cationem Missæ Conventualis teneantur tam Archipræsby-
ter , & Canonici antiqui , quàm Canonici , & Mansio-
narii novæ Erektionis Zarabinae in casu &c. = & quate-
nus affirmative quoad omnes = II. An , & ex qua Massa ,
& pro qua rata sit desumenda eleemosyna dictæ Mis-
sæ in casu &c. = III. An , & quomodo sit locus reductioni
ejusdem Missæ in casu &c. = IV. An sit consulendum San-
ctissimo pro absoluteione quoad easdem Missas in præteri-
tum non applicatas in casu &c. = quibus in sequenti Con-
gregatione diei 3. Junii ejusdem superioris anni responsum
fuit = *Ad I. Affirmative quoad omnes teneri per Turnum ,
& amplius , & ad mentem . Ad II. Affirmative ex Massa
communi Zarabina ad ratam eleemosynæ manualis .
Ad III. Iterum proponatur . Ad IV. Affirmative factò verbo
cum SSmo .**

Mens autem fuit primo Dubio adjecta , quòd scriberetur
Episcopo , ut transmitteret Constitutiones Capituli , &
super ipsis informationem redderet , nec non , & refer-
ret ; an tenuis , vel sufficiens dici debeat fructus triginta
novem scutorum pro congrua mercede Canonicorum ,
nec non , & an Canonici Zarabini soli interveniant in
celebrationem Missæ quotidianæ pro Zarabino , vel
etiam adstant alii primæ foundationis .

Datis Episcopo Litteris , petitionibus satisfecit , transmi-
sitque Constitutiones Capituli , & acta , quæ illarum
confectionem præiverunt . Ad acta quod pertinet , ait
Episcopus , = *ut tria adnotentur : Instantia scilicet in pri-
mis Canonicorum antiquæ erektionis , quibus etiam recen-
tiores suffragantur , quod ad cantum pertinet Missæ secun-
dæ , vel tertiæ in præcitata Constit. IV. cap. 1. juxta ru-
bricas præceptæ , & attento onere Missæ cantatæ feriâ sexta ,
& quolibet primo Sabbatho Mensis , cum in Anniversa-
riis per annum diebus ferialibus celebrandis , quando scili-
cet addi possunt à rubricis . Deinde petitio Capitularium
interveniendi Concionibus diebus tantum festis , quòd Con-
stitutio I. cap. 1. integro Quadragesimali tempore juxta
Capituli Cathedralis regulas absolvere deberent . Tertio
tandem protestatio Julii Cassani primi ex Capitularibus no-
væ Erektionis .*

Quod attinet ad Capitulares Constitutiones , Episcopus re-
tulit , ipsum præcepisse Canonicis , ut Constitutiones
omni-

omnino conficerent, deindeque sic inquit = *Paruerunt Capitulares, formulam mihi exhibitam, sed cum additamento Missæ pro Benefactoribus in genere, ut in Constit. IV. cap. 1. perpendi, comparavi cum Constitutionibus Faventini, plura ex officio juxta Sacros Canones, Pontificias Sanctiones, Diœcesanas Synodos, & Chori disciplinam ex Baptistellio adjeci, tandem ab universo Capitulo subsignatas adprobavi, & confirmavi.*

Prosequiturque = Quod ad me spectat, sed unum sentiam, quod ab EE. VV. declarabitur; Missas etenim cum cantu celebrandas edixi, quod Rubricæ præcipiant. Assistentiam Concionibus mandavi, quod Capitulum præstet Cathedralis (ab Oratoribus imitandum ex lege recentioris foundationis) de mei Antecessoris mandato, cui tamquam Constitutionis Capitularis præcepto obediunt Canonici Faventini. Omnia, uno verbo, istius Sacræ Congregationis jussu egi, quæ de Constitutionibus quidquid opportunum censuerim, præscribendum imperavi. Quid porro sibi velit Canonicus Cassani, (cui concordat Collega, qui Constitutiones octavo loco subscripsit, Ludovicus Antonius Grilli approbo, dummodo non obstant menti Testatoris, & Successoribus meis) recitata sua declamatione, ipse percipiet; fortasse ex contradictione præsentis, cujus est ipse Auctor, clarius conjiciet EE. PP. sapientia, perpugnam ipsum, vel præcipuum fuisse Architectum inanis, & incommodæ quæstionis (quam integræ mentis Capitularium effugiebat obedientia, dum pro certo habebatur, saltem reductionem Missæ Conventualis esse petendam) ad EE. VV. perlata, cui nondum finis est impositus ex indubita objectorum discrepantia.

Progreditur Episcopus ad relationem super tenuitate, vel sufficientia scutorum triginta novem pro congrua mercede Canonicorum, & inquit, Synodalem Diœcesanam taxam pro Patrimonio simplicis Sacerdotis esse annuotum scutorum triginta sex, itaut supra simplicem Sacerdotem Canonicus Cotiniolæ, ubi quilibet Homo privatus, & civilis vix decenter vivit hisce temporibus centum scutorum sumptu, pro sua Congrua scuta tria tantum haberet, & tamen maximum intercedere discrimen inter onera simplicis Sacerdotis, & Canonici quotidie addicti Chori servitio, ideoque justum non videri, quod quidquid pro honesta alimonia primi statutum fuerit, æquatum fere pro alterius sustentatione putetur.

Addit insuper, inæquales esse Præbendarum redditus; Ca-

nonicos verò secundæ erectionis Zarabini minores percipere fructus; At Canonicos omnes communia onera indistinctè sustinere, & quamvis aliquod adesset fructuum augmentum, quo gaudent Canonici primæ erectionis, obligationem tamen ipsos sufferre adnexam, cui minime subsunt novissimi Canonici, adjuvandi scilicet Archipræbyterum in Cura Animarum.

Posito tandem (ut prosequendo retulit Episcopus) onere quotidianæ applicationis Missæ pro Benefactoribus in genere, cum elemosyna manualis desumi debeat, ex declaratione E.E. VV. ad II. Dubium, e communi Massa Zarabina, quæ inservit pro distributionibus quotidianis, jam non scuta viginti quinque unusquisque Canonicus ratione distributionum percipiet, qui jugiter Choro intersit, Missis, Processionibus, Concionibus, & innumeris aliis functionibus Ecclesiasticis, sed minorem summam, quæ circiter erit scutorum vigintiduum: Hæc autem dant in singulos dies ferè sex obulos, qui dividi debent, & assignari singulis horis Canonicis, reliquisque functionibus, quibus adesse oportet Capitularem sub pena punctorum in Constitutionibus statuta.

Concluditque cum ejus voto aliàs dato in postrema Informatione. *Sane ajebam (& modò repetit) supportato Choro quotidiano, videntur proventus hi valde exigui, ut etiam quotidiano auzeantur onere celebrandi, & applicandi pro Benefactoribus in genere. Quare digni videntur Canonici Oratores gratia reductionis ad festos dies &c.*

Tandemque quod attinet ad interessentiam Canonicorum ad Missam quotidianam pro Zarabino celebrandam, retulit laudatus Episcopus, omnes Canonicos tantum primæ, quàm secundæ erectionis adesse dictæ Missæ celebrationi præscriptæ ab eodem Zarabino, qui voluit, ut Canonici omnes Missam per Turnum celebrarent cum cantu, & pro se applicarent, Constitutiones faciendas observarent, Divinum Officium jugiter persolverent, cæterisque interessent functionibus, ut distributiones sub his conditionibus assignatas potirentur.

Novum Episcopus superaddit infortunium redditus imminuens: Retulit enim, quòd = die 30. proximè præteriti mensis Octobris ea accidit copia profluentium, ut aggeribus Senii Cotiniolæ Oppidum subluentis oppugnatis, imber effusus subjectas Terras Baïneocaballum versus inundaverit. Novum Aquarum confluviùm rem maximè periculosam extremè præcipitem faciet: Hinc damna illata, quæque timentur, magna opus habent impensa, qua Populus oneratur.

tur - Laici scilicet , & Clerus = ideoque concludit , vera esse exposita , & commiseratione Sacri Supremi Magistratus sunt digna .

Hæc Episcopus . Quæstio nunc est super tertio tantum Dubio reductionem Missæ Conventualis ad dies festos de præcepto respiciente , quod in antea acta Causæ propositione indecisum remansit . Canonici tum primæ , tum secundæ erectionis , qui aliàs ipsos inter contendebant , modò jura non deducunt , tum quia in hac petitione concordēs sunt , tum quia expensas Litis , attenta eorum respectiva paupertate , ut in novis ipsorum precibus exponitur , amplius subire non possunt . Pertinet igitur ad EE. VV. resumpto dictæ Congregationis folio diei 29. Aprilis superioris anni 1780. definire .

An , & quomodo sit locus reductioni ejusdem Missæ Conventualis in casu &c.

Ad dies festos de præcepto tantum ¶

LUNEN. SARZANEN. ; ET PARMEN. : Sanctes *Sess. 22. cap. 6. de Reformâ*
 Tonelli è loco nuncupato = *Pieve di Monti* = Lunen Sarzanensis Diœcesis nulla honoratus Sobole ex Maria Guerrieri Uxore sua , Oratorium è fundamentis extruxit sub titulo S. Josephi in districtu Parochialis Ecclesiæ Loci di *Panicale* ejusdem Diœcesis : Hoc Oratorium situm est in medio Sylvarum , conterminatque Bonis dicti Fundatoris , & per duo milliaria distat à Locis , Domibusque habitationis , difficili intercedente via præsertim hyemali tempore , ut ad illud accedatur . Anno 1711. præfatus Sanctes per contractum donationis inter vivos cessit , transtulitque dominium suorum omnium Bonorum in antedictum Oratorium , eorum autem usumfructum , quem , donec vixerit , sibi reservaverat , post ejus obitum re-

Tom. I. C li.

liquit Donato Donati ejus ex Sorore Nepoti, ipsiusque filio Primogenito, & sic de Primogenito in Primogenitum in infinitum cum onere tum assumendi cognomen Testatoris, tum celebrare faciendi quotidianam Missam in dicto Oratorio, & alteram diebus tantum festis in Parmensi Civitate, & in Ecclesia arbitrio Primogeniti pro tempore existentis.

Maria Uxor prædecessit Sancti Viro, qui ad secunda vota transiit, & intuitu hujus certi, & determinati Matrimonii donavit Sponsæ summam librarum 6500. monetæ Parmensis, nec non medietatem Latifundii. Improles obiit sæpeditus Sanctes anno 1729. condito Testamento, quo suum universalem scripsit hæredem Monasterium, & Moniales S. Dominici supradictæ Parmensis Civitatis. Atque hinc præmaxima in Parmensi Curia orta fuit quæstio Monasterium inter; Viduam Sanctis, & Primogenitum tam proprio, quam Oratorii nomine propugnantes. Hanc tamen quæstionem diremit Transactio Apostolica Auctoritate munita, qua Testatoris Bona inter ipsos Collitigantes divisa fuerunt.

Hæc autem triplex Bonorum partitio maximum intulit præjudicium tum Primogenito, ejusque Familiæ, cujus mantentionem tam anxie voluit ipse met Donans, tum Missarum celebrationi, cujus onus actualis Primogenitus meliori modo, quo potuit, hætenus adimplevit: Quare attenda maxima reddituum imminutione, postulavit, ut quotidiana Missa celebranda in supradicto incommodo, distantique Oratorio reduceretur ad rationabilem Missarum numerum, quarum pars in eo celebretur festis tantum diebus, residualis verò illarum pars transferatur ad Cappellam Divo Josepho dicatam, quæ existit in alio publico Oratorio sub invocatione Visitationis *della Giarella*, quod situm est in eadem Plebe Montium, ac inter habitatores, qui ad audlendum Sacrum tam festis, quam feriatis diebus accedunt, prout etiam postulavit, ut ad eandem Cappellam transferantur Missæ festis tantum diebus in Parmensi Civitate celebrandæ, nulla tamen Ecclesia, nulloque Altari à Fundatore designatis.

Utroque Episcopo, nimirum Lunen. Sarzanen., & Parmensi super precibus de more inrerrogato, eorum primus respondit, vera esse ea, quæ Orator exposuit, & quæ supra dicta sunt: Bona verò hæreditaria, quæ vi Transactionis in Oratorem obvenerunt, valoris esse scu-

torum trium millium monetæ Romanæ , eorumque redditus annualiter ascendere ad scuta circiter nonaginta ejusdem monetæ . Hinc , ait Episcopus , *adimpleto onere Missæ quotidianæ , nec non Missarum in Civitate Parmæ celebrandarum omnibus diebus festis , atque computata manutentione Oratorii , & taxa annuatim Principi solvenda , pauca supersunt favore Oratoris , cujus Familiæ conservationem Testatorem specialiter præ oculis habuisse eruitur ex ipsius met dispositione = per conservazione della Famiglia di detti Chiamati = nec aliunde tanta Bona possidet Orator , quæ honestæ ejusdem Familiæ sustentationi sufficiantur .*

Addit , Oratorium situm esse in medio Nemorum , distare per duo miliaria , viam esse difficilem = *adeout etiam cum majori quantitate elemosynæ manualis , quæ in hac Diœcesi est unius Julii , vix invenitur Cappellanus , & ferialibus diebus sæpe sæpius deficiat Missæ inserviens , & suppleat Muliercula .*

Summumque votum aperiens censuit = *instantiæ Oratoris , qui unicè est interesse habens , benignè indulgeri posse tum quoad Missarum reductionem , tum quoad earundem translationem , ita tamen ut reductio fiat dumtaxat relatè ad onus Missæ quotidianæ , dispensando super celebratione trium , vel quatuor Missarum in singula hebdomada , & omnibus diebus festis celebretur in præfato Oratorio ad Colonorum commoditatem ; Reliquæ verò Missæ in Ecclesia Plebis Montium Parœcia Oratoris transferantur ; iis quoque minimè exceptis , quæ in Civitate Parmæ sunt celebrandæ .*

Secundus verò , nimirum Episcopus Parmensis retulit = *Cum verò pro Missa festiva celebranda in hac Civitate nulla fuerit à pi o Disponente Sanctæ Tonelli determinata Ecclesia , imò expressè ab eodem facta fuerit facultas ejus Donatariis , seu hæredibus illam celebrari faciendi in quacumque Ecclesia hujus Civitatis ipsis bene videnda , dummodo celebretur ad Altare privilegiatum , & sic nulla Ecclesia , vel Persona interesse habeat in hac re , hinc facile contingere poterit tractu temporis , præfatam piam dispositionem omninò non adimpleri , vel saltem non ritè , & ex integro , maxime quia antedicti Donatarii , seu Hæredes non habitent , imò valde distent ab hac Civitate , & Diœcesi , & attentata etiam difficultate reperiendi Sacerdotes , qui velint tale onus assumere , cum in dicta hac Civitate Sacerdotes non multè existant , & è contra affluentia quammaxime Legatorum*

Missarum habeatur, quas difficultates evadi, si Oratoris preces super hac re exaudiantur, incompertum est.

Quibus omnibus maturè perpensis, munus erit Eminentiarum Vestrarum decernere.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè arbitrio, & juxta votum Episcopi Lunen. Sarzanen.

*Sess. 22. cap. 3.
de Reform. &
Sess. 24. cap. 12.
& cap. 14. de
Reform.*

ASTEN. VISITATIONIS SS. LIMINUM. In Astensi Civitate Capitulum adest Cathedralis Ecclesie, cui nomen Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis. Alterum etiam adest Capitulum Collegiatæ Ecclesie S. Secundo dicatæ. Vigilantissimus illius Episcopus in relatione status suæ Ecclesie, quam ad præscriptum Constitutionis 15. san. mem. Sixti V., quæ incipit = *Romanus Pontifex* = obtulit huic Sacræ Congregationi, ita scribit,

In utroque Capitulo adsunt quidam speciales redditus Grossæ nuncupati, qui ex immemorable consuetudine æquis portionibus distribui solent tantummodo Canonicis per novem anni menses sine continuos, sive interpolatos Ecclesie servitium præstantibus. Hujusmodi tamen menses habentur pro completis etiam si servitium prædictum diebus eisdem menses constituentibus integrè non præstent, ita ut si quis qualibet die ipsorum mensium una tantum vice, sive unicæ horæ canonicæ intersit, distributiones dictorum reddituum lucretur, ac si omnibus horis canonicis quotidie interfuisset, & æqualiter, ac alii, qui prædicto Ecclesie servitio frequentiores fuerunt. Viget insuper in Capitulo hujus Ecclesie Cathedralis consuetudo, ut quilibet novus Canonicus anno primo residentiali, quem Novitiatum appellant, Ecclesie servitium præmissio modo complere debeat, & nihilominus de præfatis Grossæ redditibus non participet, ipsique redditus aliis Canonicis participantibus accrescant. Reverenter itaque postulo, an hujusmodi consuetudines licet immemorabiles servandæ sint, vel proscribendæ ad mentem Tridentini Concilij.

Ad hanc itaque solliciti Præfulis postulationem cum Sacræ hujus Congregationis nomine rescribi oporteat, ut consultissi-

sultissimum de more tanti Senatus prouideat responsum, videtur, residentiam, siue seruitium personale per antiquam consuetudinem tolli posse, quamvis illud fuerit in fundatione præscriptum, juxta *Glossam in cap. Cum omnes in verb. consuetudinem tit. de Constitut.*, quam laudat, & sequitur *Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. Gloss. 5. num. 107.*, nec non concurrentibus circumstantiis tolerari posse consuetudinem, ut non solum Canonici, cæterique per Turnum iaserviunt, sed etiam aliquibus horis, & non aliis intersint juxta doctrinam *Cajetani in summa verb. horæ canonicæ num. 14.*, cujus doctrinam sequitur *Sanchez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 10. num. 5.*

Animadvertendum tamen est, Canonicum ex sanctione Concilii Tridentini *Sess. 22. cap. 3. de Reform.*, & *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*, ut lucretur fructus, seu distributiones in præmium seruitij præstiti assignatas, teneri ad integrum, assiduamque Chori seruitium. Ità sancitum fuit in *Clementina 1. de celebrat. Missar.* ibi = *nec non ut in Cathedralibus Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur: in aliis verò convenienter debite celebretur divinum diurnum, & nocturnum Officium.* Urget insuper dispositio *Cap. Dolentes eodem titulo* ibi = *districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter, & devotè = & cap. Præsbyter eod. tit. ibi = Septies in die laudem dixit tibi, qui septenarius numerus à nobis impletur, si Matutino, Primæ, Tertie, Sextæ, Nonæ, Vespere, & Completorii tempore nostræ servitutis Officia persolvamus = & quoad celebrationem Missæ Conventualis clara est dispositio *Textus in cap. Cum Creatura eod. tit. ibi = & pro festo, vel feria secundum temporum congruentiam Missarum solemnia, & conventualiter celebretis, & faciatis conventualiter celebrari.**

Atque hinc constitutum esse videtur, consuetudinem etiam immemorabilem præstandi Chori seruitium unica tantum hora canonica quolibet die per novem menses siue continuos, siue interpolatos, ut Canonicus lucri faciat portionem suam reddituum Grossæ nuncupatorum, corruptelam potius, quam legitimæ observantiæ nomen mereri, maximè quia hujusmodi Consuetudo etiam juramento, & quavis auctoritate firmata abrogata fuit à *Sacro sancto Oecumenico Tridentino Concilio locis supra citatis*, & fortius, quia cum res sit de consuetudine con-

trajus, contra Sacros Canones, & contra Concilium Tridentinum, videtur, eam esse proscribendam, nisi fuerit approbata in Contradictorio Judicio ad *Text. in Leg. De Consuetudine ff. de Legibus, Rota coram Celfo decif. 168. num. 6.*, & in *Setina, seu Privernen. Nullitatis Deliberationis 11. Aprilis 1755. §. 8. coram bon. me. Vicecomite.*

Quod attinet ad aliam consuetudinem vigentem in Capitulo dictæ Cathedralis Ecclesiæ, nimirum quod novus Canonicus primo anno suæ Residentiæ privetur præfatis Grossæ redditibus, ejusque portio aliis Canonicis participantibus accrescat, ponderandum occurrit, eam esse improbatam à Sacro Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 14. de Reform.*, prout etiam hujus generis consuetudines ex mente dicti Sacri Concilii abrogavit *Divus Carolus Borromæus* in Synodo Mediolanensi II. celebrato de anno 1569., easque pariter abrogarunt Pontificiæ Constitutiones nempe *S. Pii V. 104.*, & *Innocentii XII. 51.*, & consentaneæ tradiderunt *Thomassin. de vet. & nov. Eccles. disciplina de Benef. part. 3. lib. 11. cap. 61. sub num. 13. §. In Concilio, & Garz. de Benef. part. 11. cap. 5. n. 162.*

Quinimò præscriptum est, hujusmodi Consuetudines tamquam pravas, illicitas, & scandalosas, ac simoniacæ labis, seu sordidæ avaritiæ suspectas delendas esse ex *Textu in cap. In tantum, & in cap. Jacobus de Simonia, Barbof. in cap. In tantum num. 3., & in dict. cap. Jacobus pariter num. 3. de Simon., & Fagnan. in cap. Tua nos n. 30. eod. tit.*

At verò hæc Sacra Congregatio declaravit, *Decretum cap. 14. Sess. 24. de Reform., & Bullam S. Pii V.* non compræhendere consuetudinem Ecclesiarum deservienti per annum, & nihil interim percipiendi de redditibus Massæ grossæ, ut videre est in *Meliten. de mense Martii 1587. lib. 4. Decret. pag. 229.*, nec non confirmile Decretum edidit in *Marsicana mense Aprilis 1591.*, ut in *lib. Decret. 7. pag. 7.*, cujus utriusque Decreti verba unà cum pluribus rationum momentis consuetudinem sufficientibus data fuerunt in *Folio Cause Leodien. diei 6. Martii 1779.*, quod publici Juris factum est in *Thesour. Resol. Sac. Congreg. Concilii Tom. XLVIII. pag. 19.* ab *EE. VV. viden.*, & quamvis hoc Sacrum Tribunal in dicta *Causa Leodien.* prius definiverit, non sustineri Capitulare Decretum de certis redditibus privans Canonicum

cum noviter provisum toto tempore primæ illius residentiæ, subinde tamen à decisis recedendo decrevit *sub die 26. Junii dicti anni 1779.* illud esse sustinendum, & observandum, ut in citato *Tom. 48. Resol. Sac. Congreg. Concilii pag. 65.*, istamque Resolutionem confirmavit *die 28. Augusti ejusdem anni 1779.*, ut in eodem *Theaur. Resol. Tom. 48. pag. 95.*

Quare proponitur deliberandum.

- I. *An sustineatur consuetudo Canonicorum interessendi Choro per novem menses sive continuos, sive interpolatos quolibet die pro una tantum vice, sive una hora canonica pro lucrandis redditibus Grossæ nuncupatis in casu &c.*
- II. *An sustineatur Consuetudo in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ privandi de dictis redditibus Grossæ novum Canonicum primo anno suæ residentiæ in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo pro meliori Informatione, audito utroque Capitulo,

A MERINA VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Episcopus Amerinus Sacra Apostolorum Limina visitaturus ad præscriptum Constitutionis *sa. mem. Sixti V.* exhibuit relationem status suæ Ecclesiæ, ac inter cætera exposuit, quæ sequuntur = *Prior hujus Ecclesiæ Cathedralis, qui actualem habet curam Animarum, neque per se, neque per suum Sacerdotem Adjutorem prædicat Verbum Dei: Sese autem exemptum credit ab hujusmodi obligatione prætextu consuetudinis immemorabilis præteritorum Priorum, qui nec & ipsi munus hoc implevere, eoque potissimum, quia numquam, ut ipse ait, neque monitus, neque coarctatus fuit à meis Prædecessoribus. Adidit quoque, quod diebus Dominicis post Vesperas per Canonicum Theologum Sacra Scriptura explicetur. Nunc igitur postulo ab E.E. VV. an ista consuetudo, seu potius corruptela, quæ Juri Divino, & Sacris Canonibus adversatur, attendi mereatur, & an dictum Priorem compellere debeat, & quibus pænis ad annunciandum Verbum*

*Sess. 5. cap. 2.
de Reform.*

bum Dei sive per se, sive, eo impedito, per Sacerdotem adiutorem. Adde ulterius, quod hæc consuetudo minime canonizata apparet in contradictorio iudicio, quod sane requiritur ad sustinendam consuetudinem juri tantum positi vo adversantem.

Ad ineundam deliberationem de eo, quod sit Episcopo describendum, operæ pretium erit hic nonnulla adnotare. Porro certum esse videtur, Priorem Cathedralis Ecclesiæ, qui adnexam habet Animarum curam olim combustæ Parochialis Ecclesiæ Sanctæ; Joannis Evangelistæ, teneri per se ipsum præcisè, non autem per substitutum, nisi is fuerit legitimè impeditus, ad explanationem Sancti Evangelii omnibus diebus Dominicis, aliisque festivis in Missa Parochiali per ipsum, vel per suum substitutum, vel per alium Sacerdotem celebranda. Ita præscriptum fuit in Sacrosancto Concilio Tridentino *Sess. 5. cap. 2. de Reform.* ibi = *Omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium; si verò contigerit, Episcopos, vel alios prædictos legitimo detineri impedimento; juxta formam generalis Concilii viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi Prædicatoris officium salubriter exequendum: Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtè subjaceat ultioni. Archipræsbyteri quoque, Plebani, & quisunque Parochiales, vel alias Animarum curam habentes Ecclesias quocumque modo obtinent per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus Plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis: docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.*

Et revera cum Parochi in Cura Animarum sint adjutores Episcopi, quæ sunt Episcopi onera, eadem ferme sunt & Parochi, qui propterea verbo, & exemplo Parochianis præesse debeat, & pascere per se ipsum gregem suum *Can. Audacter Caus. 8. quæst. 2.* ibi = *Tale ergo intelligamus etiam in Ecclesiis fieri, quod pro meritis aut in verbo, & opere potens à Deo tribuitur Rector Ecclesiæ, aut si malignum faciat Populus in conspectu Domini, & tales perseverent: talis Ecclesiæ iudex datur, sub quo famem, &*
fitim

fitim Populus patiatur ; non famem panis ; neque fitim aquæ , sed famem audiendi verbum Dei = : Quodque Parocus per se met ipsum , si non sit legitime impeditus , teneatur ad explicationem Dei Evangelii firmat Fagnan. in cap. Extirpandæ §. Qui verò num. 4. de Præbend. , Piton. discept. Eccles. 142. num. 17. , Card. Bellarm. admonit. ad Episcop. Thean. controv. 1. , nec Episcopum posse Parochum à proprio munere liberare etiam in casu , in quo eidem vitæ periculum immineat , firmat Rota coram Tanario decis. 240. num. 1. , & seqq. , idemque sustinent Reiffenstuel. jus Canonic. tom. 3. lib. 3. Decret. tit. 4. §. 3. de Residentia Parochorum num. 85. , Pirhing. eod. lib. . & tit. §. 2. , & 3. per tot. , & Andr. Mendo in Epitom. verb. Parochus , & de Ordin. Militar. dis. 11. quæst. 5.

Quodd autem Parochus in casu ipsius renuentiæ cogendus sit , ut per se ipsum adimpleat onus ab eo debitum , tradit Garz. de Beneficiis part. 3. cap. 2. num. 53. , à quo allegatur etiam Decretum hujus Sacræ Congregationis in Nullius 3. Julii 1591. ibi = *Censuit Congregatio Concilii cogendos esse Curatos ad subeunda per se ipsos , & non per Subditos ea munia , ad quæ tenentur , tolerandos autem , ut per Substitutos suppleant in illis tantum casibus expressis verbis Canonum , & Decretorum Concilii , quibus permisum est eis , ut per Vicarios , Coadjutores , vel substitutos possint officio suo fungi = Casus autem , qui excipiuntur , sunt Christiana Charitas , urgens necessitas , debita obedientia , ac evidens Ecclesiæ , vel Reipublicæ utilitas , ut ex Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

Eademque Sacra Congregatio in Nicien. 7. Octobris 1604. his verbis decrevit = *cogendos esse hujusmodi Rectores ad subeunda per se ipsos , & non substitutos omnia munia , ad quæ Parochi tenentur , tolerandum autem , ut per Substitutos suppleant in illis tantum casibus , in quibus expressis verbis Canonum , Decretorum Concilii permissum est Parochis , ut per Vicarios , Coadjutores , vel Substitutos possint officio suo fungi = ut in lib. 10. Decret. fol. 101.*

Videtur itaque ; Priorem Cathedralis Ecclesiæ teneri per se ipsum adimplere onera sibi commissa , quæ inter illud est explicationis Evangelii , ut grex proprii Pastoris vocem audiat , quod est de jure Divino, Concil. Trident. Sess. 23. cap. 1. in princip. de Reform. ibi = *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus , quibus Animarum cura commissa est , oves suas agnoscere , pro his Sacrificium offerre , verbique divini prædicatione pascere = Neque huic oneri suppletum dici posse videtur per explicationem Sa-*

cræ Scripturæ, quia hæc post Vesperas fit à Canonico Theologo, explicatio verò Evangelii fieri de mane debet à Parocho in Missa Parochiali post lectum Evangelium, exemplo SS. Pauli, & Barnabæ, qui ut *ex actis Apostolorum* habetur *cap. 13.* post lectos Prophetas in Synagoga ad Populum verba fecerunt. Rursus in *Justini Martyris Apologia 2.*, & *lib. 8. Constitutionum Apostolicarum* Homiliam, seu sermonem post lectum Evangelium fieri primis Ecclesiæ temporibus consuevisse, palam fit. Idem uerpatet in vita S. Cæsarii Arelatenfis *cap. 14.*, & præ cæteris habetur *Can. 17. Concilii Turonensis*, de quo loquitur San. Mem. Benedictus XIV. *de Sacrosanct. Missæ Sacrificio lib. 2. cap. 2. num. 8.*

Prior sua jura deducit, & se fundat in consuetudine immemorabili non explicandi Evangelium. At verò ponderandum est, objectam consuetudinem nec in Facto probari, nec in Jure sustineri. Non enim probatur in Facto, quia Testes, quos Prior allegat, de consuetudine immemorabili non deponunt cum requisitis ad eam probandam necessariis, de quibus *Rota in Recent. decis. 232. num. 4. part. 7.*; Minusque in Jure sustinetur, quia hæc consuetudo, etiamsi dicti Testes eam probarent, cum directè aduersetur juri Divino, & Canonico, cui per consuetudinem etiam immemorabilem derogari non potest, corruptela est, ideoque reiicienda *cap. ultim. de Consuetudine, Fagnan. in cap. Cum contingat de Foro competentè num. 11.*

His adnotatis, erit ab E.E. VV. deliberandum.

- I. *An Prior Ecclesiæ Cathedralis Amerinæ teneatur per se ipsum, vel, eo impedito, per Sacerdotem suum adiutorem ad explicandum Evangelium in Missa Parochiali, seu potius obstet consuetudo in casu &c. = & quatenus affirmativè ad primam partem.*
- II. *An, & quibus pænis sit idem Prior mulctandus in casu controventionis in casu &c.*

Dilata, & scribatur, juxta mentem.

A NAGNINA. Divini Cultus incrementum, dulcisque amor Patriæ compulerunt Joannem Baptistam, & ipsius consobrinam Matthiam Rauli Nobiles Anagninos, *Sess 25. cap. 5. de Reform.* ut sibimetipsis invicem hæredibus institutis universalem substituerent hæredem Collegiatam Ecclesiam in Civitate Anagnina erigendam, & Sancto Angelo Custodi nuncupandam. Formam licet, & onera præfatæ Collegiatæ fusiori calamo præscripserint, addiderunt tamen = *ci riserviamo Noi Testatori sudetti la facoltà di potere aggiungere, mutare, e diminuire questa presente disposizione, etiam per rogato di Notaro senza fare codicillo* = prout ex transmissa Particula prædicti Testamenti diei 11. Septembris 1701.

Prior è vita decessit Joannes Baptista Rauli; Hinc Matthia ejus consobrina superstes plura quoad Collegiatæ erectionem immutavit. Hæc inter, grave nimis putans onus Canonicis, & Rectori impositum celebrandi quotidie unam Missam pro animarum Testantium expiatione, & duas Missas pro Animabus in Purgatorio existentibus, idem onus solemniter die 18. Novembris 1707. moderata est, declaravitque, *ut una tantum Missa loco trium quolibet die celebraretur.*

Dein eadem Matthia naturæ debitum persolvit. Hinc locus factus est Collegiatæ erectioni, quæ a San. Mem. Clemente XI. confirmata fuit speciali erectionis Bulla dat. apud S. Petrum an. 1712. prid. nonas Martii. Jam verò in laudatæ Constitutionis narrativa legitur, dictos Fundatores præcepisse Rectori, & novem Canonicis, quod = *Choro inservire deberent iisdem modo, & forma, quibus Canonici præfatæ Cathedralis Ecclesiæ Anagninæ eorum Majori Ecclesiæ inserviunt, ac alias sub diversis pactis, & conditionibus latius in dicto Testamento appositis, reservata tamen eis, & utrique eorum, quamdiu viverent, facultate commutandi, & melius declarandi præfatam eorum dispositionem* =; In parte verò dispositiva ejusdem Constitutionis præscribitur, quod *singulis diebus Horas Canonicas tam matutinas, quam vespertinas, diurnas pariter, & nocturnas, aliaque Divina Officia in aliis Collegiatis Ecclesiis celebrari solita, & consueta, ac unam Conventualem, seu Majorem Missam pro suffragio Animarum prædictorum Testatorum, illorumque Parentum, & Consanguineorum, ac Benefactorum ejusdem Ecclesiæ in Collegiatam erigendæ, cum debita mentis attentione, & devotione, ac servata disciplina Ecclesiastica, quotidie collegialiter respectively celebrare, decantare, psal-*

lere, & recitare ac nonnulla Anniversaria, & Missas latius in dicto Testamento, & declarationibus subinde secutis demandata, & demandatas celebrare debeant, & teneantur. =

Executioni demandata Collegiatæ erectione, Canonici tunc temporis, impositum Missarum onus implere putarunt, Conventualem Missam unâ cum duabus Missis lectis quotidie celebrantes. Sed *bon. mem.* Coadjutor Episcopus *Rubbini* in Visitatione habita *an.* 1733. decrevit Conventualem Missam pro Collegio applicari, non omitta quotidiana ad Fundatorum mentem trium Missarum celebratione.

Hoc Decreto gravatos se esse censent moderni Canonici, qui attendita superius relata Matthiæ declaratione, sui muneris partes abunde explere dicunt, si præter Missam Conventualem, aliam Missam lectam singulis diebus celebrent. Preces igitur jam ab anno 1778. huic Sacræ Congregationi porrexerunt, ut voti compotes fierent.

Auditus Episcopus Anagninus miratur quomodo nihil de Matthiæ præfata declaratione, & duarum Missarum imminutione in Litteris Apostolicis expressum inveniatur; Justas autem, & æquas existimat Canonicorum preces = *Quare (concludit) animadversis tum aliis oneribus, quæ Canonicatibus Collegiatæ Ecclesiæ sunt adnexa, tum tenuitate reddituum, qui ab ipsis Rectore, & Canonicis percipiuntur, esse in sensu concedendam esse ad formam Codicilli (nempe declarationis per Matthiam emissæ) duarum Missarum reductionem, nisi aliud expedire videbitur Eius Patribus =.*

Conditiones, & onera Beneficiis injuncta religiosè servari debent; juxta *Tridentinum Sess. 25. de Reform. cap. 5. = ibi = Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis Constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sint injuncta in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur =.* Videndum itaque in casu, de quo agitur, quæ sint Missarum onera injuncta. Hæc ut rectè inspiciantur, sedulo est perpendendum an utriusque insimul testantium ex condicito, an etiam alteriorum superstiti fuerit attributa facultas commutandi, proindeque utrum sola Matthia jure fecerit Missarum reductionem. Illud quoque inspiciendum, an Litteræ Apostolicæ Testamenti solummodo, vel declarationis etiam per Matthiam emissæ rationem habuerint. Denique discutien-
dum

dum videtur, an posterior declarationis codicillus ab unica superstite Matthia exaratus, præferri debeat communi Testamentariæ dispositioni, cui nedum enunciatum Episcopalis Visitationis Decretum anni 1733., verum etiam sexaginta circiter annorum observantia adimplatur.

A nemine hæctenus Jurium libellum habuimus, præfixo licet termino interesse habentibus jura sua deducendi. Dignabuntur Eminentiæ Vestræ pro summa, qua polent, sapientia decernere.

An, & quomodo Oratorum precibus fit annuendum in casu &c.

Dilata, & exhibeatur Testamentum Joannis Baptistæ, & Matthiæ Rauli, nec non firmetur Status utriusque hæreditatis, & doceatur de rebus, & oneribus Capituli.

Reliquæ non propositæ.

VIGLEVANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap 4. de Reform.*

Joannes Franciscus Garrone in supremis, cum quibus anno 1614. decessit Tabulis, usufructuariam sibi scripsit hæredem Isabellam Trincheriam Uxorem suam, proprietarium autem instituit Sodalitium SSmæ Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis cum onere quolibet anno, Uxore defuncta, persolvendi Sodalitio Beatæ Mariæ Virginis *della Neve* nuncupato libras imperiales biscentum, ea tamen adjecta lege celebrationis Missæ quotidianæ faciendæ per Sacerdotem eligendum à Cæsare Rossi, ejusque Descendentibus masculis in infinitum.

Defuncto Testatore, cum Sodalitium B. M. Virginis *della Neve* legatum pro Missa quotidiana accipere renuisset, ex quo aunuæ legatæ libræ biscentum Imperiales erant solvendæ Sacerdoti celebranti, itaut nihil superesset Sodalitio pro Utensiliis, & quotidianæ Missæ maintenance, hinc Defuncti Vidua, & hæres usufructuaria, ut impleretur dispositio Viri, die 2. Februarii 1622. contractum iniit cum eodem Sodalitio, cujus favore pro Utensili-

filibus, & pro quotidiana Missæ perpetuæ manutentione cessit Censum in sorte Librarum mille, & biscentum, annuque redditus librarum imperialium nonaginta; Sodalitium verò Legatum acceptavit, interposita obligatione celebrandi Missam quotidianam cum legatis Libris biscentum.

Ab anno 1779. usque in præsens intermissa fuit à dicto Sodalitio Missarum celebratio propterea, quòd nullus inveniri potest Sacerdos, qui cum Libris biscentum imperialibus adimplere velit onus Missæ quotidianæ. Qua de re Rectores sepedicti Sodalitii porrectis precibus supplicarunt hanc Sacram Congregationem pro reductione Missarum juxta eleemosynam taxæ Synodalis solidorum viginti pro qualibet Missa, ut in hunc modum reductio Missæ quotidianæ fiat ad numerum biscentum Missarum quolibet anno.

Episcopus auditus retulit quòd = *peractis omnibus diligentis datum huc usque non fuerit jus patronatus habenti invenire propter eleemosinæ tenuitatem Sacerdotem, qui nunc velit onus assumere prædictæ Missæ quotidianæ; ita ut nedum Sodalitium, sed etiam jus patronatus habens activum à me auditus exoratum exoptent reductionem = & sicuti constat = prædictas annuas libras biscentum dictæ Confraternitati pro eleemosina Missæ quotidianæ à Testatore fuisse taxative legatas = hinc censuit = petitam reductionem pendere ab arbitrio EE. VV.*

Iterum Episcopus interrogatus, ut referret, an annuæ libræ biscentum ab hærede solutæ Sodalitio fuerint, & quænam sit eleemosyna manualis, & qui sit valor libræ Imperialis, respondit = *libras imperiales biscentum annuatim solutas fuisse à prædicto Hærede Sacerdoti, qui Missam quotidianam celebraverat, cujus celebratio intermissa fuit ab initio anni 1779, usque in præsens, attento, quòd præter tenuitatem eleemosynæ in solis vulgò bajocchi septem cum dimidio circiter pro qualibet Missa, nullus reperiatur Sacerdos, qui eam celebret, cum præsens manualis eleemosyna in hac Civitate, & Diœcesi sit solidorum viginti Imperialium, qui sunt vulgò bajocchi tredici, ed un terzo monete Romanæ, licet in Diœcesi Mediolanensi dicta eleemosyna manualis sit solidorum vigintiquinque.*

Sacra Congregatio in Mediolanen. Reductionis Missarum 9. Aprilis 1718. , proposito Dubio = *An supposito, quòd nullus inveniatur Sacerdos, qui velit Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna librarum tercentum à Te-*

statore præscripta sit locus reductioni in casu &c. = respondit = Affirmativè = .

Munus nunc erit EE. VV. respondere .

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ quotidianæ in casu &c.

AVENIONEN. JUBILATIONIS : Sacerdos Benedictus Joannes Franciscus Maliere Avenionensis in ætate annorum 70. constitutus , & Canonicus ulque ab anno 1735. Metropolitanæ Avenionensis Ecclesiæ post exactum quadragenarium tempus servitii præstiti dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ postulat vacationem à Choro , seu , ut vocatur , *Jubilationis Indultum* .

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

Preces transmissæ fuerunt Archiepiscopo *pro Informatione , & Voto, audito Capitulo* . Habetur enim ex relatione Archiepiscopi , Canonicum Oratorem per integrum temporis spatium quadraginta quinque annorum , à quo Canonicatum obtinuit , continuum , & laudabile servitium Ecclesiæ præstitisse : Capitulum verò vanum putare , Canonicum habuisse recursum ad hanc Sacram Congregationem pro habendo Jubilationis Indulto, quòd nemo umquam ex Canonicis hactenùs postulavit ; cum Orator uti possit facultate sibi eligendi Coadjutorem , si causa Infirmittatis , vel ætatis suam Ecclesiam nequeat amplius deservire : Verum exceptionibus Capituli non obstantibus , censuit idem Archiepiscopus petitum Jubilationis Indultum esse Oratori concedendum .

Quoties non impugnatur , Canonicum Oratorem ejus Ecclesiæ servitium *continuum* , & *laudabile* spatio quadraginta annorum præstitisse , videtur , eidem ex universali consuetudine tamquam ætate gravi , morboque laboranti largiri posse Indultum vacandi à Choro juxta constantissimam Sacræ Congregationis sententiam , de qua testantur plurimæ illius Resolutiones , & præsertim in *Causa S. Angeli in Vado 15. Aprilis 1690. lib. 4. decr. pag. 256. in Patavina Jubilationis 9. Junii 1614. lib. 64. Decr. pag. 217. , in Aversana 20. Martii 1720. , in Calaguritana Jubilationis ad secundum Dubium 2. Maii 1733. , & in Civitatis Castellane 29. Novembris 1766.*

Id-

Idque procedere videtur , etiamsi nullum afferri possit exemplum , quòd hujusmodi Indultum fuerit à Sacra Congregatione concessum alicui ex Canonicis Metropolitanæ Avenionensis Ecclesiæ , quia eo ipso modo , quo prædecessores Canonici , quatenus muniti necessariis requisitis sese abstinuerunt à petendo Jubilationis Indulto , poterant pro eodem instare , proindeque illorum abstantia traduci non potest ad prohibendum Oratori , ne illud petat , & assequatur , cum ejus materia merè sit facultativa , quemadmodum etiam fuit pro prima vice concessum Jubilationis Indultum Canonico Ecclesiæ Cathedralis Feltrensis , veluti monstrat Resolutio Sacræ Congregationis edita in *Feltren. Jubilationis 11. Januarii 1721.*

A' Canonico Oratore jura circumferuntur . A Capitulo nihil hætenus habuimus . Dubium est .

An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu &c.

Die Sabbathi 17. Martii 1781. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

G Eminæ, quæ sequuntur, Causæ descriptæ fuerunt in Folio postremæ Congregationis diei 10 nuper elapsi mensis Februarij, & ob angustiam temporis proponi non potuerunt. Dignabuntur itaque Emi PP. . resumpto dictæ Congregationis Folio, eas sapientissimo, quo polent, judicio definire.

VIGLEVANEN. REDUCTIONIS MISSARUM, in *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
 qua quæritur.
An, & quomodo sit locus reductioni Missæ quotidianæ in casu &c.

Dilata, & proponatur in prima.

AVENIONEN. JUBILATIONIS, cujus Dubium. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*
 est.
An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu &c.

Affirmativè, & amplius.

Seff. 25. cap. 4.,
 et 5. de Reform.

DERTHONEN. SUSPENSIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. Simon Rebutti è Civitate Novarum Derthonensis Diœcesis in ejus ultimo, quod anno 1746. condidit, & sub quo subinde decessit, Testamento mandavit, quòd ex omnibus ejus Patrimonialibus Bonis detraheretur fundus, cujus redditus satis essent pro celebratione quatuor Missarum qualibet hebdomada, duarum scilicet explenda in Parochiali Ecclesia S. Andreae, aliarumque duarum in Ecclesia Mortis, & Orationis nuncupata. Pro hoc adimplendo Missarum onere in primum Cappellanum ipse Testator nominavit Hieronymum ejus ex Clara Sorore Nepotem, eoque defuncto, Juspatronatus passivum detulit in alios filios omnium ejusdem Sororum gradatim, subindeque in alios de earum respective lineatam Masculina, quàm fœminina, donec existerent, eisque defectis, jus nominandi Cappellanum contulit in Rectorem dictæ Parochialis Ecclesiæ S. Andreae, & in Sodalitium præfatæ Ecclesiæ Mortis, & Orationis æquis portionibus.

Rursus Testator in ejus Codicillaribus Tabulis voluit, quòd præter duas Missas qualibet hebdomada celebrandas in utraque designata Ecclesia, alia in iisdem respectivè celebraretur, ita ut tres essent in utraque Ecclesia, & in singulis hebdomadis Missæ celebrandæ, *aggravandone* (ut ipse Testator subdit) *in tutto la mia Eredità*.

Sequuto Testatoris obitu, istius Executores Testamentarii processerunt ad liquidationem reddituum Bonorum hæreditariorum, quos liquidarunt in annuis libris trecentum septuaginta, ex quibus demptis annuis libris centum viginti duobus pro ære alieno, quod inter connumerarunt expensas pro Utensilibus, annui supererant redditus in summa Librarum biscentum quadraginta, & octo, quam assignarunt Cappellano pro Missarum celebratione, constituta eleemosyna ad rationem obulorum sexdecim pro qualibet Missa.

At quia Defuncti hæreditas, ut retulerunt Executores Testamentarii, ex domibus constabatur, & assignata summa librarum 248. ex una ipsarum à Cappellano percipi debebat, cujus pensiones cum admodum ex natura rei fuerint imminutæ, cumque Cappellanus Missas hæctenus celebravit minori eleemosyna illa, quæ præscripta fuit in obulis sexdecim pro qualibet, eaque ex causa, & titulo se creditorem asserat in summa librarum mille octingentarum, hinc duo exhibitis precibus huic

Sacræ

Sacræ Congregationi postulavit, *primum*; quòd intermittatur Missarum celebratio, donec ipse fuerit de dicto ejus credito satisfactus, eoque soluto, perseveret celebrationis Missarum intermissio quousque dimissum fuerit æs alienum Testatoris in Libris 1620., ut hæreditarii redditus augeantur pro tutiori Missarum adimplemento: Et *alterum*, quòd earumdem Missarum celebratio ad ratam fructuum, deductis expensis, juxta taxam ab Executoribus Testamentariis præfinitam, peragi debeat.

Datis Episcopo litteris pro Informatione, & Voto auditis omnibus Interesse habentibus, hic retulit = *nitidum Cappellaniæ red-litum nunc esse librarum dumtaxat centum quadraginta Januensium, Roman. nempe scutorum viginti unius cum dimidio circiter, e quibus debita tamen detrahi debent, & Sacrarum suppellectilium, & Domus manutentio. Domus ipsa non differenda imo indiget reparatione scutorum sexdecim excedente. Ut autem deinceps ad ratam fructuum totidem solum celebrentur Missæ: Excitati probè adhærescunt interesse habentes. Ast num., & expressus petitus vetantur Missarum numerus ei modo sit de præterito compensandus ante ipsum reductionis hætenus, à se neglectæ recursus, forte non vident ipsi, viderint tamen. E.E. VV.*

Causa proponitur: A Cappellano jura circumferuntur, & ab eo sustinetur, eidem ex redditibus ex intermittenda Missarum celebratione deberi reintegrationem elemosynæ Missarum, quas ipse præventive celebravit, atque reddituum imminutione, reductionem fieri debere Missarum juxta pensiones ab assignata Domo percipiendas ad rationem obulorum sexdecim monetæ Januensis pro qualibet Missa, & quidem à die, quo idem Cappellanus preces pro Reductione porrexit huic Sacræ Congregationi.

Ponderandum tamen est, hic non agi de Missarum celebratione facta præter præfinitam illarum quantitatem, ut si Testator voluerit, annuas esse Centum Missas celebrandas, & Cappellanus annuas centum, & decem Missas celebraverit, quibus in terminis locum habere posse videntur Resolutiones hujus Sacræ Congregationis illarum suspensionem decernentes, ut in Romana 18. Februarii 1713. lib. 63. decret. pag. 76., & in Romana Missarum 31. Julij 1717. Lib. 67. decret. pag. 303., sed agi quidem de asserto Cappellani credito resultante ex quo ipse Missas celebraverit minori elemosyna illa obulorum

lorum sexdecim pro qualibet Missa, ab Executoribus Testamentariis præscripta.

Atque hinc exemplarem esse Articulum, an qui Missas celebravit putans se obstrictum esse ad eas celebrandas, quando intenta reddituum imminutione, seu alia justa de causa non erat vere obligatus, implorare debeat Judicis officium pro illarum taxativa eleemosyna, vel illius supplemento obtinendo; Quemadmodum enim, qui aliquid solvit pro Causa pia, putans se teneri ad solvendum, quando revera obstrictus non erat, repetere non potest quod solvit, juxta præclarum *Textum in Leg. Cum is, qui 32. §. Si in ea ff. de Credit. Indebit.* = ibi = *Si in ea opinione sit Mulier, ut credat, se pro dote obligatam, quidquid Dotis nomine dederit, non repetit: Sublata enim falsa opinione, relinquitur pietatis causa, ex qua solutum repeti non poterit* = ita ex identitate rationis dubitandum videtur, an possit nunc utiliter implorari Judicis Officium pro eleemosyna, vel illius supplemento Missarum, quas quis celebravit, putans se teneri, quando obligatus non erat: sublato quippe errore, semper perseverat Causa pietatis, quæ si impedit conditionem Indebiti, impedire etiam dici debet, ne petenti suum Judex Officium impertiatur.

Sacra Congregatio Missarum suspensionem donec Cappellanus reintegretur de expensis factis super Bonis Cappellanæ rejecit in *Imolen. Reductionis, ac Suspensionis Onerum, & Missarum diei 14. Februarii 1778. ad III. Dubium, & pressius in Placentina 16. Januarij 1779.*, in qua proposito Dubio = *An sit locus suspensioni oneris Missarum, & reintegratiōni Capituli pro Missis in præteritum celebratis ultra ratam fructuum perceptorum?* = responsum fuit = *Negative in omnibus.*

Ad reductionem verò Missarum quod attinet, quamvis constans sit Sacri hujus Tribunalis sententia, imminutis redditibus, Missas esse ad ratam fructuum reducendas ad rationem eleemosynæ manualis, ut in *Pisaren. Reintegratiōnis, & Reductionis Missarum 29. Novembris 1777.*, præoculis tamen habendum est, Defunctum in suis testamentariis Tabulis voluisse, quòd pro Cappellania sufficiens fundus è suo Patrimonio detraheretur, in Codicillo verò præcepisse, quòd pro omnibus Missis celebrandis ejus hæreditas onerata censeretur: Nec ullum legitimum à Cappellano proferri Inventarium Bonorum hæreditariorum Testatoris.

Rurfus examinandum erit, num deficiant hæreditarii redditus, ut locus esse possit Missarum reductioni, quoniam ex relatione Executorum Testamentariorum habetur, ipsos pro Libris 1620., quas Defunctus debebat Magdalenzæ Sorori suæ nuptæ Didaco Governæ usque, & à die 31. Augusti 1749., eidem tradidisse Domum annui redditus librarum sexaginta, quæ modò reverti deberent ad Patrimonium Defuncti, cum ex illarum perceptione per annos triginta duos, ab anno scilicet 1749. usque ad hodierna tempora, quodlibet Magdalenzæ creditum extinctum, & solutum intelligatur. Nec obesse videtur, Domum traditam fuisse à godere, seu jure Pignoris, donec numeratæ fuerint enunnciatæ Libræ 1620., quia hujusmodi Contractus improbatur à Jure, & quidquid Creditor ex tradito fundo percepit, totum id in sortem imputare tenetur, ut est punctualis Sacræ Rotæ Decisio in Causa, cui titulus, *Cæsenaten. Dotis super Restitutione in integrum* 21. Martij, & 17. Junij 1757. utraque cor. clar. mem. Card. Elephantutio.

His perpenfis, EE. VV. definient.

- I. An, & quomodo sit locus suspensioni celebrationis Missarum, donec compensetur numerus Missarum excessive celebratarum in casu &c.
- II. An quomodo, & à quo tempore sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem.

RAVENNATEN. FUNERUM. Super jure tumulandi Cadavera in Ecclesia S. Hieronymi Civitatis Ravennatensis, quæ erat Patrum Societatis Jesu, ea suppressa, plures excitarunt prætensiones Parochi ejusdem Civitatis adversus Spoliorum Subcollectorem. Has Parochorum prætensiones diremerunt pacta, & conventiones ipsos inter, & Subcollectorem Spoliorum initæ. Conventionibus non steterunt Parochi, idcirco oportuit adire Judicem, qui Parochos rejecit ab eorum

*Sess. 25. cap. 13.
de Reform.*

petitione, declarans, præfatam Ecclesiam jure tumulandi gaudere.

Eandem Ecclesiam cum omnibus ejus juribus, pertinentiis, commoditatibus, aliisque ad Rev. Cameram, Sedemque Apostolicam pertinentibus, **SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER** liberè cessit, concessit, donavitque Archiepiscopo Ravvennatensi pro ejus Seminario, pluribus tamen adjectis oneribus implendis ab Archiepiscopo, pro quibus Summus Pontifex præcepit Spoliorum Subcollectori, ut eidem Archiepiscopo rependeret annua scuta nonaginta octo, & obulos 88. Vix peracta Ecclesiæ cessione, iterum insurrexerunt Parochi auctumantes, sibi ipsis deberi singula emolumenta Funerum Defunctorum, qui sive ex electione, sive ex juris dispositione in sepulchro suorum Majorum erunt in sæpè dicta Ecclesia tumulandi. Hanc pariter illorum petitionem Archiepiscopus, instante Canonico Seminarii Rectore, atque ex duorum Canonicorum, qui Seminario præsent, consilio, non dissimili declaratione rejecit sub die 1. Julii 1779.

His declarationibus nondum fracti Parochi supplices accedunt ad hanc Sacram Congregationem pro perceptione omnium emolumentorum Funerum pro Defunctis in dicta Ecclesia sepelliendis, quia ipsi fundatam habeant intentionem in Jure Canonico persolvendi Defunctis Exequias, & omnia assequendi Funeris emolumenta privativè ad alias Ecclesias existentes intra fines eorum respectivè Paræciæ, ut *Clement. Dudum §. Verum de Sepultur.*; in *Clémentin. Quid contingit de Relig. Domib.*, cap. *Pastoralis de his, quæ fiunt à Prælatiis*, Rot. dec. 231. part. 13. recen., & decis. 681. num. 1. coram Ansaldo.

Et quamvis, ut iidem contendunt, præfata Ecclesia S. Hieronymi tumulandi jus habuerit ex privilegio, hoc tamen jus, seu privilegium erat concessum Societati Jesu, & ratione eorum Instituti, ita ut, ea suppressâ, extinctum censeatur jus, sive privilegium tumulandi *Jo. Andr. in cap. Cum Personæ num. 6. vers. qui verum*, Rot. decis. 1029. num. 16. & seqq. cor. *Emerix. jun.*, & decis. 105. num. 3. cor. *Ratto*.

Ad stipulante præsertim Resolutione hujus Sacræ Congregationis edita in *Romana Emolumentorum Funeralium* 28. Julii 1731., in qua proposito dubio = *An Emolumenta Funeris bo. me. Marchionissæ Palumbariæ integrè spectent ad Ecclesiam Parochialem in casu &c.* = responsum fuit =
Affir-

Affirmative, & amplius = nec non resolutione Sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium in Caufa Fabrianen., quæ proposito dubio = An Parocho S. Blasii spectarent omnia, & singula Emolumenta Parochialia, & præsertim Cerae exhibitæ in Funere Puellæ Cinotti, seu potius simplex Quarta funeralis, itaut. sustineatur cessio ab Abbatissa Monasterii S. Honuphrii favore Innocentii Cinotti fratris = fuit sub die 14. Decembris 1753. = Affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundam.

Auditus Archiepiscopus retulit Ecclesiam S. Hieronymi ex privilegio potiri jure tumulandi: Seminarium verò adjecta onera, quæ extinctæ Societati incumbabant, implere in alio seorsim Sacello, nec pro eorum adimplemento satis esse summam annuorum scutorum 98., & obul. 88. $\frac{1}{2}$, nam ea adeo exigua est pro ratione dictorum onerum, ut Seminarium pro eorum satisfactione non levibus impensis quotannis subiiciatur. Suumque votum aperuit = non esse renunciandum juri acquisito de exigendis occasione funerum omnibus emolumentis, quæ licet exigua sint, aliquid tamen utilitatis pro manutentione Ecclesiæ essent allatura.

Licet enim jus sepeliendi, seu funerandi, quæ promiscuè accipiuntur à *Bas. de Sodalit. quæst. 5. num. 3.*, & à *Luvor. var. lucubrat. cap. 17. num. 33.*, de jure competat solis Ecclesiis Parochialibus ad tradita per *Fagnan. in cap. Fratritatem num. 4.*, & *seq. de Sepult.*, attamen ex privilegio sæpe conceditur etiam aliis Ecclesiis non solum à Sancta Sede, ut de simili privilegio concessio Ecclesiis Regularium habetur in *Clementina dudum de Sepultur.*, & in aliis Summorum Pontificum Constitutionibus relatis à *Card. Petra ad Constitutionem 3. Cælestini III. Sess. 1. num. 19.*, sed etiam ab Episcopis, aliisque Prælatibus inferioribus jura Episcopalia habentibus, quando aliqua subsit justa causa pietatis, vel congruentiæ, ut firmat *Monacell. formul. legal. lib. 1. tit. 6. formul. 11. num. 25.*, & definivit hæc Sacra Congregatio in *Senogallien. Juris Sepeliendi 24. Januarii 1739. ad I. Dubium*, nihil curato Parochi præjudicio, quia satis illi consultum remanet per jurium Parochialium, & quartæ funeralis præservationem ad tradita per *Rot. post Antonell. de jur. Cleric. decis. 17. num. 9.*

Præterea constitutum est, quòd si quis decedens Sepulchrum elegerit in Ecclesia habente jus tumulandi vel à ju-

re, vel ex privilegio, Parocho non debetur, nisi quarta funeralis ex omnibus cereis, & Intorticiis, quæ occasione funeris obveniunt Ecclesie tumulanti, ad notata per *Samuel. de Sepult. tract. 1. disp. 5. cont. 10. per tot., Marchett. eod. tract. tit. 38. §. 2. num. 64., Bass. de Sodalit. quæst. 5. num. 5., & colligitur ex Resolutione Sacræ Congregationis edita in Firmana Jurium Parochialium 2. Junii 1736. ad V. Dubium, & in Romana Juris Funerandi 27. Junii 1761.*

Quod secus procedit in altero casu, quo Cadaver tumuletur in Ecclesia non Parochiali, nullumve tumulandi jus habente; quia tunc non quarta dumtaxat funeralis, sed omnia intorticia, & emolumenta funeralia ad Parochum pertinere dicuntur, veluti cum aliis tuetur *Piring. in jus Canon. lib. 3. tit. 28. num. 32., Pignatell. tom. 6. consult. 88. num. 8., Monacell. Formular. legal. part. 3. tit. 13. sub num. 90., Frances. de Eccles. Cathedral. cap. 25. num. 321., & Sacra Congregatio in dicta Senogallien. Juris Sepelliendi 24. Januarii 1739. ad III. Dubium, & ad Parochum attinet persolvere exequias supra Cadaver, ut definivit Sacra Congregatio S. Rituum in Decretis Urbis, & Orbis ad XX. Dubium 20. Decembris 1703., de quibus late differunt *Monacell. dicto tit. 13. formul. 1. num. 70. ad 75. & San. Mem. Bened. XIV. Instit. Eccles. 105. num. 124., & seq., & in his terminis nimirum Ecclesie non habentis jus Sepelliendi, ut est Ecclesia Monialium S. Silvestri in Capite, procedunt allegatæ Resolutiones hujus Sacræ Congregationis in Romana Emolumentorum Funeralium 28. Julii 1731.; & Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium in Fabrianen. 14. Decembris 1753.**

At verò cum Parochi non impugnent, privilegium juris tumulandi fuisse concessum Societati Jesu ex Constitutionibus S. Pii V. *Dum iadefesse*, & Gregorii XIII. *Decet Romanum Pontificem*, examinandum erit, an hoc privilegium fuerit personale, vel reale, seu potius datum Ecclesie propter Personas sit intelligendum. Coeterum suppressa Societate, cum Rev. Camera Apostolica successerit in omnibus illius juribus, privilegiis, prærogativis, & oneribus quibuscumque, ponderandum erit, an concessum jus tumulandi translatum censeatur in Rev. Camera Apostolicam, ut hæc per cessionem in Seminarium transferre illud potuerit.

A Parochis jura circumferuntur. Pro Rectore Seminarium,

cui fuerat præfixus terminus ad deducendum jura sua in hac Sacra Congregatione, nemo comparuit. Dubium est.

An Funerale debeatur integrum Parochis : quando Defuncti fuerint sepulti in Ecclesia S. Hieronymi in casu &c.

Iterum proponatur :

TERRACINEN. , ET PRIVERNEN. Archipresbyteratu Collegiatæ Ecclesiæ , & unicæ Parochialis Sancti Leonardi in Oppido Arcisgurgæ adhuc vacante, Felix Rossi , & Joannes Fusco Officiales dicti Oppidi, universæ Communitatis nomine preces porrexerunt Sacræ huic Congregationi , ut distributis in æquas partes Archipresbyteratus , & Paræciæ redditibus , duæ constituantur Præbendę ; quarum altera Archipresbytero, altera Canonico Curato ad coadjuvandum Archipresbyterum noviter constituendo tribuatur : imposito utrique onere Curam animarum in prædicta Ecclesia exercendi. Multum enim animarum excrevisse numerum , uberesque Paræciæ redditus esse affirmant.

Sess. 21. cap. 4. de Reform.

Datis Terracinensi , & Privernensi Episcopo litteris pro informatione, & voto : Respondit præstitum fuisse assensum a Capitulo præfatæ Ecclesiæ, hisce tamen adjunctis conditionibus ; Quod nempe novus Canonicus Curatus participare tantum debeat de redditibus certis , & incertis ab Archipresbytero percipi solitis, nec decem reliqui Canonici aliquid capiant detrimenti ; Quod supranumerarius esse debeat , adeoque jure suffragii careat , quoad præcedentiam semper ultimus in Choro, Processionibus, aliisque Ecclesiasticis Functionibus , & sine stola debeat incedere ; Quod alterius Canonici instar Choro, & Ecclesiæ inserviat , nisi ab exercitio Curæ animarum fuerit impeditus : Functiones tamen chorales , absente Archipresbytero , a Canonico antiquiore , prout in more positum est, exercentur ; Quod nullum præcipuum usum, & emolumentum ex Capituli sigillo percipiat ; Tandem si dictus Canonicus in posterum transeat cum animarum

cura ad aliam Ecclesiam in præfato Oppido existentem, vel ædificandam, nullo idcirco potiatur jure baptizandi, tumulandi, seu quid aliud agendi ad Collegiatam Ecclesiam tamquam Matricem spectans: sed omnia, & singula jura sacra, testaque serventur favore Capituli, & ejusdem Ecclesiæ, ut etiam de legatis præsentibus, & futuris relinquendis cuius Ecclesiæ subjectæ eidem Collegiatæ, seu Ecclesiæ pro cura animarum forsan construendæ, particeps sit pro rata cum cæteris Canonicis; sicuti ex transmissio exemplari Capitularis Resolutionis evincitur.

Necessitas verò consulendi animarum saluti cum deputatione Canonici Curati evidens Episcopo videtur, quòd d Parochianis mille septingentis triginta Archipresbyter unus satisfacere nequeat, quòd adeo verum est, ut prædecessor Episcopus, dum possessionem tradidit ultimo Archipresbytero, qui dein liberè resignavit, onus eidem imposuerit Coadjutorem, seu Procuratorem ad curam animarum perpetuò retinendi, ad nutum amovibilem, & ab Episcopo approbandum. Annuos sane redditus dicti Archipresbyteratus, qui certi dicuntur, detractis oneribus, ad scuta biscentum triginta, & obulos octogintaquatuor pertingere, incertos autem, qui pro certis reputantur, summam scutorum quatuor, & obulorum septuaginta conficere, ex Episcopi relatione, & inventario apparet.

Censerem igitur, (concludit Episcopus) quatenus EE. VV. ita placeat, attenda necessitate providendi Populo, & sufficientia reddituum Archipresbyteratus, pro congrua nedum Archipresbyteri, sed & alterius Curati, ex medietate reddituum certorum, & incertorum, erigendam fore Præbendam pro Canonico Curato, qui æque, ac Archipresbyter teneatur ad exercendam animarum curam, cum illis conditionibus, quæ opportunæ videbuntur EE. VV.

Auditi Ministri Datarie Apostolicæ minime obstant, licet animadvertant, quòd satis esset cogere Archipresbyterum Ecclesiæ Collegiatæ ad unum, seu plures sibi adiungendos Sacerdotes, qui, attento Populi incremento, eum in cura animarum adjuvarent: quòdque id consonum esset Tridentini dispositioni *Sejs. 21. cap. 4. de Reform.*, & quieti, ac paci magis accomodatam; Quoniam nullæ timendæ essent dissensiones, quæ inter duos æquales Parochos in exercitio curæ animarum forsan oriri possent. Tridentina Synodus loco superius indicato sic distinguendo decrevit = *Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati,*

gati in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel baptismalibus, in quibus Populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo; cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis verò, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani, sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitatis Rectoribus, juxta formam Constitutionis Alexandri III., quæ incipit = Ad audientiam, constituere possint =. Quibus ita in facto, & jure se habentibus, videndum an locus sit dismembrationi Archipresbyteratus, & paritæ erectioni Præbendæ pro novo Canonico Curato; vel potius an præfatus Archipresbyter pro tempore adstringi debeat, ut unum, vel plures coadjutores curæ animarum assumat ad nutum amovibiles, & ab Episcopo adprobandos. Quod si erigenda dicta Præbenda videatur, utrum omnes, & singulæ conditiones in Capitulo consensu exhibitæ deceant, vel expediant, sedulo erit discutiendum. A Decurionibus Terræ Arcigurgæ jura circumferuntur. Duo proponuntur Dubia.

- I. An locus sit dismembrationi Archipresbyteratus, & erectioni Præbendæ pro Canonico Curato in casu &c., & quatenus affirmativè.
- II. An, & quæ conditiones appositæ in Consensu præstito à Capitulo sint admittendæ in casu &c.

Ad I. negative, & Episcopus provideat ad formam Concilii Tridentini Sess. 21. Cap. 4. de Reform.;
Ad II. provisum in primo.

TERRACINEN, & SETINA. Supremis testamenti *Sess. 21. cap. 3.*
tabulis die 14. Septembris anni 1773. Canonicus Ja- *& sess. 22. cap.*
cobus Fasci in omnibus, & singulis bonis, immobili- *6. de Reform.*
bus, mobilibus, creditis, juribus, & actionibus, sibi
ex arte hæredem scripsit Capitulum Cathedralis Eccle-
siæ Setinæ, cujus servitio per quadraginta quinque cir-
citer annos fuerat mancipatus: Eam autem dedit legem=
voglio, che di tutte le rendite, ed entrate di tutta la mia
Tom. L. F 2 ere-

eredità , esso Reverendissimo Capitolo , o siano i Reverendissimi Signori Canonici , e Reverendissimi Signori Archidiacono , e Preposto debbano celebrare in suffragio dell' anima mia , de miei defonti , e secondo la mia intenzione , tante Messe nella sudetta Chiesa , quante si dovranno tassare dall' Ordinario secondo il solito , proporzionatamente al fruttato della mia Eredità ogni anno , & in perpetuo =
Reliquit insuper plura legata ab hærede præstanda , quibus alia etiam superaddidit in Codicillis exaratis die 10. Septembris anni 1779. Hæc inter caritate ductus , Pauperibus Censuum debitoribus sortem , & fructus decursum condonavit : Facultatemque tribuit Executori testamentario aliquam remittendi Debitoribus non miserabilibus quantitatem fructuum ex Censibus jam decursum . Iisdem autem codicillaribus tabulis præcepit =
che subito seguita la sua morte , si vendano tutte le grafce , mobili , abiti , massarizie di casa , ed ogni altra cosa amovibile , che si troveranno al tempo della sua morte , ed il ritratto di tal vendita unitamente col denaro contante , che si troverà nella sua Eredità , sodisfatti però prima li suoi funerali , e suffragi , e legati di scudi cento , e di scudi dieci , ed il tutto venga distribuito a titolo di elemosina a Poveri = :
Hujusce eleæmofynæ distributionem in Episcopi Executoris testamentarii arbitrium , & prudentiam contulit , aliqua tamen concessa nonnullis designatis Personis prælatione .

Mox Testatore vita functo , fructus extant Censuum a Personis non miserabilibus solvendi in summa scutorum circiter quatuorcentum , facta etiam ratæ non modica condonatione . Hæc scuta quatuorcentum unà cum aliis scutis centum quinquaginta exigendis a debitoribus chirographariis , Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Setinæ postulat applicari Sacratio restaurando , iisque omnibus comparandis , quæ pro illius ornatu , & usu requiruntur ; Paratumque se exhibet celebrando quolibet anno die obitus præfati Canonici solemnii anniversario , prout constat ex Capitulari transmissa resolutione .

Eadem ipsa confirmat Episcopus Terracinensis , & Setinus , additque =
Reditus non adsunt particulares pro Fabrica assignati , sed succurritur illi ex Massa Capitulari , nunquam vero ex particularibus Canonorum Præbendis , quæ reddunt circiter singulis Canonicis quotannis scutata vigintiseptem , neque ex quotidianis distributionibus . Uniuscujusque Canonici reditus in totum summam annuam scutorum sexaginta non excedunt , si excipiantur Canonici

Theologus, & Pœnitentiarius, qui Præbendam habent paulo pinguiorem pro eorum respectivo graviore onere: prout ex attestatione Canonici Procuratoris hic adnexa signata litt. D. Unde alia media suppetere non videntur. Pro restauratione autem Sacrarum requiritur summa scutorum biscentum, & ultra, non comprehensa alia majori summa, quæ pro ornatu eroganda esset, prout ex adnexa Peritia signat. litt. E.

Quoniam verò EE. VV. (sic informationem conficit Episcopus) = Meum dignantur exquirere sensum, ut Vestris veneratissimis mandatis obediam, arbitrarer, quod posset petitioni Oratorum indulgeri, quoad aliquam portionem fructuum decursorum ex Censibus solvendorum a Personis non miserabilibus, tum attentis novis impensis, quibus Sacrificia subiicitur, ex celebratione Missarum huiusmodi Pii Legati, quæ numerum mille, & quingentarum usque modo quotannis excedunt, tum etiam habita ratione ad arbitrium, quod Testator executori suo elargitur condonandi videlicet Debitoribus censuum Fructuum aliquam quantitatem; Quo arbitrio videtur, quod uti possit absque tam eorum, quam Legati Pii læsione, condonando illis quantumlibet minimam portionem, & quam pro arbitrio posset illis condonare, Sacrificiæ applicando, quatenus ita EE. VV. arrideat.

Quid in separatione Parochialium Ecclesiarum servandum sit, decrevit Synodus Tridentina sess. 21. de reform. cap. 7. ibi = Parochiales vero Ecclesias, etiam si juris patronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent, ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos, omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota =

Quoad restorationem verò Ecclesiæ Cathedralis, celebris est Sperell. decis. 68., in cuius num. 20. hæc habentur = Si agatur de instauranda Ecclesia Cathedrali, latior distinctio, seu graduatio facienda est, nam & hoc casu prius ad portionem pro fabrica destinata, deinde recurrendum est ad consuetudinem, quibus cessantibus Episcopus tenetur quartam partem fructuum suæ mensæ tam præsentium, quam præteritorum impendere, qua non sufficiente, pro fabrica necessaria, non tamen ad ornatum, tenentur Canonici de præbendis, deducto ne egeant, contribuere, & il-

illis quoque non sufficientibus, possunt ceteri in dicta Ecclesia Beneficiati juxta vires, & deinde etiam totus Clerus ab Episcopo cum consensu majoris partis Capituli ad contribuendum cogi, & denique in subsidium tenetur contribuere Populus, ita latissimè varias antiquorum reassumens opiniones consuluit Boerus *conf. 3. per tot. Barbosa conf. 25. vol. 3. = Manuentio autem; seu reedificatio Ecclesiæ, ædiumque illi adnexarum eodem jure definitur juxta Cap. Boni Principis dist. 96. & firmavit Rota in Constantien. Reedificationis Ecclesiæ 3. Martii 1758. §. 7. cor. Ratta.* Cæterum si alia desint media, Missarum celebrationem intermittendam esse, ut reditus erogentur in reparationem Ecclesiæ docent *Amosiaz. de Causis piis lib. 1. cap. 14. num. 36., & Episcopus Brasch. de libert. Eccles. to. 3. cap. 24. n. 20., & 26.* Vtrum verò alia in casu, de quo agimus ad sint media: Commutationi voluntati locus an sit, & pro eadem commutanda necessariam, vel justam exhibeant nè Canonici Oratores causam dignabuntur EE. VV: perpendere, ut definiant.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Reformentur preces, & ad D. Secretarium ad mentem.

*Sess. 25. cap. 5.
de Reform.*

BURGI S. DONNINI BENEFICII. Inter Beneficia, quæ sunt in Collegiata Ecclesia S. Bartholomæi Terræ Buxeti Diæcesis Burgi S. Donnini simplex adest, & per antiquum liberæ collationis Beneficium sub titulo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis fundatum, & erectum ad Altare Sanctissimi Sacramenti dictæ Collegiatae Ecclesiæ. Perit hujus Beneficii fundatio, ita ut, qui fuerit Fundator, quæ onera, quas leges & conditiones ipse præscripserit, & quos redditus assignaverit, penitus ignoretur. Vetus, modernisque pervolutis Codicibus Capitularibus, nec non Tabellis, actisque Sacrarum Visitationum, nihil certi ex eis compertum fuit relative ad onera Beneficii per Beneficiatum implenda. Ex Sacra Visitatione anni 1604. habetur, Beneficium sub titulo San-

Sanctissimæ Assumptionis esse *redditus annui scutorum quinquaginta cum onere Missarum trium singula hebdomada, & unius Annuersarii singulo anno.*

In posterioribus actis Sacrarum Visitationum, nec non in Tabellis, Codicibusque Capitularibus descripta fuerunt onera Beneficii modò in solemni Missa canenda in die festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, modò in tantum Missa quolibet die Dominico celebranda, frequentius tamen in duobus Missis qualibet hebdomada, cum Anniversariò quolibet anno pro Defunctis. Hoc tamen ex eis patet à centum, & ultra retro annis, quòd cum Beneficiatus neglexisset implere onera Beneficii, Episcopi pro tempore existentes in actu Sacræ Visitationis decreverunt, onera à Beneficiato esse adimplenda, aliàs fructus Beneficii sequestrandos, dimittendosque. Ast si Beneficiatus Decretis paruerit, vel si redditus sub sequestro positi fuerint, vel dimissi, nulla in eisdem actis Sacrarum Visitationum legitur facta adnotatio.

Hoc Beneficium nunc possidet Clericus Julius Civetti, qui onera Beneficii negligit, ut neglexerunt ejus Prædecessores. In postrema Sacra Visitatione cum vigilantissimus Episcopus Tabellas, Codicesque satisfactionis piorum onerum legisset, illum vocavit, ut doceret de sua exemptione adimplendi onera Beneficii saltem in duabus Missis qualibet hebdomada, & in uno Anniversario quolibet anno, ex adverso Clericus excipiebat, non univocas, nec certas esse quoad Missarum onera enunciativas tum in actis Sacrarum Visitationum, tum in Tabellis, Codicibusque Capitularibus emissas, nec non attento illorum inadimplemento per lapsum centum, & ultra annorum sequuto, ideoque se non teneri ad adimplementum dicti oneris.

Qua de re Beneficiatus, consentiente Episcopo, preces obtulit Sacratissimo Principi ad hanc Sacram Congregationem remissas, postulans declarari, ipsum vi centenariæ, & præscriptionis exemptum esse ab onerum implemento, vel aliquam prædictorum onerum imminutionem fieri debere.

Litteræ pro Informatione, & voto, ut moris est, datæ fuerunt Episcopo, qui retulit, in Episcopali Cancellaria incassum perquiri Tabulas Foundationis, retulitque = *ex libris Sacristiæ constare de sequuto officii annui adimplimento soluta eleemosyna à Rectore unius Ducati argen-*

rei usque ad annum 1634., & non ultra; de celebratione item Missarum duarum qualibet hebdomada usque ad annum 1635., inde autem ad annum 1665. unius tantum Missæ hebdomadalis, illud etiam addendo coactos fuisse pluries ab Episcopis Visitantibus Rectores ad prædictum implementum.

Profèquitur Episcopus, probationem onerum existentiae; quavis interrupta contraria observantia, resultare ex vetustis Tabellis, & ex antiquis, recentibusque Visitationum actis de annis 1600., 1621., 1627., 1636., 1661., 1676., 1678., 1682., 1687., 1714., 1736., 1744., & 1755., in quibus nedum frequentius adnotata fuerunt onera Beneficii duarum Missarum qualibet hebdomada, & unius Anniversarii quolibet anno, sed etiam monitos fuisse Rectores, ut illa adimplerent sub pænâ fructuum sequestri, & dimissionis.

Subditque = *Ex hisce facile perspicient Amplissimi Patres univocas esse, & coherentes Tabellarum, & Visitationum enunciativas circa oneris expressionem; quin aliquid turbet unica enunciativa trium Missarum expressa in prima visitatione Episcopi Picedi anno 1604. Retento enim, quod onus trium Missarum quod est majus, non excludit onus duarum, quod est minus; diversa hæc expressio vel ex Notarii errore potuit accidere, vel si attendi debeat, contra Beneficiatum probaret. Neque officit altera enunciativa Visitationis Episcopi Pallavicini anno 1661., qua dicitur = Rectorem Grisum habere onus Missæ Dominicalis = Non enim enunciativa oneris Missæ Dominicalis excludit onus alterius ferialis positivè, pluriesque enunciatum, expressum, ordinatumque in Tabellis, Libris, & aliis Visitationibus, illudque infertur, Rectorem nostrum onus duarum Missarum hebdomadalium habere, unam die feriato adimplendam, alteram die Dominico assignatam.*

Addit, non refragari allegatam centenariam inobservantiam, quia eam alleganti incumbit onus probandi per univocas probationes, & per negativam, ut ajunt, coarctatam, quoties adversus ipsam contraria urget adimplenti possibilitas, & quatenus illa probaretur, abusus esset, & corruptela omnino corrigenda, utpotè Fundatoris voluntati, & Visitationum Decretis contraria. Nec esset illa attendenda in linea interpretativa, nec in linea præscriptiva, nec in linea præsumptiva, quia hæc locum habere tantum potest in re dubia, secus autem in subiecta facti specie, in qua *existentia oneris duo-*

rum Sacrorum in hebdomada, & unius officii annui dubii caret omnino. Non in linea præscriptiva, quia in Beneficiis dari non potest onerum præscriptio, & quia tot concurrunt adnotationes in Tabellis, & in Codicibus Capitularibus, tot Visitationum acta, tot decreta, totque ordinationes fere usque ad hodierna tempora editæ, ut quamlibet præscriptionem elidant, atque reiiciant, præsertim favore Operis pii, quod ad vindicandum jus suum per se ipsum agere non potest.

Demum nec etiam in linea præsumptiva, quia præsumptio melioris tituli, ut vocant, de Mundo; quod veritat cedat oportet *eo ipso, quod supervenientiæ novi tituli possibilitas allegari nequeat, immo impossibilitas cujuscumque melioris tituli excogitabilis possit ostendi ex adverso. Præsertim urget Episcopus, hanc præsumptionem exemptionis ab oneribus Oratorem desumere non posse ex Fundatione, quam numquam inventam fuisse non obstante quacumque diligentia testantur tum ipse met, tum ejus Avus antecessor = Non itidem ex Reductione = quæ locum habere nequit, nisi quando Bona assignata ita imminuantur, ut ipsorum redditus pares non sint onerum supportationi. Reddituum autem incongruitas temere allegaretur, cum ex publicorum Compartiti generalis Librorum adestatione ab ipsomet Oratore producta appareat, eadem met Bona, quibus Beneficium dotatum erat ante annum 1588., adhuc immutata, & non imminuta existere, fructusque non impares modò, sed abundantes potius, & scutorum 50. monetæ Romanæ valorem superexcedentes quotannis ferre, quin imo censendum videtur, relatam reddituum abundantiam concludentissimæ præsumptioni pro controversorum onerum existentia locum præbere.*

Huic hypothese congruere sustinet laudatus Episcopus Resolutionem editam ab hac Sacra Congregatione in *Causa Vercellen. diei 21. Novembris 1750.*, in qua definitum fuit, onera Missarum ex Episcopali Visitatione adnexa cuidam Beneficio, de cujus fundatione nulla extabat memoria, esse adimplenda, licet vetusta consuetudine ab anno 1670., & antea ad annum 1750. eadem onera non adimplerentur, ad quem effectum fuit etiam denegata remotio sequestri ab Episcopo impositi. Concluditque his verbis = *Gaudebo autem, si nimirum rigorem agnoscentes Eminentissimi PP. in duorum Sacrorum quæsumque hebdomada, unius die Dominico, alterius die*

feriato, & unius Officii Defunctorum quolibet anno onere Oratori injungendo, postquam nullo se adhuc pondere gravatum sensit, levisque, & immunis unà cum Avo suo Antecessore ab omni onere usque adhuc incessit, ejusdem Oratoris petitis indulgeant.

Hæc Episcopus. Nunc pertinet ad Eminentissimos Patres, quod sequitur, Dubium expedire,

An, & in qua quantitate Missæ sint celebrande à Rectore Beneficii sub titulo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in casu &c.

Affirmativè, & duas Missas esse celebrandas qualibet hebdomada; unam scilicet die Dominico, & alteram die feriato, necnon unum Anniversarium quolibet Anno infra Octavam Commemorationis Omnium Defunctorum,

Reliquæ non propositæ,

*Sess. 25. cap. 13.
de Reform.*

CAMERINEN. PRÆEMINENTIARUM. Intèr Capitulares Cathedralis Ecclesiæ Camerinensis adest Archidiaconus, qui prima dignitas est post Pontificalem. Is pluribus supra Canonicos gaudet præeminentiis, pluribusque prærogativis. Hanc Archidiaconalem Dignitatem nunc possidet Sacerdos Angelus Maria Carsidoni Pizzicanti. Plures in Capitulo introducti fuerunt usus, sive abusus jura præsertim, præeminentias, & prærogativas Archidiaconi summopere lædentes, quorum postremus, qui hodiernæ liti causam dedit, fuit prætentum jus convocandi Capitulum super Capitularibus negotiis, quod proprium esse Archidiaconus contendebat, & è converso sustinebatur, hoc jus ad Episcopum tamquam unum ex Canonicis pertinere debere.

Ad omnes itaque amputandas quæstiones inter Capitulares exortas, simul & ad tollendos abusus, vindicandumque proprium, ejusque Successorum jus, hodiernus Archidiaconus supplices porrexit preces huic Sacræ Congregationi postulans, ut per eam tollantur abusus, utque præsertim manuteneatur Archidiaconus in ejus quieta, & pacifica possessione juris convocandi Capitulum relativè ad ea, quæ propria Capituli negotia respiciunt.

Super his auditis Camerinensis Antistes retulit in ejus satis proluxa Informatione, ad ipsum tamquam Episcopum, &

Ca,

Capitularem pertinere jus convocandi , & intimandi Capitulum , subditque his verbis = *Quoniam vero novitatum , & diffidiorum sum inimicus , & antiqua favore Archidiaconi inolevit consuetudo , Capitula nimirum convocandi absque prævia Episcopi intelligentia , atque consensu , ritum istum cæteroquin congruum , & necessarium invehere nec cogito , nec contendo . Potestatem vero , quæ mihi sufficit , ut sit cum Archidiacono cumulativa Comitium intimandi independentem ab illo , vocato tamen ad instar reliquorum , hanc profecto factam , testam servare concupisco* = Censuitque , Archidiaconi preces esse reiiciendas .

Post hæc processum fuit ad Dubiorum concordationem ; Decem Dubia singulas quæstiones complectentia concordata , obsignataque fuerunt , eorumque novem (secundo excepto Dubio , quod subinde fuit ex parte Capituli volitum , concordatumque] exhibitis in Capitularibus Comitibus diei 18. Junii superioris anni 1780. , ut Capitulum sciret , quid esset in hoc Sacro Tribunali disceptandum , & definiendum ; Canonici quodam septimum Dubium declararunt , quod cum quæstio in eo contenta non respicit jura Capituli , idcirco de eo nullo modo certare intendunt .

Præterea relative ad *quintum* Dubium declararunt , quod excepta thurificatione facienda Vicario Generali prælativè ad Archidiaconum , & Canonicos , in reliquis circa thurificationem non esse cum Archidiacono contendendum . Animadverterunt tamen Canonici , pervetustam esse consuetudinem in Capitulo thurificandi post Vicarium Generalem Canonicos , qui sunt in Stallis ex latere ejusdem Vicarii Generalis , iisque thurificatis , prosequendi thurificationem Canonicorum in alia Stallorum parte existentium , in qua primus sedit Archidiaconus .

Quò verò ad *sextum* Dubium retulerunt Canonici , possessionem Canonico noviter de Canonicatu proviso dandam esse sive à Vicario Generali tamquam Delegato Apostolico , sive ab Episcopo , sive à Capitulo , quatenus illius provisionem obtinuerit ab eorum alterutro , proindeque declararunt , nihil esse quoad hanc quæstionem judicialiter agendum .

Rursus quoad quæstiones sub *quarto* Dubio comprehensas constitutum fuit a Capitularibus per secreta suffragia , sextamen exceptis Canonice , qui à suffragio ferendo sese abstinuerunt , esse Archidiacono totis viribus contradicendum , semelac contendat se posse independentem

ab Episcopo ; & à Capitulo variare juxta circumstantias Tabellam horariam , eandemque contradictionem fieri debere quoad quæstiones tam in primo , quàm in tertio , quàm etiam in octavo , nono , & decimo Dubio contentas .

Quibus absolutis , sex illi Canonici in ipso met actu Capitulari solemnem , & ab ipsis obfignatam emisertunt protestationem , declarantes , injustam esse judicialem contradictionem assumendam à Capitulo contra Archidiaconum , ideoque se nolle subire Litis expensas , nec à Capitulari Massa illas esse sumendas .

Jura , & documenta utrinque proferenda perpendent Eminentix VV. , a quibus definienda erunt sequentia Dubia .

CAMERINEN. PRÆEMINENTIARUM cujus X. sunt Capita .

- I. *An functiones spectantes ad Episcopum juxta formam Cæremonialis , eodem Episcopo absente , vel impedito , spectent ad Archidiaconum privativè quoad Præpositum , & alios Canonicos in casu &c.*
- II. *An , & quomodo sint observandæ Tabellæ Capitulares , quoad assignationem Functionum singulis Capitularibus in casu &c.*
- III. *An dicto Archidiacono competat jus exercendi munus Præfecti Choro , eoque absente , vel impedito , idem jus competat Præposito , & successivè alteri digniori de Capitulo in casu &c. = & quatenus affirmativè .*
- IV. *An sustineantur Resolutiones captæ in Capitulo diei 8. Augusti 1779. in casu &c.*
- V. *An , & qualis ordo servari debeat in thurificatione Vicarii Generalis , Archidiaconi , aliorumque Canonicorum in casu &c.*
- VI. *An Archidiacono , & respectivè Præposito , aliisque Canonicis ordine successivo competat jus admittendi novos Canonicos ad possessionem Canonicatum privativè quoad Episcopum , ejusque Vicarium Generalem , & quæ forma sit servanda in casu &c.*
- VII. *An jus convocandi Capitulum pro negotiis Capitularibus competat Archidiacono , & Canonicis ut supra privativè quoad Episcopum , ejusque Vicarium Generalem in casu &c. = & quatenus affirmativè .*
- VIII. *An sustineatur resolutio de ineundis Comitibus Capitularibus singulis secundis Dominicis cujuslibet mensis absque ulla prævia intimatione in casu &c.*
- IX. *An Canonici instantes pro convocazione Capituli teneantur*

tur præventivè denunciare Archidiacono negocia in eodem Capitulo tractanda in casu &c.

X. *An Archidiacono debeantur distributiones pro tempore ejus absentia in casu &c.*

AUXIMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Po-* Sefs. 25. cap. 5.
liffena de Confaloneriis Vidua Joannis Baptistæ Gu- de Reform.
zzolini Auximanæ Civitatis anno 1591. Testamentum,
condidit, quo mandavit, quòd infra scripti sui hæredes
teneantur, & debeant, completo quarto anno à die sue
mortis, sumere summam scutorum quadringentorum, vi-
delicet scut. 400. monetæ Marchiæ ad grossos viginti pro
scuto ponere ad Censum perpetuum, & cum ipsis annum
perpetuum Censum emere super aliqua re stabili fundatum
ad rationem octo pro centenario, quæ quidem scuta qua-
dringenta semper, & omni tempore, & in perpetuum sint,
& permaneant ad Censum perpetuum, & non in alio usu,
sive in aliis Bonis Stabilibus erogari, & converti possint,
cum expressa conditione in perpetuum inviolabiliter obser-
vanda, quòd de fructu dicti annui Censui emendi annis sin-
gulis perpetuis futuris temporibus in perpetuum nubantur,
& nubi debeant duæ Pupillæ = quotannis sorte extrahendæ.
 Hæredes autem instituit Ludovicam Guzzolini fi-
 liam suam pro medietate, & pro medietate altera Joan-
 nem Baptistam Pranzoni de Guzzolinis ejusdem Ludovi-
 cæ Virum.

Nec primi, nec posteriores Testatrix Hæredes emerunt
 umquam Censum in sorte scutorum quatuorcentum, nec
 umquam Dotes ab ipsis juxta Polissenæ voluntatem colla-
 tæ fuerunt. Adversus Ludovicum Antonium Pranzoni,
 ad quem Polissenæ hæreditas obvenerat, insurrexit an-
 no 1695. Rev. Fabrica S. Petri pro Dotium non facta col-
 latione, & pro assignatione Fundi pro Dotibus in pe-
 steriorum distribuendis, & voti compos in omnibus effecta
 fuit eadem Rev. Camera per Sententiam definitivam, à
 qua dictus Ludovicus Antonius appellavit. Pendente
 Causa in gradu appellationis, res composita fuit stipulata
 Transactione de anno 1697., vi cujus idem Ludovicus
 Antonius certam pecuniarum quantitatem rependit Rev.
 Fabricæ pro Dotibus non collatis, & aliis in posterum
 conferendis assignavit Prædium in Auximano Territorio
 situm in Contrata = del Mazzo = pro illius quantitate Salmarū
 trium cum rurali Domo valoris juxta Peritorum factam
 æstimationem scutorum quatuorcentum duodecim, &
 cum illius fructibus, demptis oneribus, & expensis, Dotes
 ha-

hactenus distributæ fuerunt modò in majori, modò in minori pecuniarum quantitate juxta redditus superextantes. Polissenæ hæreditas nunc possidetur à Cajetano Dionisi, qui advertens proximam assignati Prædii sterilitatem ob neglectam illius culturam, & manutentionem faciendam à Puellis, quarum est Prædium, nec non incertitudinem fructuum, qui à Tempestatibus vel uberioribus, vel sterilibus profiliunt, ac demùm Puellarum necessitatem pro consequenda Dote, pro qua fructus non adhuc maturi venduntur viliori pretio, & alia, quæ sunt in eorumdem Puellarum præjudicium, preces porrexit huic Sacræ Congregationi, ut sibi, vel hæreditati retrocedatur dictum Prædium, ut supra, pro Dotibus assignatum, sese obstringens anno quolibet ad geminas conferendas Dotes in pecunia numerata ad rationē scutorum sexdecim pro qualibet, ut Testatrix præscripserat, itaut firma, certa, & perpetua sit Puellarum dotatio, conditione tamen in permutationis, sive retrocessionis Instrumento adicienda, quòd retrocessum Prædium futuris inde temporibus intelligatur, & stare debeat pro Fundo pro Dotibus assignato, nec illud unquam à quolibet in Hæreditate Successore vendi, obligari, vel hypothecari possit.

Auditus fuit, ut fieri solet, Eminentissimus Cardinalis Auximanus Episcopus, qui vera esse dixit, quæ Orator in precibus exposuerat, ac subdit, nihil ob stare posse, quòd egit antedictus Ludovicus Antonius solutione facta Rev. Fabricæ, & Prædii assignatione pro Dotibus, quia *Hæres tenetur servare factum Testatoris, non autem defunctorum Hæredum, qui usumfructum perceperunt hæreditatis.*

Ac prosequitur = *Perpenſa ulterius miserabili conditione Puellarum, quæ dotandæ sunt, certum, ac compertum habeo ex captis Informationibus à fide dignis, easdem fructus assignati Prædii intempeſtively alienare, ac vilissimo pretio vendere, licet aliquoties ad summam viginti, & ultra scutorum pro qualibet Puella ascendere possent ob illorum incertitudinem, & morem = Quapropter suum aperiendo sensum sic ait = equam rem petere modernum Possessorem arbitror, qui præſatum Prædium pro Fundo cenſito, ac indemnitate pii Legati offerens cum annua solutione scutorum triginta duorum pro binis Puellis dotandis, haud defraudandam mentem Testatricis, sed satis superque adimplendam curat.*

Quid autem expediat, ut servetur mens Testatricis, utque Puellæ tutæ sint in assequenda Dote in pecunia numerata, ipsi viderint Eminentissimi Patres, ut decernant.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c. Die

Die Sabbathi 7. Aprilis 1781. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EX Folio postremæ Congregationis habitæ die 17. nuper elapsi Mensis Martii geminæ superfuerunt Causæ, quæ priori loco subiiciuntur. Rogantur itaque Eminentissimi Patres, ut, resumpto dictæ Congregationis Folio, eorundem Causarum Dubia definiant.

CAMERINEN. PRÆEMINENTIARUM cujus X. sunt Capita. *Sess. 25. cap. 13. de Reform.*

- I. *An functiones spectantes ad Episcopum juxta formam Cæremonialis, eodem Episcopo absente, vel impedito, spectent ad Archidiaconum privativè quoad Præpositum, & alios Canonicos in casu &c.*
- II. *An, & quomodo sint observandæ Tabellæ Capitulares, quoad assignationem Functionum singulis Capitularibus in casu &c.*
- III. *An dicto Archidiacono competat jus exercendi munus Præfecti Choro, eoque absente, vel impedito, idem jus competat Præposito, & successivè alteri digniori de Capitulo in casu &c. = & quatenus affirmativè.*
- IV. *An sustineantur Resolutiones captæ in Capitulo diei 8. Augusti 1779. in casu &c.*
- V. *An, & qualis ordo servari debeat in thurificatione Vicarii Generalis, Archidiaconi, aliorumque Canonico- rum in casu &c.*
- VI. *An Archidiacono, & respectivè Præposito, aliisque Canonicis ordine successivo competat jus admittendi novos Canonicos ad possessionem Canonicatum privativè quoad Episcopum, ejusque Vicarium Generalem, & quæ forma sit servanda in casu &c.*
- VII. *An jus convocandi Capitulum pro negotiis Capitularibus competat Archidiacono, & Canonicis ut supra privativè quoad Episcopum, ejusque Vicarium Generalem in casu &c. = & quatenus affirmativè.*

VIII. *An*

- VIII. *An sustineatur resolutio de ineundis Comitibus Capitularibus singulis secundis Dominicis cujuslibet mensis absque ulla prævia intimatione in casu &c.*
- IX. *An Canonici instantes pro convocatione Capituli teneantur præventivè denunciare Archidiacono negocia in eodem Capitulo tractanda in casu &c.*
- X. *An Archidiacono debeantur distributiones pro tempore ejus absentie in casu &c.*

Ad I. Affirmativè , & amplius = Ad II. Affirmativè in iis , quæ non adversantur Cæremoniali Episcoporum , & amplius .

Ad III. Affirmativè absente Episcopo , & amplius = Ad IV. Negativè .

Ad V. Thurificatio prius Vicario Generali , exhibendam esse thurificationem Archidiacono , vel Præposito , aliisque in eadem parte Chori succedentibus , & amplius = Ad VI. Jus admittendi novos Canonicos ad possessionem Canonicatum spectare ad Capitulum juxtà formam hætenus observatam , ut nempe post Fidei Professionem , & juramentum coram Archidiacono , vel etiam altero digniore , eo absente , præstitum novus Canonicus installetur per duos Canonicos a Capitulo deputandos , nisi alii Executores in Literis Apostolicis dati fuerint , & amplius .

Ad VII. Affirmativè = Ad VIII. Negativè = Ad IX. Negativè .

Ad X. Provisum per Dominum Secretarium .

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

AUXIMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM , in qua respondendum est .
An , & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Non proposita cum sequentibus .

VIGLEVANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Causa hæc data fuit in Folio Congregationis habitæ die 10. transacti mensis Februarii, fuitque in eadem postrema Congregatione diei 17. mox elapsi mensis Martii, re-scriptum = Dilata, & proponatur in prima = Mandant tamen Eminentissimi Patres, ut afferrentur in Folio particulæ essentialis Instrumenti stipulati inter Confraternitatem, & hæredes Fundatoris. Nunc eas damus obtemperantes imperio Sacri hujus Tribunalis.*

Oñus Missæ quotidianæ, quod Joannes Franciscus Garrone Fundator præceperat adimpleri à Confraternitate Beatæ Mariæ Virginis *della Neve* per Sacerdotem nominandum à Cæsare Rossi, ejusque Descendentibus, solutis à Sodalitio Sanctissimæ Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis hærede proprietario instituto annuis libris biseñtum Imperialibus, post tamen obitum Isabelle Trincheriæ Uxoris suæ, quam sibi hæredem scripserat usufructuariam, cum antedicta Confraternitas *della Neve* acceptare recusasset, ex quo nihil fuerat pro utensilibus, sacrarumque suppellectilium perpetua manutentione relictum, hinc inita Concordia fuit die 2. Februarii 1622. Confraternitatem inter, & Fundatoris Viduam, & hæredem usufructuariam, cui quammaximè cordi erat, ut Anima Defuncti Viri sui etiam ante præscriptum tempus suffragaretur.

In hac igitur Concordia conventum fuit = *quòd dicta Isabella teneatur, & obligata sit in supplementum, & pro supplemento oneris celebrationis dictæ Missæ quotidianæ, ut supra legatæ per dictum quond. Joannem Franciscum Garonum ejus Maritum, & contemplatione suppellectilis, vini, cere, servitutis, & aliorum necessariorum, ultra dictam eleemosynam, seu emolumentum librarum ducentum subministrandarum Sacerdoti celebraturo dictam Missam quotidianam, & pro illius celebratione assignare, dare, & vendere, prout tenore præsentium assignat, dat, tradit, & vendit dictæ Confraternitati S. Mariæ Nivis, & illius pro tempore Confratribus annum censum librarum nonaginta imperialium, & Capitalis librarum mille ducentum impositum &c. aliàs per ipsam Isabellam acquisitum à Vincentio Nigrone nuncupato Bellotto, ut patet ex Instrumento, de quo fui rogatus ego Notarius infra-scriptus die 5. Novembris proximè præteriti, sive &c. ad quod &c. = illiusque promisit evictionem = pro suo dato, & factò tantum = & in casu illius redemptionis = pretium denuo implicetur, ita quòd illud semper implicatum remaneat ad effectum prædictum, quia sic &c.*

Conventum itidem fuit = quod dicta Confraternitas teneatur acceptare, ut ex nunc dicti Deputati modo, quo supra acceptarunt, & acceptant in se, & super se, & in ipsam Confraternitatem dictum legatum annuum librarum ducentum imperialium, ut supra factum per dictum quondam Joannem Franciscum Garonum onus celebrari facere dictam Missam quotidianam ad formam dicti Legati, de quo dictæ Partes ad invicem &c. protestantur habuisse, & habere plenam notitiam, & scientiam &c., ac solvendi Rev. Cappellano, seu Sacerdoti dictam Missam celebraturo nominando, & eligendo per hæredes dicti quond. Cæsaris Rosci ad formam dicti legati libras ducentum imperiales singulo anno, & subministrandi omnia alia necessaria circa celebrationem d. Missæ quotidianæ, quantum sit ab hodie in antea, & seu à die constitutionis, & venditionis dicti Censu citra, & in antea, ipsa tamen Isabella, ejus vita durante, subministrante, dante, & solvente præfatæ Confraternitati dictas libras ducentum imperiales singulo anno pro dicto Legato.

Additumque voluerunt Contrahentes, quòd = ubi dictus Rev. Cappellanus, seu Sacerdos eligendus, ut supra, noluerit celebrare, vel dicti hæredes negligentes fuerint in eligendo, nominando, & deputando Sacerdote pro celebratione dictæ Missæ quotidianæ, illam teneatur dicta Confraternitas, & illius pro tempore Confratres teneantur cum effectu celebrari facere ab alio Sacerdote ad formam semper præscriptam in dicto Legato,

Hæc sunt, quæ in suprascripto Transactionis Instrumento stipulata fuerunt. Superest nunc, ut Eminentissimi PP., iis perpensis, resumptoque folio dictæ Congregationis diei 10. Februarii prox. præt. definiant.

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ quotidianæ in casu &c.

FIRMANA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE . Delatis ad Firmanam Curiam nonnullis querelis adversus Sacerdotem Franciscum Monti Parochum Ecclesiæ S. Mariæ ad Mare in Castro Turris Palmaram, dum pro confectioe Processus Notarium expedire Archiepiscopus decreverat, accessit relatio, quòd idem Parochus Baptismum iterum contulerat Infanti rite baptizato; Novo itaque hoc factò per ipsum Notarium Archiepiscopi jussu etiam examinato, confectoque de super Processu, depræhensum est, quòd dictus Parochus licet de collato per Medicum loci Baptismo ob imminens periculum bis ab Obstetrice rotundis verbis monitus fuisset, voluit nihilominus Sacramentum iterum *sub conditione* conferre.

Cum verò de ritè per eundem Medicum collato Baptismo nulla Parocho fuerit rationabilis causa dubitandi, eundem in irregularitatem lapsum fuisse existimans Archiepiscopus ad Curiam vocavit, Civitateque Firmi loco Carceris assignata, jussit, ut à Sacris ulterius abstineret, Æconomò interim pro supplendis Parochialibus muneribus deputato.

His omnibus qua par erat submissione adamussim obediens Parochus Archiepiscopum adivit suppliciter deprecans, ut tum de hoc Crimine, tum de aliis, quorum fuerat accusatus æconomica ratio haberetur, & omnia absque ulterioris Judicii forma absolverentur; Suam itaque Archiepiscopus Sententiam dixit super singulis criminibus, & præsertim super reintegratione Baptismi, circa quam decrevit, ut ad Sacram hanc Congregationem recursum haberet pro dispensatione obtinenda ab irregularitate.

Æquissimo huic Decreto iterum obtemperaturus Parochus preces S. huic Congregationi humilissime obtulit exponens, se licet conscium Baptismatis a Medico, qui puerperio adfuerat, collati, illud tamen *sub conditione* iterasse, itidemque post hanc iterationem bona fide ductum nunquam a Missa celebranda, Sacramentisque administrandis destitisse donec a propria Curia monitus fuit ut à Sacris abstineret usque dum S. hæc Congregatio super contracta irregularitate secum benigne dispensare dignaretur.

Datis literis Archiepiscopo Firmano pro informatione, & voto, factum iisdem pene verbis, ut supra narravimus, exposuit, precesque Oratoris veritati inniti adfirmavit addens, easdem in una dumtaxat re deficere, quæ post latam Sententiam ad Tribunalis sui notitiam delata fuit, cuique insimul est opportune consulendum, nimirum inquit

Archiepiscopus ex jurato Obstetricis dicto, ac etiam ex testibus extra Judicii formam auditis constat quod idem Orator in aliis octo casibus Baptisimum ab ipsa Obstetrice collatum iterum contulerit licet ab eadem in unoquoque casu opportune monitus fuerit. Utrum verò absolute, vel sub conditione id egerit est incertum; sed si libri Parochiales inspiciantur absolute iterum contulisse affirmari potest etiam in casu, de quo peculiariter agitur; nulla siquidem ibi adnotatio legitur prout opus fuisset de Baptismis sub conditione collatis; Sed omnia ita recensetur ac si res fuisset de Baptismis absolutis. Orator itaque non solum dispensationem ab incurta irregularitate in casu, de quo est sermo, petere debet; sed ut suæ consulat conscientiae etiam quoad alios casus superius relatos, & ad forum deductos post sententiam, licet Curia mea hactenus non inquisiverit; Suam deinde aperiens animi sententiam prosequitur Archiepiscopus. Exaudiendum porro Oratorem in ejus petitione censerem quandoquidem suspensionem patitur à divinis tribus (nunc verò quinque) ab hinc mensibus; & aliis, quæ in Sententia mea præscribuntur jam adamussim satisfacit præsertim quoad Fiscum, & Spiritualia Exercitia, quibus per lapsum dierum viginti quinque in hac domo missionis navavit; Emendandi tamen sunt libri Parochiales, sive potius adnotandum est id, quod describere Parochus omisit, ne aliàs illa insurgat spiritualis cognatio, quàm in hujusmodi Baptismis non intercessisse dicendum &c.

Dum hæc agerentur, aliæ oblatæ sunt preces ex parte Communitatis Turris Palmarum, cujus publici Repræsentantes, exposita prædicti Sacerdotis in obeundo Parochiali munere negligentia, & suspensione ob narratas Causas inflictæ, allegataque asserta ejusdem in latinis litteris imperitia ob pauca errata, quæ ex ejus calamo in Parochialium librorum Regestis irrepsisse noscuntur, suppliciter postularunt ab EE. VV. ut probum, doctumque Cappellanum Curatum, qui animarum commodis diligentius inserviat Parocho Oratori in posterum substituere dignarentur eo magis, quod hanc substitutionem commode fuerunt Parochiales redditus, qui summam scutorum 160. annuatim attingunt.

Duo itaque Eminentiss. Vestris ponderanda in hac Causa proponuntur; primum scilicet an irregularitatem incurrerit, & dispensationem nunc mereatur Orator Parochus, alterum an juxta Communitatis votum adiciendus eidem

eidem sit ex Officio Cappellanus, qui eundem in administranda Parochia coadjuvet.

Quoad primum cum nulla adsint argumenta positiva, quæ evincant Parochum absolute iterasse Baptismum, videtur standum esse dicto Oratoris, qui affirmat se *sub conditione* tantum rebaptizasse, quippe quia agitur de re, quæ pendet ab interna mentis intentione, de qua nemo melius testari potest, quàm idem Orator.

Posito autem, quòd novem Baptismata, de quibus agitur, *sub conditione* tantum iterata fuerint, negant aliqui non spernendæ auctoritatis tum Canonistæ, tum Theologi, irregularitatem in hoc casu incurri; inter primos numeratur præcipue Passerinus *in Capit. ut Inquisitionis de Hæreticis sub num. 57.*; inter secundos Gobat *tom. 1. tract. 2. sect. 3.*, Marin. *Theolog. tom. 3. tract. 19. disput. 1. sect. 8. n. 140.*

Inquiunt enim, fundamentum hujus irregularitatis unice constitui in *Capit. Ex Literarum 2. de Apostat.*, & *reiter. Bapt.*, ibique agi de Baptismo absolute, non autem sub conditione iterato, nec susceptorum Ordinum exercitium interdici, sed solum prohiberi ascensum ad majores, in quo notabile putant inesse discrimen; Innituntur insuper vulgatæ Regulæ, quòd in pœnalibus non sit locus argumentandi a casu ad casum diversum, quòdque pœnæ molliendæ sint potius, quam asperandæ *Leg. 56. & 155. de reg. jur.*, & *Leg. 42. ff. de pœnis*, proindeque concludunt promotum sub conditione rebaptizantem ex hujus Capituli tenore nullam contrahere irregularitatem.

Fatendum nihilominus est, contrariam Sententiam probabiliorem visam fuisse gravissimis Auctoribus, eamque præsertim doceri a Catechismo Romano *part. 2. de sacr. bapt. num. 57.*, ab Hostien. *in Capit. 2. de Apost.*, & *reit. bapt.*, & S. Carolo Borromæo *in inst. Act. Eccles. Mediolanen. part. 4. pag. 497. de forma condit. bapt.*, & a San. Mem. Benedicto XIV. tum *in Instit. Eccl. 84. n. 13.* tum *in Synod. Diœces. lib. 7. cap. 6. num. 3.*, qui omnes tenent irregularitatis laqueo etiam illum irretiri, qui sub conditione rebaptizat absque dubbio probabili prioris Baptismi.

Quòd verò ad Communitatis preces, quæ Cappellani Curati deputationem exoptulat, sunt quidem non levis momenti causæ a publicis Repræsentantibus adductæ; animadvertentem tamen est Parochum pro iisdem jam pœnas dedisse a suo Ordinario inflictas.

Quanti tamen & culpæ Parochi, & pœna ab ipso expleta

habendæ sint, & an per deputationem Cappellani Curati sit providendum, seu potius sperandum sit in futurum de solerti, & fideli Parochi administratione, pro eorum prudentia decernent Eñi PP., quorum judicio proponuntur sequentia Dubia.

- I. *An locus sit dispensationi ab irregularitate.*
- II. *An substitui debeat alter Cappellanus Curatus juxta preces Communitatis.*

Sess. 22. cap. 2. de Sacrif. Missæ, & Sess. 24. cap. 12. de Reform.

NULLIUS FERENTILLI VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Abbatia Nullius Ferentilli, quæ in spiritualibus subest *Lateranensi Capitulo*, unicam habet Collegiatam Ecclesiam S. Mariæ Materillæ nuncupatam: In ea quinque tantum adsunt Canonici, & Archipresbyter absque Clero: Canonicatus verò omnes, si Archipresbyterum excipias, & duos Canonicos Curatos, Jurispatronatus Laicorum, tennisque sunt reditus.]

Præfati Canonici, & Archipresbyter peculiare habent Constitutiones ab ista Sacra Congregatione, & *Sa. Mem. Clemente XIV. anno 1773.* confirmatas. Choro intersunt omnibus diebus Festis de Præcepto, de mane Missam, canunt tantummodo, de sero Vesperas, & Completorium; In Quardagesima de mane die Cinerum Missam, de sero singulis diebus ferialibus a Sabatho primo usque ad Sabathum Sanctum exclusive hora vigesima secunda Completorium: Item tres Nocturnos hebdomadæ Majoris, & de mane Functiones quintæ, sextæ Feriæ, ac Sabathi Sancti: Tandem omnibus intersunt processionibus generalibus, tam ex consuetudine quam de Præcepto, nec non extraordinariis.

Diebus solèmnioribus Archipresbyter privativè canit Missam, in reliquis Festis Archipresbyter canit Missam prima, & tertia Dominica, secunda Dominica Canonicus senior coadiutor, quarta Canonicus Coadjutor junior, quin-

quinta verò Dominica in aliquo Mense occurrente, alternatim: Cœteris autem Festis unusquisque canit in sua hebdomada.

At Missam Conventualem hactenus applicatam nunquam fuisse pro Benefactoribus cognovit vigilantissimus Patriarcha Alexandrinus Franciscus Mattei Canonicus Lateranensis quæ Præfectus, & Visitator præfatæ Abbatiae; Quare decrevit, ut Canonici infra duos menses peterent à Sancta Sede absolutionem quoad præteritum; quò verò ad futurum præcepit eam esse applicandam quotiescumque celebretur.

Archipresbyter tamen renuit eam applicare, quia eidem incumbit onus Missæ pro Populo; Reliqui Canonici prædictum onus ægre ferunt, quia Præbendarum reditus ad congruam scut. 30. vix, & ne vix quidem pertinent; Insuper singulæ Præbendæ pluribus Missis quolibet mense celebrandis obstrictæ sunt pro singulis illarum Fundatoribus; ceramque præstare debent ad sacras Capitulares Functiones peragendas: Ideoque pro revocatione prædicti Decreti, vel saltem pro dispensatione obtinenda prædictæ applicationis, nedum pro absolutione quo ad præteritas omissiones supplices accedunt ad hunc Amplissimum Ordinem. Quatenus autem hujusmodi petitio rejicienda videatur Dubium oritur, an, & quomodo dictæ applicationis sit consulendum, quo ordine, & per quos, an etiam Archipresbyter applicare teneatur. Nulla quippe extat Massa distributionum; Fallentiæ autem, si quæ sunt, non interessentium Choro, vigore prædictarum Constitutionum, Sacrarum favore Archipresbyter, & Canonici non interessentes persolvunt. Quapropter eleemosyna pro Missa Conventuali ex Massa distributionum, prout fieri solet, in casu, de quo agimus fieri nequit; Ideoque vel Canonici, & Archipresbyter, quilibet pro rata, contribuere debebunt eleemosynam pro Missa Conventuali, quin ordo præscriptus ad eandem Missam cum cantu celebrandam innovetur; vel ordo prædictus erit immutandus, ne aliqui Canonici, & præsertim Archipresbyter, graviori quàm cœteri, onere præmantur. Revera illud etiam perpendendum, an justa, & rationabilis sit Archipresbyteri repugnantia, qui licet si de gremio Capituli, in quo Canonici omnibus præcedit, exemptum se putat esse à præfato onere applicationis Missæ Conventualis, quia Missam pro Populo applicare tenetur.

Ad rem quod attinet, celebris est Constitutio = Cum semper oblatas 103. tom. 1. Bullarii sa. me. Benedicti XIV. Videnda insuper est Institutio 107. ejusdem san. mem. Pontificis, in cujus §. 2. num. 14. habetur = Siquis additus Choro animarum curam pariter obtineat, & ob eam causam diebus Festis pro Populo rem divinam facere debeat, falso speraret utrique præcepto satisfacere, celebrans nempe eandem Missam pro Populo, ac pro Benefactoribus suæ Cathedralis, aut Collegiæ. Quare decrevit Ecclesia a Sacerdote ejusmodi, si Sacrum Conventuale faciat, tanquam Canonicus, aut Beneficiatus, rem Divinam pro Benefactoribus generatim applicandam, & alium Sacerdotem accersendum eodem die, qui pro Populo celebret. Compertam quoque habuit Ecclesia falsam illam rationem, quæ ex immemorabili consuetudine desumitur, & eam nihili æstimandam declaravit. Insuper respondit sapienter paupertatem Ecclesiæ alicujus Cathedralis, vel Collegiæ in medium proferentibus; nam ratione paupertatis libita permisit diebus solum Festis celebrari pro Benefactoribus generatim Sacrum Conventuale, quod esset quotidie faciendum. Hoc autem præcepto neminem unquam Ecclesia fecit immunem, ac liberum, nisi cum apertissime inane manifestum fuit aliquam Ecclesiam haud recenseri inter Collegiatas, sed, ut ajunt, inter receptitias, aut Communales, quamvis in ipsa Hora Canonice quotidie celebrentur, & Missa cum cantu habeatur. = Affinis quodammodo Causæ species legitur in Faventina Missæ Conventualis proposita die 29. Aprilis superioris anni, & resoluta in sequenti Congregatione diei 3. Junii ejusdem anni. Primo sane ipsius Causæ Dubio = An ad celebrationem, & applicationem Missæ Conventualis teneantur tam Archipresbyter, & Canonici antiqui, quam Canonici, & Mansionarii novæ erectionis Zarabine in casu &c. = responsum fuit = Affirmative quoad omnes teneri per Turnum, & amplius, & ad mentem. Quarto autem ejusdem Causæ Dubio = An sit consulendum SSmo pro absolute quoad easdem Missas in præteritum non applicatas in casu &c. rescriptum prodiit = affirmative facto verbo cum SSmo = .

Postremo utrum Archipresbytero, & Canonicis Oratoribus absolute pro Missis Conventualibus in præteritum non applicatis impertiendam suadeant, tum eorum bona fides saltem usque ad diem præfati Decreti, tum etiam Præbendarum tenuitas, ex relatione laudati Canonici Præfati, & Visitatoris, qui superius allata

confirmans Oratorum preces una cum impigræ villicationis suæ ratione, ad hanc Sacram Congregationem transmissit, definiens EE. Vestræ, quarum sapientissimo iudicio tria proponuntur Dubia.

- I. *An Decretum in Sacra Visitatione factum sit exequendum in casu &c., & quatenus affirmative.*
- II. *An Archipresbyter, & qui Canonici, & pro qua rata pro elemosyna Missæ Conventualis contribuere teneantur, in casu &c.*
- III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione, quoad Missas in præteritum non applicatas in casu &c.*

NULLIUS FERENTILLI VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. In relatione Visitationis Abbatiæ Nullius Ferentilli, quam nuper fecit ex præscripto Constitutionis Benedicti XIV., quæ incipit *Quod Sancta* die 23. Novembris anni 1740. vigilantissimus ejusdem Abbatiæ Præfectus *Franciscus Patriarcha Alexandrinus* Canonicus Lateranensis Basilicæ, cujus Capitulo in spiritualibus subest prædicta Abbatia, duo inter cætera exhibuit Postulata, quæ ad totidem pia Legata rite adimplenda, recteque interpretanda diriguntur. In Collegiata Ecclesia Terræ Matterillæ extat Sancti Sebastiani Sacellum, cui bo. mem. Felix Bartolucci postremis Tabulis 23. *Octobris* anni 1528. plura reliquit Prædia; Onus autem imposuit Rectori = *Quod debeat celebrare Missas, & divina Officia in ipsa Cappella continuo diebus Dominicis, & Festis plus, & minus, prout videbitur Massariis Terræ Matterillæ, & ejus heredibus* (quibus reliquit jus nominandi), *& ipsas Missas, & divina Officia debeat dicere, & celebrare ad honorem Sanctæ Mariæ de Laureto, & pro anima ejusdem Testatoris, & remissione omnium suorum peccatorum, ac etiam pro omnibus eorum auctorum =*

Hac posita Dispositione, in aliquibus Visitationibus a decessoribus Præfectis expletis, decretum fuit, impositumque legitur onus Cathedismi, & Missam in Aurora celebrandi singulis diebus Festis. Prætereà idem Cappella-

nus annua scuta tria Organorum modulatori Ecclesie Collegiæ persolvit: Quo jure, non patet. Polimodum verò ob redituum imminutionem, nedum Cathedris omisa est, sed sæpe etiam Missarum celebratio, eam in medium aliquando proferentes Cappellani excusationem, quòd non infeterint Patroni, in quorum arbitrium putabant collatum Cappellani Missarum numerum. Quæritur ergo qua ratione quoad præteritum, & in posterum hujusce pii Legati implemento sit consulendum.

Perna Roscetti alterum pium Legatum, cujus legitima desideratur interpretatio, scripsit in ultimo, cum quo decessit elogio anno 1649. Hæc siquidem Sodalitio Mortis Terræ Montis Rivosi adimplendum reliquit Legatum = *di Messe tre ogni primo Lunedì del Mese all' Altare del Rosario, con una Messa cantata* = . In controversiam adducitur, utrum Missa cum cantu in tribus Missis sit computanda (uti hætenus servatum fere semper fuit), vel potius præter Missam cum cantu tres aliæ Missæ debeant celebrari.

Plura sane utriusque Legati peculiariora sunt, plura verò communia. Ad illa quod attinet; Cappellania S. *Sebastiani* nuncupata Prædiis aliquibus dotata fuit, quæ modò ipsa non possidet, nec possedisse, aut distraxisse aliquando constat. Ex hodiernis tamen redditibus annua scuta circiter sexdecim habet, & aliquantisper uberioribus erunt reditus, si nonnulla inculta Prædia in emphyteusim dentur. Quid verò a præfatæ Cappellaniæ Fundatore jussu sit, dum Rectori mandavit = *Quod debeat celebrare Missas, & Divina Officia in ipsa Cappella continuo diebus Dominicis, & Festis plus, & minus, prout videbitur Massariis?* An Missarum numerus etiam pro diebus Dominicis, nedum pro aliis Festis, & continua Divinorum Officiorum celebratio in arbitrium *Massariorum*, seu *Priorum* dictæ Terræ fuerit collata animadvertendum occurrit: Affinem facti speciem habent Eñi Patres in *Messanen. diei 4. Aprilis anni 1773.* resoluta in sequenti Congregatione *diei 16. Maii ejusdem anni*. Revera Officii Divini nomine Missæ Sacrificium satis intelligitur ex *Canone de iis distinct. 12. Benedict. XIV. Instit. 107. §. 7. num. 11.* In præsentia tamen Fundatione separatam legimus, & distinctam Missarum, atque Divinorum Officiorum celebrationem. Alterum verò pium Legatum quondam *Pernæ Roscetti*

annuos percipit reditus scutorum septem, & obulorum viginti ex Censibus in sorte scutorum 120. Viderint EE. VV. utrum demandata Missarum trium lectarum celebratio *con una Messa Cantata*, apertam, & indubiam exhibeat Testantis voluntatem celebrationis annuæ trium Missarum lectarum, & alterius Missæ cum cantu. Dictionis &, ideoque copulativa est, & conjunctionem inducit *ex Leg. Titii textores §. nihil differt. ff. de Legat. 1. Leg. si ita fuerit ff. de manumiss. Testam Leg. Si quis legaverit ff. de verb. signif.*, quibus adhæret *Barbosa dict. 75. num. 6.*, & 7. Sanè contraria observantia nullius est ponderis, cum certæ, & manifestæ piæ voluntati adversatur per ea, quæ sunt exposita in *Causa Burgi S. Donni Beneficii*, quam dedimus in *Folio postremæ Congregationis diei 17. Martii*.

Cæterum, ut jam ad ea gradum faciamus, quæ communia aliquo modo utrique Legato esse possunt, quando agitur de interpretandis ultimis voluntatibus dubietatem involventibus plurimum consuetudini defertur, & observantiæ, quæ etsi jus novum non constituat, per eam dubiæ, & subobscuræ Defunctorum voluntates interpretantur. *Cap. Cum dilectus 8. de Consuetud. Leg. si de interpretatione 137. ff. de Legib. Rot. cor. Royas. decis. 279. num. 12.*, & *in rec. decis. 220. num. 23. part. 11.* Insuper in obscura disponentis voluntate illa sumenda est interpretatio, quæ naturalis affectionis principis, ac rationi congruit, atque magis benigna est, & verisimilis, toto inspecto dispositionis contextu; adeo ut, si quid per errorem non bene scriptum, aut minus dictum sit, benigna interpretatione suppletur; prout passim Jura disponunt; præsertim *in Leg. Cum in testamento 24. ff. de reb. dub. Leg. Cum res in princip. ff. de Legat. 1. Leg. Cum proponebatur 24. ff. de legat. 2. Leg. non aliter §. 1. ff. de legat. 3. Leg. errore scribentis 7.*, & *Leg. Ambiguitates 22. Cod. de Testam.* Hisce accedit, interpretationem de jure faciendam esse contra eum, qui legem poterat apertius exponere, *juxta legale axioma 57. de regul. jur. in 6.*; nec non in dubiis minus onus impositum esse intelligendum *ex regula 9.*, & *47. ff. de regul. jur. amplexa in Cap. 30. de regul. jur. in 6.* statuente, minimum in obscuris esse sequendum.

Hæc omnia EE. VV. Sapientissimo Judicio proponuntur, ut quatenus constet de inadimplemento Legatorum, de-

clarent an consulendum sit SSmo, quoad tempus præteritum, & quomodo eadem pia Legata in posterum sint adimplenda. Duo sunt Dubia.

- I. *An constet de adimplemento Legatorum quondam Felicis Bartolucci, & Pernæ Roscetti in casu &c., & quatenus negativè.*
- II. *An, & quomodo illorum implemento quoad præteritum, & in posterum sit providendum in casu &c.*

*Sess. 21. Refor.
cap. 7. Sess. 22.
de Refor. Cap.
8., & Sess. 25.
de Refor. Cap. 5.*

NULLIUS LEPRIGNANI LEGATORUM. Joannes Franciscus Malatesta ultimo, quocum anno 1713. deceffit Testamento, Franciscum Mariam ejus filium universalem hæredem instituit. Voluit autem = *che il suo Erede, e suoi Successori in perpetuum, siano tenuti, ed obligati ben mantenere, e provvedere di quello sarà necessario alla Cappella di S. Filippo Neri fatta fare dal medesimo nella Chiesa di S. Lorenzo, esistente nel Territorio di questa Terra di Civitella, ed in quella il sudetto suo Erede, e juccessori in perpetuum, siano tenuti, ed obligati ogni anno solennizare la sudetta Festa con Messa Cantata, e primi, e secondi Vespri, ed altre Funzioni, che il sudetto Testatore è solito far fare, si ancora siano tenuti, ed obligati in detta Cappella farli celebrare ogni anno in perpetuum una Messa bassa di Requie la Settimana &c. come anche farli celebrare in ogni anno in perpetuum cinque anniversarii, e quella quantità di Messe, che si potranno averè in questa Terra &c.* Jussit præterea, ut ab hærede præfato scuta viginti quinque Sodalitio SSmi Sacramenti, totidemque scuta Communitati Civitellæ solverentur; onere utriusque adjecto perpetui Anniversarii; & scuta viginti alteri Sodalitio S. Laurentii, onere imposito celebrandæ unius Missæ in perpetuum quolibet mente.

Testatore vita functo, prædictus Filius, & hæres paternam adiit hæreditatem; Sed tres post annos, inadimpletis

majori ex parte piis Legatis, ex hac vita decessit. Huic superstites fuerunt tum Gregorius filius, qui pluribus abhinc annis Patria profugus, primo veluti occupanti Bona reliquit, quique jam est mortuus, tum etiam Catharina, & Maria Theresia filiae, quarum altera quinque ex Matrimonio suscepit filias; Hæ autem omnes, una excepta, in diversis nupserunt Regionibus. Bona itaque Joannis Francisci, quæ Creditorum evaserunt manus, divisionem profecto plures inter Familias effugere nequiverunt.

Rebus ita se habentibus, Legata pia omnino negligebantur, prout magno animi dolore anno 1777. reperit tunc temporis Abbas S. Pauli extra Urbis mœnia, occasione Sacræ Visitationis in Oppido Civitellæ, ubi spiritualement, atque temporalem Jurisdictionem exercet. Decevit ideo refici, & instaurari quidquid opus esset in dicto Sacello S. Philippi jam fatifcente, indicta sequestrationis pœna cuicumque Bonorum hæreditariorum Joannis Francisci possessori: infra trimestre solvenda pia Legata Sodalitati SSm̃i Sacramenti, & Communitati prædicti Oppidi: infra mensem incipiendam celebrationem Missarum, quæ fuerant omisæ, & prout angustia Loci patitur, diem omnino prosequendam: omnia demum enunciata Legata diligenter annuatim adimplenda. Hinc Promotor Fiscalis Curiæ Ecclesiasticæ in Possessorum contumaciam redditus omnes dictorum Bonorum sequestro subiecit.

Id inter cæteros ægretulit Maria Theresia Malatesta, sequestrum amoveri postulavit super Bonis, quæ ex juribus dotalibus possidere affirmat, & ex Matris Mariannæ dispositione, cujus favore, inquit, omnia, & singula Testatoris Joannis Francisci Bona erant obligata; Adeoque suppliciter hanc Sacram adivit Congregationem, rogans etiam, ut omnes, & singuli Joannis Francisci descendentes, & hæredes ad præstationem peculiaris Fundi adigantur, cujus redditus implendis oneribus sint pares.

Ablegatis precibus die 5. Septembris an. 1778. = Ordinario pro informatione, & voto, transmissa dispositione, auditis &c. non retardata interim executione Decreti ab Ordinario facti in actu S. Visitationis =, redditæ sunt ab eodem Ordinario informationis Litteræ die 1. Febr. 1779., in quibus Fateor (inquit) quod cum Testator nec redditus, nec bona taxative assignaverit pro adimplemento Legatorum, videtur, quod universæ suæ hæreditatis bona obliga-

re, et quæ hypothecæ subici voluerit, rerum attentis circumstantiis, perpensisque vicissitudinibus, quibus tum Familia, tum bona Testatoris obnoxia fuerunt, consultius provisum existimo implemento Legatorum per assignationem bonorum, cum præsertim in omnem casum deficientiæ generalis hypotheca super aliis bonis, si quæ aderunt, extincta non remaneat = Adeoque, subdit præfatus Abbas = . Hanc assignationem non aliter faciendam esse puto, nisi salva, ut dixi, hypotheca, qua prædictum Legatum pium potitur super universis bonis hæreditariis Joannis Francisci, & bona assignanda onerum supportationi sufficiant = . Ad exceptionem postremò à Maria Theresia datam se convertit laudatus Abbas, dicens = num juvari ei possit, ut immunis evadat ab onere præstandi supplementum pro satisfactione Legatorum in casu deficientiæ aliorum bonorum EE. VV. dijudicandum relinquo. Verum animadvertendum arbitror, quod dos dictæ Mariannæ, quemadmodum mihi asseritur, persoluta fuit Francisco Mariæ filio Testatoris, quin iste pro illius securitate propria bona alicui hypothecæ subjecerit.

Jam verò nunc citatis omnibus interesse habentibus, præfixoque termino ad jura deducenda coram hoc amplissimo Sénatu, tria proponuntur Dubia; quorum primum est de Bonorum assignatione pro Legatorum implemento. Maria Theresia se immunem ab eisdem putat; quia Bona sub sequestro posita, neque uti hæres, neque uti legataria Joannis Francisci possidet, sed ex dispositione Mariannæ ipsius Matris, quam propria dote Creditores Joannis Francisci testatoris dimisisse contendit, eorumque proinde jura acquisivisse. Quatenus autem hæc in facto subsistant, & adsint ne Requisita *Legis Aristo ff. quæ res pign. oblig. non poss.*, sedulo erit animadvertendum,

Etiam SSm̃i Sacramenti Sodalitium Civitellæ, cui Joannes Franciscus scuta viginti quinque legavit, ab omni vindicandum molestia ostendit Prædium in vocabulo *Valle Fesiola; e Santarello* suppositum sequestro. Illud enim die 13. Novembris Anni 1745. pro extinctione Censuum, quem in sorte *scutorum* 110. ipse Joannes Franciscus sibi accollaverat, & pro solutione fructuum recepit, ideoque titulo Legati valde potiori detinere confirmat. Hæc si probet Sodalitium, præferendum ne erit etiam pro rata fructuum decurtorum post obitum Testatoris, pro qua idem Prædium in solutum accepit?

Perpendendum insuper , utrum alienari Bona potuerint , cum onera prædicta *in perpetuum ab hæredibus , & successoribus* implenda mandaverit . Utrum necessariæ fuerint alienationes , an voluntariæ ; & quatenus voluntariæ , utrum firma remaneat hypotheca in Bonis distractis . Agitur de annuis ; & perpetuis Legatis , quæ onera censentur realia indicta Bonis , eorumque fructibus , *ex Leg. 1. Cod. commun. de Legat. Bart. in Leg. Cajus prope fin. ff. de an. Leg. Rot. cor. Falcon. de Legat. dec. 1. num. 8. , & 9. , & de reb. cred. dec. 7. num. 2. , itaut Legatario actio competat hypothecaria contra hæredes , & etiam Tertios Possessores , Gomez. var. resolut. §. 1. tom. 12. num. 7. , & Mantic. de tacit. lib. 11. tit. 17. num. 5. , & seq.*

Denique advertendum , utrum , attentis viribus hæreditatis valde imminutis , Bonorum divisionibus , majori in posterum probandæ identitatis Bonorum difficultate , reddituum liquidatione , & exactione fere impossibili , locus sit petitæ Bonorum assignationi , ut pia Legata hætenus neglecta , tandem aliquando impleantur , ea tamen conditione adjuncta , ut peculiaribus assignatis Fundis , generalis super aliis hypotheca facta , tectaque servetur .

Ex prima autem Dubii solutione cætera prono veluti alveo fluunt . Removendum quippe sequestrum ab iis Bonis , quæ immunia videbuntur ab hypotheca pro dictorum Legatorum implemento ; Ab aliis verò minime revocandum , nisi prius piæ voluntatis executioni celeri , tutæque omninò provisum fuerit . Aliàs enim impune , prout evenit , Testatoris , & Legatariorum jura lædentur . Tandem cum judiciales , atque extrajudiciales expensæ litis fuerint liquidatæ , laudatus Abbas adversus Loca Pia , quorum jura tuetur , repetere contendit tanquam utilis negotiorum gestor *ex Leg. 1. ff. de negot. gest. . immo prælationem expostulat . Cæterum expensas litis plures victi consortes in lite rescicere pro rata tenentur ad text. in Leg. Paulus ff. de re judic. , & in Leg. 1. Cod. si plur. unic. sent. , Rot. cor. Falcon. de expens. & sumpt. lit. decis. 13. num. 1.*

Fuliori calamo Causam agunt , qui Promotoris Fiscalis Mariæ Theresiæ , & Societatis SS. Sacramenti , & aliorum fortasse hæredum , Bonorumque possessorum Joannis Francisci jura tuebuntur . Quibus , ut moris est , pensis , EE. VV. sapienter expedient .

I. An , a quibus , de quibus Bonis , & pro qua quantitate sit locus assignationi pro adimplemento Legatorum piorum
Jo

Joannis Francisci Malateſia in caſu &c. = , & quatenus affirmativè .

- II. *An ſuper Bonis assignandis ſint detrahendæ expenſæ hodiernæ litis .*
 III. *An , & quomodo ſint revocanda ſequeſtra in caſu &c.*

*ſeſſ. 24. cap. 12.
de Reform.*

CIVITATIS CASTELLANÆ. Capitulum Cathedralis Civitatis Castellanæ quotidiano Chori ſervitio uſque a tempore illius erectionis fuit obſtrictum. Canonici tunc ob parvum eorum numerum , qui (compræhenſo etiam Archipreſbytero) octavum non excedebat , a prædicto quotidiano Chori ſervitio ad hodierna uſque tempora non aliqua impellente lege , ſed ex neceſſitate ſeſe nunquam exemerunt .

Licet Canonorum plerique proprio ſatisfacere muneri curaverint , nihilotamen minus eorum nonnulli prætextu , quòd Sacra Tridentina Synodus *ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat.* trium Menſium abſentiam univerſis Canonorum Capitulis permittit , ſe poſſe a reſidentia loco abeſſe , vel Chori deeſſe ſervitio ſibi blandiebantur .

Illegitimæ huic nonnullorum Canonorum prætenſioni occurrerunt Epifcopi iteratis Ediſtis . At cum Epifcoporum ſollicitudines temper ceſſiſſent in irritum , hinc hodiernus Epifcopus operæ pretium duxit , Canonorum inertiam punctaturarum opere coercere ; Anno itaque 1775. punctaturarum morem in Cathedrali Eccleſia Civitatis Castellanæ induxit , ſimulque maſſam fieri pro iſdem præcepit .

Experientia compertum eſt , quòd punctaturarum remedium præconceptæ Antiftitis expectationi non reſpondit , quia , ſpretis Epifcopi mandatis , nonnulli Canonici ſe Chori obſequio ſubtrahere non deſinebant . Quamobrem Archipreſbyter , & Canonici majorem , & ſaniorum Capituli partem conſtituentes , & propriæ conſcientiæ tranquillitatem optantes , nihil ſanctius , nihilque opportunius putarunt , quàm ſupplices EE. VV. preces por-

porrigere, ad hoc ut dignarentur mandare, quòd singuli Canonici ad sexdecim numerum modò adaucti, juxta aliarum Cathedralium, & Collegiatarum consuetudinem Chori servitium alternis vicibus præstare deberent.

Ordinarius de more auditus, quæ ab Archipresbytero, & Canonicis exposita sunt, vera esse retulit, subditque his verbis = *Ex antiqua consuetudine certum est, quod hujuscemodi servitium huic Cathedrali Ecclesiæ præstandum a Canonicis quotidianum fuerit, non tamen lege aliqua ita præscriptum, sed potius necessitate sic primitus inductum, eo quia parvus Canonicoꝝ numerus, octo scilicet cum ipso Archipresbytero, ad alternativam rite conficiendam insufficientis prorsus aderat, quod ad evidentiam ex ipsismet Capitularibus Constitutionibus evincitur sub titulo de Punctaturis, ubi clare fit mentio implorati Indulti, ob adauctum tunc Canonicoꝝ numerum usque ad quatuordecim, modo vero cum Canonicoꝝ numerus sit sexdecim, hujuscemodi Ecclesiasticum servitium facilius cum tali alternativa præstari posse, nemo est qui non videat.*

Animi verò sui sententiam aperuit = *Ego itaque (sunt verba Episcopi) EE. VV. sensum meum super hac re exponere jussus, Oratores, qui verè zelo Domus Dei, ejusque exactioris servitii videntur ducti, exaudiri posse arbitrarer de sæpedito implorato indulto, quo etiam gaudet altera mea Cathedralis Hortana, & unaquæque ex Collegiatis Ecclesiis, quæ sunt intra fines hujusce mæe pastoralis jurisdictionis, hoc enim medio segniores Sanctuarii Ministri, sive majori commodo illecti, sive formidine pænæ inevitabilis punctaturæ diligentiores in eorum servitio effici poterunt, nec non plurimum conscientiarum securitati consuletur, ac insimul debito Ecclesiæ decori, majorique Dei gloriæ de facili providebitur = Auditoque Capitulo per ipsum Episcopum, is retulit = exceptis duobus, qui forsitan adhuc ignorant, quod servire Deo regnare est, reliqui omnes pro petita alternativæ gratia constanter, & unanimitè steterunt.*

Capituli petitio proposita fuit per summaria Precum in Congregatione diei 20. nuper elapsi mensis Januarii, fuitque rescriptum = *ponatur in Folio, & scribatur Episcopo juxta mentem, & mens fuit, quòd ab ipso requiratur, quibus fundamentis innitatur consuetudo trimestris vacationis, qua utitur Capitulum.*

Novæ Episcopo datæ sunt litteræ, qui iteratis EE. VV. mandatis obsequens ait *ulterius earumdè EE. VV. beni-*

gnæ petitioni satisfaciens , quibus scilicet fundamentis in-
nitatur asserta in iisdem precibus consuetudo trimestris va-
cationis prompte referam , hanc procedere ab altero Indul-
to ab eadem hac Sacra Congregatione Oratoribus jam ab
anno 1749. concessio = quod concessum solitis cum clausu-
lis revera fuit sub die 18. Septembris dicti anni 1749. ,
prout ex lib. decret. 99. pag. 403. a t.

Opinio , quæ apud aliquos irrationabiliter inolevit , qua
nempe putant , Canonicos virtute facultatis tributæ in-
sess. 24. cap. 12. de reform. suo muneri satisfacere , licet
tribus mensibus a residentia , & Chori servitio absint ,
refellitur Sacræ Congregationis resolutionibus adductis à
S. M. Benedicto XIII. institut. Ecclesiast. 107. §. 6. ; ait
namque , quod diversum est elargiri Privilegium , ut Ca-
nonici per tres Menses in Chorum haud convenient , ac
decernere. (prout revera statuit) ne vacationem ultra
tres menses sibi desumant vigore cujuslibet Statuti , aut
consuetudinis : cum præsertim addat Sancta Synodus ,
quod salvæ sint Ecclesiarum Leges , & Constitutiones ,
quæ Præbendatis vacationem a Choro breviorē tribus
mensibus concedunt .

Episcopum posse augere punctaturas , ubi Ecclesiæ negligi-
tur servitium , definivit hæc Sacra Congregatio in altera
Civitatis Castellane diei 25. Junii 1697. teste Monacell.
formular. tom. 1. tit. 2. formul. 4. num. 4. ; An autem ad
consulendum Ecclesiæ servitio punctaturarum augmen-
tum sufficiat , seu potius locus sit petitiæ gratiæ alternati-
væ , revocato tamen Indulto trimestris vacationis à Ca-
pitulo jam obtento , definient EE. VV. ea , qua juris sa-
cri pollent peritia ,

Dubium est :

An , & quomodo Oratorum precibus fit annuendum .

AUXIMANA EMPHYTEUSIS. Clericus Franciscus *Seff. 25. cap. 11. de Reform.*
 Consoli Auximanus simplex possidet Beneficium sub invocatione S. Joannis Baptistæ erectum in Ecclesia Beatae Mariæ Virginis Terræ Montis Fani Auximane Diocesis; Hujus Beneficii Dos in uno tantum Prædio sito in Contrata *Beldiletto* capacitatis Rubrorum sex cum dimidio circiter constituitur. Terræ sterilitas, pluriumque melioramentorum faciendorum in Prædio necessitas in causa fuerunt, ut idem Beneficiatus emphyteuticum iniret super Prædio Contractum cum Hyacinto Consoli sub annuo conventu Canonæ scutorum decem, supplicavitque Sacræ huic Congregationi pro peculiari ejusdem Emphyteutici Contractus approbatione.

Ablegatis precibus ad Eminentissimum Auximanum Antistitem pro informatione, & voto propositis Edictis, intra tempus in publicatis Edictis præfinitum plures comparuerunt Licitatores, quorum major fuit Comes Franciscus Carradori, qui annum obtulit canonem scutorum viginti septem cum dimidio, & cum onere Prædium meliorandi. Hunc Licitatorem cæteris meliorem, ac potiore esse judicavit Eius Episcopus, qui his verbis concludit = *Quare nihil admodum obstare censeo, attenda evidenti utilitate, & nullis extantibus, quorum interest, quominus benignè indulgeri possit.* = Quo posito, censuit Sacra Congregatio sub die 15. Aprilis 1780., si *SSmæ D. N. placuerit per suas Litteras Apostolicas* Emphyteusim esse concedendam Comiti Francisco Carradori ad tertiam generationem masculinam tantum incipiendam ab uno ex illius Fratribus designando in Instrumento Locationis, prosequendamque in illius Filiis, & Nepotibus masculis tantum pro annuo canone scutorum 27.50., & cum solitis pactis, aliisque per ipsum Carradorum oblati.
 Nondum expeditis Litteris Apostolicis, nec emphyteuticæ concessionis Instrumento stipulato, tres alii comparuerunt Oblatores meliorem facientes conditionem Beneficii, quoniam primus, nimirum *Paschalis Falascone* canonem obtulit annuorum scutorum 32.50. Alter verò *Augustinus Piccini* obtulit annua scuta 34.; Tertius verò *Joseph Passarini* obtulit annua scuta 35., onere tamen ab omnibus adjecto meliorandi Prædium; Subindeque supplicarunt hanc Sacram Congregationem pro receptione, & admissione eorum Oblationum, precesque pariter porrexit Beneficiatus pro nova Edictorum affixione.

7. Aprilis 1781.

De mandato hujus Sacri Tribunalis præfixus fuit omnibus interesse habentibus terminus ad deducendum jura sua in hac Sacra Congregatione, quo exequuto nunc Causa proponitur. Sustinet Carradorius. novas oblationes esse spernendas, quia datas extra tempus in Edictis præfinitum, & ut simulatas, seu de simulatione suspectas, nec rem esse amplius integram, emphyteuticumque Contractum jam esse cum ipso conclusum. Quibus omnibus contradicunt Beneficiati, novique Oblatores contendentes, rem integram adhuc esse, nec Contractum dici posse perfectum, nondum expeditis Litteris Apostolicis, confectoque Instrumento, prævio Beneplacito Apostolico, & adepta rei possessione, proindeque locum esse novarum Oblationum receptioni ex firmatis per Card. Petram tom. 1. ad Constitutionem I. Divi Leonis Magni sect. 3. num. 37., & seqq., & sub num. 41., nec non tom. 5. ad Constit. V. Pauli II. sect. 5. num. 14.

Sacra Congregatio, novis extra tempus in Edictis præfinitum superventis Oblatoribus, mandavit nova esse Edicta affigenda, ut in *Neapolitana Domus* 13. Januar. 1731., in *Lauden.* 2. Junii ejusdem anni 1731., in *Firmana Emphyteusis* 19. Augusti 1775., & in *Nullius Sublacen.* 15. Aprilis 1780. ad II. Dubium.

Jura tam à Beneficiato unà cum novis Oblatoribus, quam à Comite Francisco Carradori circumferuntur. Dubium proponitur.

An sint recipiendæ novæ Oblationes, seu potius procedendum sit ad expeditionem Litterarum Apostolicarum favore Comitit Francisci Carradori in casu &c.

77

*Die Sabbathi 28. Aprilis 1781. in Pa-
latio Apostolico Vaticano erit Sacra
Congregatio Concilii, in qua, præter
alia, proponentur infra scripta Dubia
juxta morem ejusdem Sacræ Congrega-
tionis de jure resolvenda.*

OCTO priori loco subiiciuntur Causæ, quæ in postre-
ma Congregatione habita die 7 labentis Mensis pro-
poni non potuerunt, & quæ nunc, repetita lectione Fo-
lii mox dictæ postremæ Congregationis, sapientissimum
Eminentissimorum Patrum judicium expectant.

AUXIMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM, cujus *Sess. 25. cap. 5.
Dubium est. de Reform.*
*An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in ca-
su &c.*

Dilata, & scribatur Emo Episcopo juxta mentem,
& mens est, quod referat de annuo fructu Præ-
dii legati, ducto calculo per decennium, & in-
quirat a Dionysio utrum paratus sit recipere
idem Prædium titulo Emphyteusis, vel saltem ad
tres Generationes Masculinas, vel saltem in per-
petuum, & utrum adsit periculum ullum futuræ
imminutionis vel Fundi, vel Fructuum.

VIGLEVANEN. REDUCTIONIS MISSARUM, in *Sess. 25. cap. 4.
qua quæritur. de Reform.*
*An, & quomodo sit locus reductioni Missæ quotidianæ in
casu &c.*

Affirmativè juxta modum, nempe ad rationem ma-
nualis, computatis etiam fructibus excedentibus
expensas utensilium.

Sess. 24. cap. 6.
de Reform.

73
FIRMANA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE, cujus duo Dubia sunt.

- I. An locus sit dispensationi ab Irregularitate in casu &c.
- II. An substitui debeat alter Cappellanus Curatus juxta preces Communitatis in casu &c.

Ad I. Affirmative, facto verbo eum SSmo. Ad II. Archiepiscopus utatur jure suo ad formam Concilii Tridentini.

Sess. 22. cap. 2.
de Sacrif. Missæ,
& Sess. 24.
cap. 12. de Reform.

NULLIUS FERENTILLI VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM, cujus tria sunt Capita.

- I. An Decretum in Sacra Visitatione factum sit exequendum in casu &c. = & quatenus affirmative.
- II. An Archipresbyter, & qui Canonici, & pro qua rata pro eleemosyna Missæ Conventualis contribuere teneantur in casu &c.
- III. An sit consulendum SSmo pro absolute quoad Missas in præteritum non applicatas in casu &c.

Ad I. Affirmative, Ad II. teneri omnès per turnum ad rationem manualis ex Massa Distributionum, constituenda ad rationem Concilii; Ad III. ad D. Secretarium cum SSmo.

Sess. 22. cap. 6.
de Reform.,
Sess. 25. in Decret. de Purgat.,
& cap. 4. de Reform.

NULLIUS FERENTILLI VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM, cujus duo sunt Dubia.

- I. An constet de adimplemento Legatorum quondam Felicis Bartolucci, & Pernæ Rossetti in casu &c. = & quatenus negative.
- II. An, & quomodo illorum implemento quoad præteritum, & in posterum sit providendum in casu &c.

Ad I. negative; Ad II. quoad præteritum ad D. Secretarium cum SSmo, & quoad futurum, Legatum Bartolucci esse adimplendum cum celebratione unius Missæ diebus singulis Dominicis, & Festis, & Legatum Pernæ Rossetti esse adimplendum cum celebratione trium Missarum flectarum, & una cum cantu prima die Lunæ cujuslibet mensis.

Reliquæ non propositæ.

28. Aprilis 1781.

NULLIUS LEPRIGNANI LEGATORUM, in qua ⁷⁹
tria disputantur Dubia.

- I. An, à quibus, de quibus Bonis, & pro qua quantitate sit locus assignationi pro adimplemento Legatorum piorum Joannis Francisci Malatesta in casu &c. = & quatenus affirmative.
- II. An super Bonis assignandis sint detrahendæ expensæ hodiernæ litis in casu &c.
- III. An, & quomodo sint revocanda sequestra in casu &c.

Sess. 21. cap. 7.
de Reform. Sess.
22. cap. 8. de
Reform. , &
Sess. 25. cap. 5.
de Reform.

CIVITATIS CASTELLANÆ, in qua ambigitur.
An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Sess. 24. cap. 12.
de Reform.

AUXIMANA EMPHYTEUSIS, in qua disquiritur.
An sint recipiendæ novæ Oblationes, seu potius procedendum sit ad expeditionem Litterarum Apostolicarum favore Comitum Francisci Carradori in casu &c.

Sess. 25. cap. 11.
de Reform.

Sess. 25. cap. 15.
& cap. 19. de
Regular.

80

28. Aprilis 1781.

PISAUREN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Fra-
ter Paschalis Veneranda Fanensis die 1. Octobris anni
1774. Religiosum Habitum assumpsit in Conventu Beati
Sanctis Ordinis Minoris Observantiæ S. Francisci Mon-
tis Birotii Provinciæ Marchiæ, ibique elapso Tyrociani
anno, erroneè asserens se esse in decimo sexto, & duo-
bus mensibus suæ ætatis anno constitutum solemnem
Professionem emisit die 1. Octobris sequentis anni 1775.
Detecto ætatis errore, & nondum elapso quinquennio
à die emissæ Professionis, idem Frater Paschalis mense
Januario superioris anni 1780. institit penes Superiorem
antedicti Conventus nullam, irritamque declarari Pro-
fessionem suam. Processum efformavit præfatus Super-
ior Conventus, & ex eo patet, fuisse per Fratrem
Paschalem recognitum suæ Professionis Actum proprio
caractere subscriptum, formiterque examinatos tum
ipsum Fratrem Paschalem Clericum in Minoribus Ordini-
bus constitutum, tum alios ejusdem Conventus Religi-
osios, ac demùm fuisse productam authenticam fidem
Baptismatis ejusdem Fratris Paschalis è publico Baptiza-
torum Codice Parochialis Ecclesiæ SS. Salvatoris Civita-
tis Fani solemniter excerptam, atque recognitam.
Compilato Processu, idem Frater Paschalis illum produxit
in Curia Episcopali Pisarensi, à qua, deputato prius
Defensore Professionis, eoque contradicente, definiti-
vam retulit Sententiam, qua declaratum fuit, nullam,
& invalidam esse Professionem Fratris Paschalis, eidem-
que propterea licere Religionis Habitum dimittere, &
ad Sæculum redire, ac in eo manere. Idque ipsum defi-
nivit Superior antedicti Conventus Sententia lata sub
die 19. Aprilis 1780.

Delata Causa ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit
Pisarensis Antistes, qui censuit, justam, rationique
consonam esse petitionem Clerici Paschalis Veneranda,
nec non legitimè, & canonicè fuisse promulgatam Sen-
tentiam super illius actæ Professionis nullitate, eamque
plenariam promereri executionem. *absque eo quod ulte-
rius in præjudicium spirituale, & temporale Oratoris Gra-
tia videatur retardari, attenda præcipuè ejus, & Fa-
miliæ paupertate, ac impotentia supplendi ulterioribus ex-
pensis.*

Nunc jura sua deducit tum Frater Paschalis, tum Defensor
Professionis. Sustinet Primus, eum nulliter emisisse Pro-
fessionem suam. Ille quippe docet ex fide Baptismatis,
ipsum

ipsum ortum habuisse die 2. Julii 1760., ipsumque Seraphicam Religionem S. Francisci Minorum de Observantia fuisse professum die 1. Octobris 1775., & sic dum erat in ætate annorum quindecim, & mensium trium. Illius enim, qui ante decimum sextum annum Religionem profiteretur, nullam, & irritam esse Professionem, nullamque in Proficiente ad quoscumque effectus inducere obligationem decrevit Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess. 25. cap. 15. de Regular. & Monial. ibi = In quacunque Religione tam Virorum, quam Mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum Habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus.*

Sacra Congregatio nullam, & irritam esse definivit Professionem factam ante annum decimum sextum, ut videre est *in Spoletana Nullitatis Professionis diei 29. Novembris 1777., & diei 10. Januarii 1778.*

Animadvertit è contra Defensor Professionis, servatam in confectioe Processus non fuisse formam notissimæ Constitutionis san. mem. Benedicti XIV., quæ incipit = *Dei Miseratione* =, & alterius Constitutionis ejusdem Summi Pontificis incipientis = *Si datam* =, in quibus præscribitur sub pæna insanabilis nullitatis eligendum esse, antequam efformaretur Processus, Professionis Defensorem, ut pro illius validitate se sistat in Judicio, & ab eo dentur Interrogatoria, quòd intersit Testium examini, & in quolibet actu citetur, intimeturque: Quæ omnia cum Superior Conventus in conficiendo Processu prætermiserit, nullum esse contendit Defensor Professionis ex firmatis per *Rot. in Posuanien. Matrimonii 2. Martii 1759. §. 15. cor. clar. mem. Card. Bussio*, quemadmodum etiam hæc Sacra Congregatio *in Corduben. Nullitatis Professionis 19. Septembris 1761.*, in qua proposito Dubio = *An sit locus restitutioni in integrum?* = respondit = *Dilata, & exarinentur Testes cum interrogatoriis juxta instructionem* =.

Ponderandum tamen est, hic non agi de Interrogatoriis datis à Fratre Paschali pro nullitate Professionis instante, ut erat casus dictæ Rotalis Decisionis *Posuanien. Matrimonii cit. §. 15.*, sed datis ab ipso Superiore Conventus protuente Professionis validitatem: Nec agi de Testibus

exhibitis à Fratре Paschali, sed de Testibus ex officio inductis ab eodem Conventus Superiore: Multoque minus agi de nullitate Professionis elicitā ex vi, meruque per Testes probando, nec de Testibus in eorum dicto Fratri Paschali favorabilibus, ut erat casus dictæ *Decisionis Professionis Matrimonii*, & Resolutionis hujus Sacræ Congregationis in supradicta *Corduben. Nullitatis Professionis*, sed agi de nullitate Professionis ex defectu ætatis, quæ sola fide Baptismatis definitur, & agi de Testibus Fratri Paschali contrariis, ac deponentibus pro validitate Professionis, ex quo idem Frater Paschalis in Professionis actu [quem coeteroquin non ipse, sed alter Religiosus scripserat in Professionum Codice) asseruerat, se esse constitutum in ætate annorum sexdecim, & duorum mensium.

Insuperque ponderandum est, deputatum ab Episcopo fuisse Professionis Defensorem, qui in Judicio pro ea stetit, juraque deduxit; Verum contra Processum, contra Testium examen, & contra illius formam nihil dixit, vel opposuit, quamvis fuerit in omni actu legitime citatus, & intimatus; Agi demum de nullitate Professionis, quam propter ætatis defectum insanabiliter nullam, irritamque decrevit ipsum Sacrosanctum Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 15. de Regular. & Monial.*. Quibus perpensis, ac examinatis, quid juris sit ab Eminentissimis Vetris decernendum est.

Præterea plura in jure congerit Professionis Defensor. Ea tamen omnia confutata fuerunt in Folio dictæ Cause *Spoletana Nullitatis Professionis diei 13. Septembris 1777.*, quod publici Juris factum est *Tom. XLVI. Theaur. Resol. Sac. Cong. Conc. pag. 172. & seqq.*, & à quo repeti poterunt, illisque non obstantibus, Sacrum hoc Tribunal in ea Causa *Constare de nullitate Professionis* definivit *sub die 29. Novembris ejusdem anni*, prout in dicto *Tom. XLVI. Resol. Sac. Cong. pag. 180.* Dubium est.

An constet de Nullitate Professionis in casu &c.

Die Sabbathi 12. Maii 1781. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Rogantur Eminentissimi Patres, ut *repetita lectione* Folii postremæ Congregationis diei 28. nuper elapsi mensis Aprilis, quatuor priores mox describendas Causas, quæ in ea Congregatione proponi non potuerunt, nunc expediant.

NULLIUS LEPRIGNANI LEGATORUM, in qua *Sess. 21. cap. 7. de Ref. Sess. 22.* tria sunt Capita.

- I. *An, à quibus. de quibus Bonis, & pro qua quantitate sit locus assignationi pro adimplemento Legatorum piorum Joannis Francisci Malatesta in casu &c. = & quatenus affirmativè.* *cap. 8. de Refor. & Sess. 25. c. 5. de Reform.*
- II. *An super Bonis assignandis sint detrahendæ expensæ hodiernæ litis in casu &c.*
- III. *An, & quomodo sint revocanda sequestra in casu &c.*

Dilata, & proponatur omnino in prima.

CIVITATIS CASTELLANÆ, cujus unum est Caput. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*
An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè juxta Votum Episcopi, revocato tamen præcedenti Indulto.

12. Maii 1781.

84

*Sess. 25. cap. 11.
de Reform.*

AUXIMANA EMPHYTEUSIS, in qua respondendum est.
An sint recipiendæ novæ Oblationes, seu potius procedendum sit ad expeditionem Litterarum Apostolicarum favore Comitis Francisci Carradori in casu &c.

Dilata, & affigantur nova Edicta, firma tamen remanente oblatione Passarini.

*Sess. 25. cap. 15.
& cap. 19. de
Reform.*

PISAUREN. NULLITATIS PROFESSIONIS, in qua petitur.
An constet de nullitate Professionis in casu &c.

Ad D. Secretarium cum SSmo, juxta mentem,

*Sess. 22. cap. 6.
de Reform.*

ROMANA ALIMENTORUM. Ad iteratum Amplifsimorum Patrum judicium redit hæc Causa, cujus Facti species, & rationum momenta repetenda sunt ex duplici reassumendo Congregationis Folio, primo scilicet Congregationis diei 19. Aprilis 1777., quod extat in Volum. XLVI. Thesour. Resolut. Sac. Congreg. pag. 68., & seqq., & altero Congregationis habitæ die 7. Augusti 1779., quod publici Juris factum est Volum. XLVIII. Thesour. Resol. Sac. Congreg. pag. 91., & seqq.. Julius de Rubeis Orator in prima Causæ propositione diei 19. Aprilis 1777. postulavit alimenta pro Maria, & Victoria filiabus suis super medietate reddituum Patrimonii Pauli Paganini ab ipso irrevocabiliter cessi Ven. Archiconfraternitati SSmæ Annunciationis de Urbe ea adjecta lege erogandi redditus in tot subsidiis dotalibus ab eadem Archiconfraternitate juxta ejus Statuta, stylumque pauperimis Puellis distribuendis, propositoque Dubio petitionem Julii complectente in sequenti Congregatione diei 10. Maii ejusdem anni 1777., responsum fuit = Negative,
& an-

Et amplius = ut patet ex dicto Volum. XLVI. Theſaur. Reſolut. pag. 75. , & ſeqq.

Ab hac reddituum medietate excluſo Julio, is petitionem ſuam convertit ad alteram eorundem reddituum medietatem, quæ pariter ex lege Pauli cedentis pandita per actum ſeparatum erat eroganda in tot aliis ſubſidiis dotalibus distribuendis pauperibus Puellis Requiſita præſcripta à Statuto dictæ Archiconfraternitatis habentibus ad nominationem tamen Hæredum, & Succellorum Magdalænæ Paganini ejuſdem Pauli proneptis, & Theodoſii de Rubeis Magdalænæ Viri, quos inter Julius Orator connumeratur. Verumtamen cum hæc reddituum medietas jam fere reperiretur abſorpta ab aliis alimentis, Livellis, dotibusque præſtandis virtute Decretorum hujus Sacræ Congregationis favore Deſcendentium à dictis Magdalena, & Theodoſio Conjugibus, inter quos erat Anna de Rubeis Oratoris filia, & reſpectivè Oratricum Soror, cui vi Reſolutionis Sacri hujus Tribunalis in Cauſa, cui titulus, *Romana Subſidiorum Dotalium diei 29. Auguſti 1767. ad I. Dubium* aſſignata fuerant alimentorum titulo ſcuta quinque quolibet menſe, cumque dumtaxat ex hac medietate ſuperellent annua ſcuta octoginta quatuor, quæ Archiconfraternitas Bonorum adminiſtratrix cumulabat pro eadem Anna dotanda in ſcutis ſeptingentis juxta dictam Reſolutionem *Sacræ Congregationis diei 29. Auguſti 1767. ad II. Dubium*, hinc ſuper his reſidualibus ſcutis octogintaquatuor Julius, aſſentiente Anna filia, poſtulavit alimenta aſſignanda geminis aliis filiabus ſuis Mariæ, & Victoriæ pariter Oratricibus.

Propoſitoque Dubio in Congregatione diei 28. Auguſti ſupradicti anni 1779. alteram reſpiciente reddituum medietatem erogandam in tot dotalibus ſubſidiis ad nominationem Deſcendentium ex Familia de Rubeis, reſcriptum fuit = *Dilata, & ad mentem, & mens eſt, quòd Oratrices inſtent, poſtquam ceſſaverit aliqua alimentorum præſtatio ex dicta medietate hæreditatis = ut habetur ex dict. Volum. XLVIII. Theſaur. Reſolut. pag. 96.*

Cum autem ſuperiori anno 1780. per nuptias contractas à dicta Anna de Rubeis Julii filia ceſſaverit alimentorum præſtatio in ſcutis quinque quolibet menſe, preces idcirco renovant idem Julius, ejuſque filiæ Maria, & Victoria reſpective Pater, & Sorores dictæ Annæ pro Alimentorum ſubminiſtratione in menſualibus ſcutis quinque pro qualibet. Ab Archiconfraternitate nihil hæctenus ha-

habuimus. Dignabuntur itaque Eſſi Patres, utroque reſumpto Congregationis Folio diei 19. Aprilis 1777. , & 7. Auguſti 1779. originarium definire Dubium.

An, & pro qua ſumma, & à quo tempore ex reſidualibus ſcutis octoginta quatuor proventibus ex fructibus medietatis pii Relicti Pauli Paganini pertinentis ad Succedores Magdalenæ Paganini de Rubeis ſit locus præſtationi Alimentorum favore Mariæ, & Victoriæ Sororum de Rubeis in caſu &c.

Affirmativè juxta votum, nempe ad rationem ſcutorum duorum cum dimidio menſualium pro qualibet a die vacati aſſignamenti :

*Seſs. 25. cap. 4.
& 5. de Reform.*

ROMANA REDUCTIONIS ONERIS MISSARUM = Paula Gratia in ejus ultimo Teſtamento, quod attento ejus obitu, fuit apertum die 16. Februarii 1779. ; jure Legati reliquit Ven. Archiconfraternitati SSiſſi Nominis Mariæ Urbis Loca ſex Montis S. Petri cum onere celebrationis trium Miſſarum qualibet hebdomada in perpetuum : Quatenùs autem eadem Archiconfraternitas hujusmodi Legatum acceptare recuſaſſet, tunc in Legato unà cum onere ſubſtituit Ven. Monasterium SSiſſi Annunciationis ad Arcum *de Pantani* nuncupatum. Itemque Franciſcus Caſini in Codicillaribus ejus Tabulis exaratis die 18. Februarii 1780. juffit, quòd in Eccleſia ſupradictæ Archiconfraternitatis annuæ celebrari deberent quinquaginta Miſſæ cum elemoſyna manuali julii unius pro qualibet Miſſa, ſoluto inſuper annuo ſcuto uno eidem Eccleſiæ pro Utensilibus, ad quem effectum præcepit ejus filio, & hæredi ut conſtitueret tot Loca Montium, quæ libera redderent annua ſcuta ſex pro fundo celebrationis dictarum Miſſarum, ſubditque =, *ed in caſo, che la detta Ven. Chieſa non voleſſe accettare il peſo della detta celebrazione con la ſudetta elemoſina, debba allora detto ſuo Erede trasportare, e far ſodisfare la celebrazione di dette Meſſe con la ſudetta Elemoſina in altra Chieſa di queſt' alma Città di Roma a ſuo arbitrio,*

Utrum-

Utrumque pium Legatum acceptarunt Confratres, sub eadem tamen conditione obtinendi Beneplacitum Apostolicum, quod ab Eñõ D. Cardinali Urbis Vicario tamquam Apostolico-Visitatore prædictæ Archiconfraternitatis negatum fuit, eo quia compertum habuit, quod fructus relictæ annuatim retrahendi ex Locis Montium Legatis non attingant eleemosynam pro unoquoque Sacro a Sa. Mem. Benedicto XIII. præscriptam.

Preces proinde Confratres porrexerunt huic Sacræ Congregationi postulantes reductionem oneris Missarum in utroque Legato præscriptarum ad rationem eleemosynæ perpetuæ juxta certos redditus retrahendos ex Locis Montium pro fundo utriusque Legati pii respectivè assignatis.

Eminentissimus Visitator Apostolicus, cujus relatio, votumque fuit à Sacra Congregatione requisitum, retulit, Societatem SS. Nominis Mariæ non honoratam, seu verius oneratam fuisse duobus Missarum Legatis = *eleemosyna à Testatoribus non amplius, quàm manuali constituta singulis quibusque Missis perpetuis, & quidem taxativè, ut opinor, in utroque Legato tametsi diversè concepto. Duobus distinctis supplicibus Libellis postulat (dicta Societas) utriusque oneris reductionem, ut sibi liceat cum debita cuique oneri stipe, utrumque legitimè acceptare. Qui eidem Confraternitati fuerunt à Testantibus vel substituti, vel exorati, ut aliam sibi placitam destinarent Ecclesiam ad hæc onera suscipienda, judicialibus etiam citationibus laceffiti, ut in medium afferrent, si quid opponendum aut crederent, aut haberent, jamdiu insuper elapso termino in id eis præstituto, ne sui quidem præsentiam exhibuerunt = ab ejus tamen voto ferendo se abstinuit.*

Proposita Confratrum Oratorum instantia per Summaria Precum in Congregatione diei 2. Decembris superioris anni 1780., rescriptum fuit = *Præfigatur terminus Ecclesiæ SSmæ Annunciationis ad Arcum de Pantani Legatarie substitutæ Paulæ Gratiæ, utrum velit acceptare Legatum ejusdem Paulæ cum onere, nec non hæredi Francisci Castini ad invenendam Ecclesiam, quæ acceptet ejusdem Legatum cum illius onere, cujus Rescripti virtute fuit unicuique præfinitus terminus quindecim dierum, & nemo vel intra, vel extra tempus præfinitum comparuit.*

Nunc Confratres eorum renovant petitionem. Onus enim Missarum certæ Ecclesiæ relictum, ante illius acceptationem, ne caducū fiat, reducendū esse contendunt ad rationē

elemosynæ perpetuæ juxta redditus à Testatoribus assignatos, prout sæpissime definivit hæc Sacra Congregatio, & præsertim in *Prænestina* relata per Summaria precum 15. Junii 1709., ut in *lib. 59. decret. pag. 217.*, in *Civitate Castellæ Reductionis* 4. Augusti 1714., & 15. Januarii 1718., in *Romana* relata similiter per Summaria precum 27. Februarii 1734., ut in *Lib. 84. Decret. pag. 120. terg.*, in *Nepesina Reductionis Onerum* 24. Julii 1734., in *Lucana Applicationis Missæ quotidianæ* 12. Februarii 1735., in *Viterbien. Cappellanæ* 11. Januarii 1744., in *Fanen. Reductionis Missarum* 14. Februarii 1761., & in *Albinganen.* 12. Decembris 1778.

Neque hic ambigi posse videtur, Bona pro adimplemento utriusque Legati Missarum fuisse à respectivo Testatore *taxative* assignata; Nam Paula Gratia Legatum incepit ab assignatione sex Locorum Montium, deindeque Missarum onus præscripsit: Hanc autem dispositionem *taxativam* Locorum Montium assignationem inducere firmavit *Rota in Romana Supplementi, & Applicationis* 11. Junii 1731. §. Tunc *cor. clar. mem. Card. Aldrovando*, & in *Romana Salviani* 16. Februarii 1753. §. 8. *coram clar. mem. Card. Molino*.

Et quamvis videatur, assignationem Locorum Montium *demonstrativè* factam fuisse à Francisco Casini in suo Codicillo, dum orationem suam incepit ab onere Missarum, superaddita Locorum Montium assignatione, ibi = *Vuole che debbano ogn'anno in perpetuo celebrarsi numero cinquanta Messe basse nella Ven. Chiesa del SSmo Nome di Maria con l'elemosina di giulio uno per Messa, e con l'assegnamento di scudo uno annuo alla detta Ven. Chiesa per gl' Utensili, al qual effetto debba il Signor Giovanni Casini suo figlio, ed Erede fissare un fondo di tanti Luoghi, e Centesimi di Monte, quali dedotta la solita Mancìa reudino l'annuo fruttato di scudi sei* = *Rota cor. Ansold. decis. 795. num. 7.*, & in *Urbevetana Legati* 3. Decembris. 1753. §. 6. *cor. cl. mem. Cardinal Buffio*. Videtur tamen, prædicta assignatio stare potius *taxativè*, relative scilicet ad elemosynam julii unius ab eodem Codicillante *taxativè* præfinitam. Agitur enim de eadem re, de eadem voluntate, proindeque eadem fieri debet interpretatio, *Leg. Alumne §. Qui filius ff. de adim. Leg.*, *Rot. cor. Cavaler. decis. 41. num. 9.*: Maxime quia una, eademque orationis periodus est, qua in Codicillo Missarum Legatum constituit, præstandumque stipendium præ-

præscriptis, Rot. in recen. decis. 130. part. 19. 35 & cor.
 Merlin. decis. 55. num. 2. Quibus perpenſis, munus erit EE. PP. definire si prohibita
 An, & quomodo fit locus reductioni Missarum in casu &c.

Affirmativè ad rationem taxæ perpetuæ.

Reliquæ non propositæ.

MELEVITANA. Sacerdos Joannes Baptista Falzon *Sess. 22. cap. 2.*
 Melitensis condito Codicillo de anno 1766. funda- *de Sacrif. Miss.*

vit celebrationem Missæ Conventualis cum cantu fa-
 ciendam quolibet die, exceptis Dominicis, aliisque fe-
 stis de præcepto, in Collegiata Ecclesia S. Pauli Apo-
 stoli Civitatis Vallettæ Insulæ Melitæ cum eleemosyna
 Tarenorum duorum, & granorum decem Celebranti
 præstanda. Fundavit etiam in eadem Collegiata Eccle-
 sia solemne Anniversarium cum solita eleemosyna in die
 obitus Fundatoris celebrandum in perpetuum; Voluit-
 que, quod utrumque onus adimpleretur à Capitulo di-
 ctæ Collegiatae Ecclesiæ ex fructibus tum duarum Do-
 morum, tum fortis scutorum biscentum investiendorum,
 quæ Bona Fundator ipse Capitulo reliquit.

Hujusmodi dispositionem, stante insufficientia reddituum as-
 signatorum, acceptare renuerunt Canonici, eam tamen
 anno 1778. acceptarunt sub reservatione facultatis pe-
 tendi reductionem Missarum Conventualium ad eam
 quantitatem juxta assignatos Bonorum redditus, ex le-
 qua præcedenti anno 1777. ex Decreto hujus Sacræ
 Congregationis eleemosyna manualis, quæ erat pro qua-
 libet Missa lecta Tarenorum duorum, ad tres Tarenos
 aucta fuerat in tota Melevitana Diçcesi. Vix autem à
 Canonicis incepta Missæ Conventualis celebratione so-
 luta eleemosyna granorum decem præter tres Tarenos
 juxta novam taxam manualis, quòd eis interdicta fuit ab
 Ecclesiastica Curia Melevitana lata Sententia sub die 4.
 Januarii 1778., qua demandatum fuit, celebrationem
 Missarum Conventualium cum sola eleemosyna Tarenor-
 um trium fieri debere.

Recursum habuit Capitulum ad hanc Sacram Congrega-
 tionem, exhibitisque precibus duo postulavit, primum,
 quòd essent condonandæ Missæ hæctenus celebratæ solu-
 ta, & respectivè recepta eleemosyna Tarenorum trium,
 & granorum decem unà cum expensis factis pro ejus in-

demnitate, & secundum, quod in posterum ad eandem rationem essent Missæ Conventuales reducendæ. Huic petitioni Rescriptum prodiit = *Quoad expensas, & eleemosynas pro tempore præterito Lectum; In reliquis Episcopo pro Informatione, & voto auditis, ac referat, qua auctoritate celebratæ fuerint Missæ annis præteritis ad rationem Tarenorum trium, & granorum decem, nec non de redditibus Bonorum pro adimplemento assignatorum.*

His omnibus satisfecit Episcopus, retulitque, Capitulum propria auctoritate celebrasse Missas sexagintaquinque, cum eleemosyna ad rationem Tarenorum trium, & granorum decem pro qualibet Missa: nec non = *ob affluentiam perpetuorum Onerum Missarum in dicta Ecclesia fundatorum Dignitates, & Canonici ejusdem Collegiatæ facile inveniunt Missas breves cum eleemosyna Tarenorum trium, & Canonicus Falzon non inscius de hujusmodi affluentia Missarum verisimiliter designare voluit in dicta ejus Foundatione Canonico hebdomadario canendo celebranti grana decem pro qualibet Missa ultra Taxam Missarum manualium = Redditus verò Bonorum, demptis expensis Anniversarii, deficere = pro integro adimplemento dictæ Missæ Conventualis ad rationem granorum decem ultra dictam novam taxam annua scuta decem, & octo, & Tarenos sex monetæ Melitensis = auditisque interesse habentibus, hi Recurrentium petitioni plenum consensum præstiterunt, & Ego quoque adhæreo: Quò verò ad Missas de tempore præterito, me remitto ad resolutionem jam ab EE. VV. habitam.*

Capitulum sua jura deducit, quæ non alia sunt, quàm ea, quæ retulit Episcopus in ejus Informatione, cui innituntur, & quæ legi poterunt in Libello à Capitulo circumferendo. Duo sunt Dubia:

- I. *An sit standum vel recedendum à decisio quoad præteritum in casu &c.*
- II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum Conventualium quoad futurum in casu &c.*

FERETRANA REDUCTIONIS ONERUM. Julianus Stephani e Civitate Pinnæ condito Testamento sub die 9. Martii 1766. mandavit erigi Mansionariam in Cathedrali Feretrana erecta in dicta Civitate Pinnæ, & pro illius dote assignavit tot Censum in sorte scutorum tercentum, qui tunc erant redditus scutorum octo pro quolibet centenariis, & anno; At quia Testator in Patrimonium Sacrum Joannis Baptistæ Stefani constituerat alterum ejus Censum in sorte scutorum quadraginta septem adversus Hæredes Dominici de Luca d' Antico, nec non Terræ petium in loco nuncupato *il Corniolo*, jussit, quod post obitum ejusdem Joannis Baptistæ hic etiam Censum, & Prædium pro dote Mansionariæ stare deberet. Onus autem Mansionario imposuit = *dire una Messa la Settimana, ed applicare il Sacrificio conforme la mia intenzione, cioè una Settimana all' Altare della Cappella del Santissimo Sacramento della Catedrale sudetta in giorno di Lunedì, e l' altra Settimana seguente all' Altare di S. Antonio Abbate posto nella Chiesa di S. Cristofaro della Penna de Billi, ed ivi applicare il Sacrificio in giorno di Sabato. Circa l' obbligo di servire il Coro, ed appararsi alle Messe cantate, sia tenuto il Provisto fare quel tanto, fanno gli altri due Mansionarij; in quanto alle vacanze, ed esenzioni, come quanto alla perdita, ed applicazione di essa si debba uniformare, e procedere, come appunto si fa, e si costuma colli predetti Mansionarij.*

At verò dictus Testator per publicum Instrumentum stipulatum die 3. Septembris ejusdem anni 1766. pro dote dictæ Mansionariæ tradidit, consignavitque tot Censum insimul unitos conficientes sortem scutorum tercentum quinquaginta octo, annui redditus scutorum viginti octo, & obulorum sexaginta quatuor, ac voluit, quod in casu eorum, vel alicujus ex dictis Censibus retrovendi- tionis teneatur Mansionarius toties, quoties casus even- nerit, pretium investire in aliis Censibus, vel in Bonis Stabilibus; præcepitque demum, Missam in qualibet hebdomada celebrandam alternativè in designatis Eccle- siis, Altaribus, & diebus, non amplius alternativis hebdomadis, sed in unaquaque hebdomada celebrari debere.

Sequuto Testatoris obitu, erecta fuit sub die 22. Martii 1667. Mansionaria cum Dote dd. Censuum ab eodem Te- statore consignatorum, & = *cum onere, quod Mansionarius pro tempore teneatur, & obligatus sit in perpetuum interesse divinis officiis, & horis divinis, & nocturnis,*

prout faciunt DD. Canonici, & alii Mansionarii dicte Ecclesie; una scilicet hebdomada; altera verò vicissim, & alternativè in omnibus diebus festis de præcepto, & in quadragesima, & ministrare, & inservire per se, vel interpositam Personam in officio Diaconi, & Subdiaconi per Turnum cum aliis Mansionariis in Missis, & Vesperis solemnibus, nec non duas Missas singulis hebdomadis celebrare in perpetuum pro anima dicte Juliani, unam scilicet die Lunæ in Cappella, & ad Altare Ven. Societatis SSni Sacramenti dicte Cathedralis, & alteram die Sabbathi ad Altare S. Antonii Abbatis in Ecclesia S. Christophori Pinnæ: Mandans insuper, eundem Mansionarium ad instar aliorum Mansionariorum ejusdem Ecclesie punctari; & distributionibus privari diebus, ac tempore quo Choro inservire omiserit ad mensuram redditus, distributionesque non inservientis applicari modo, & forma aliorum Mansionariorum ejusdem Ecclesie; & si defecerit in ministerio Diaconi, & Subdiaconi, teneatur pro qualibet vice solvere tertiam partem julii Romani dandi pro elemosyna ejus vice in tali munere inservienti.

Hæc sunt onera Mansionariæ in erèdione adjecta. Præter ea Mansionarius ex Codice Ecclesie nuncupato *Vacchetta* aliis Missarum gravatur oneribus; alterius scilicet in hebdomada, aliarumque duodecim intra annum celebrandarum ad Altare Divi Nicolai a Tolentino situm in prædicta Ecclesia S. Christophori.

De hac Mansionaria provifus fuit Sacerdos Franciscus Pellegrini, qui agnoscens valdè imminutos esse Mansionariæ redditus, qui modo non excedunt summam scutorum decem & novem, & obulorum viginti duorum cum dimidio, attento notabili decremento censualium fructuum, qui ad rationem annuorum scutorum octo pro quolibet centenariò, ut prius non inveniuntur: Agnoscens insuper, celebranda Sacra in annuo numero centum sexaginta octo ad rationem elemosynæ manualis ascendere ad annua scuta sexdecim, & obulos octuaginta, quibus addito scuto uno, & obulis sexaginta octo pro Utenfilibus, nec non obulis viginti duobus cum dimidio pro solutione Spoliorum, & Triremium, aliisque obulis quadraginta pro Collectarum solutione, quæ onera simul unita summam conflant annuorum scutorum decem, & novem, & obulorum decem cum dimidio, quibus demptis à redditibus annuorum scutorum 19., & obulor. 22. $\frac{1}{2}$, superesse tantum annuos obulos duodecim pro Choralium onerum adimplemento, proptereaue in-

stat

stat pro aliqua sive Missarum, sive aliorum onerum reductione.

Feretranus Antistes auditus diligenter retulit, quæ supra dicta fuerunt, & quæ in suis precibus narravit Orator; Quod autem pertinet ad aliam Missam in Codice vulgo *Vacchetta* adnotatam, celebrandamque in qualibet hebdomada ad Altare SS^mi Crucifixi in præfata Ecclesia S. Christophari, sic ait Episcopus = *Ex quo Legato procedat, quæ ex causa, omnibus adhibitis diligentibus, & in hac mea Cancellaria, & in Archivis tam publico, quàm Capituli, nullam reperiri memoriam datum fuit. Dicam solummodo, eam fuisse & à transactis, & ab hodierno Mansionario semper usque nunc celebratam, sicuti & alia imposta, & descripta in erectione onera satisfacta.*

Ad alias autem duodecim Missas quod attinet, sequentibus verbis id ipsum retulit Episcopus = *Ultra verò prædicta gravamina trium Missarum in singula hebdomada adfunt, & aliæ Missæ duodecim annuatim celebrandæ ad Altare Divi Nicolai e Tolentino in prædicta S. Christophori Ecclesia, de quibus pariter ignoratur causa = Concluditque = Hæc omnia sunt, quæ referenda à me erant quoad Oratoris preces, quæ videntur mereri aliquam reductionem inspectis tenuissimis redditibus, & gravibus respectivo oneribus.*

Iterum requisitus Episcopus, ut referret, an existant adhuc in Patrimonio Mansionariæ Censu in sorte scutorum quadraginta septem, pro quo jus habebat Fundator contra Hæredes Dominici de Luca d'Antico, & petium Terræ situm in Loco di Corniolo enunciatum in Testamento à Fundatore ultra Censu constantes in sorte summam scutorum tercentum quinquaginta, & quatenus d. Censu scut. 47., & prædium di Corniolo alienata sint, ac pretium reinvestitum fuerit in tot aliis Bonis, vel Censibus fructiferis ad formam Testamenti, quive fructus annuus ab ipsis percipiatur, respondit, quod = *Quamvis præcipue sint adhibitæ diligentæ, Senioresque Paræciæ, Antiqui hujusce meæ Diocesis fuerint examinati tam quoad Hæredes Dominici de Luca, quàm super petio Terræ in Loco dicto Corniolo, multique alii etiam ex diversis confinantibus Paræciis, & ex hac Civitate quoque fuerint requisiti, attamen neque præfatos hæredes, neque prædictum locum invenire datum mihi fuit; nunquam dividisse testati sunt, licet in septuagesimo ætatis suæ anno*

constituti antiqui Homines in eorum Paræcia nominatos Dominici de Luca hæredes, neque ipsum Dominicum.

Retulit insuper, Peritos æstimatores; eosque præsertim, qui de recenti illa Territoria metiti sunt, accessisse, eosque de loco Corniolo interrogasse, & *responsum dedisse se penitus ignorare* = Itemque antiquos Catastrorum Codices perquisisse, & ex iis nullam de possessione tam Dominici de Luca, quàm ejus Hæredum, minusque de Cornioli Vocabulo, ac de Censu notitiam habuisse ullam, proindeque frustraneam prorsus fuisse ejus operam hac in re tam diligenter, accuratèque navatam.

Quo posito, pro aliqua impetranda Missarum, vel aliorum onerum reductione nunc à Sacerdote Pellegrini renovatur instantia; Regula est hujus Sacræ Congregationis, quòd reliqua potius onera, quàm Missæ ratione suffragii, reducenda sint, nisi aliter suadeat Testatoris voluntas ex traditis per *Fagnan. in cap. Ex parte num. 34. de Constit. , Monacell. part. 1. tit. 10. form. 19. num. 25. , & seq. ,* & hæc Sacra Congregatio in *Romana Reductionis Servitii Chori, & Missarum 18. Aprilis 1722.*

An autem reducendum potius sit Chori servitium, quàm Missæ in Laterculo nuncupato *Vacchetta* scriptæ, de quibus nulla extat memoria, ignoratur Fundator, deficitque fundatio, quasque Mansionarius celebrat absque dote, & absque eleemosyna, munus erit Eminentissimi morum Patrum decernere definiendo.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Seff. 14. cap. 7. de Reform.

SENOGALLIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Sacerdos Antonius de Grandis è Terra Montis S. Viti Anconæ Senogalliensis Diæcesis postulat dispensationem ab Irregularitate incurfa propter patrum homicidium sui germani Fratris.

Oblatis precibus **SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO** narravit, mense Aprilis anni 1777. in sui defensionem Fratrem suum germanum amentem, & furiosum interfecisse: Re autem ad Forum contentiosum delata, Judicem Ecclesiasticum lata Sententia mense Octobris anni 1778. eum à quacumque pæna criminis absolutum declarasse, quò verò ad Irregularitatem edixisse, quòd ap-
illius

illius obtinendam dispensationem supplex adiret Sanctam Sedem Apostolicam: Narravit insuper, ipsum aliàs habuisse recursum ad eundem SSmum Dominum Nostrum, ut dignaretur eum dispensare ob aliquem defectum moderaminis inculpatæ tutelæ, & favorabile Rescriptum non aliter obtinuisse, quàm adjecta clausula = *dummodo publice non habeatur pro Irreguiari*.

His remissis precibus ad Sacram hanc Congregationem, auditus fuit Eminentissimus Senogalliensis Episcopus, qui sic retulit = *Jam à quatuor fere annis Sacerdos Antonius de Grandis ex Oppido Montis S. Viti à sacrificando abstinet propter germani Fratris cædem ab eo cultro patratam, dum ambo simul luctarentur intra proprios Lares: Furiis enim actus defunctus Frater, quibus persæpè agitari solebat, Sacerdotem ipsum fugientem complexus hic timore percussus, mortemque veritus, ut à furente Fratre se expedire posset, ipsius humerum ictu gladioli sauciavit, quo accepto vulnere percussor libertate obtenta proprium introiit Cubiculum, foresque permuniit; Percussus verò per Oppidi vias cum aliquantisper deambulasset sanguinolentus, domum reductus ad multos dies decubuit, indeque mortalitatem explevit sive ejusdem vulneris vi, seù ut nonnulli perhibuerunt, Chirurgi imperitia.*

Prosequiturque laudatus Eius Episcopus = *Audito vitæ Fratris discrimine, ab Altaris ministerio Orator abstinere cepit, causaque post inquisitionem acta ab impietate Fratricidii criminis fuit absolutus, Irregularitatis judicio istius S. Sedis auctoritate relicto. Quamquam verò idem Orator irregularis vulgò reputetur, cunctos non latet, ipsum non inimico animo, sed potius imminentis necis pavore ductum Fratrem percussisse, ideoque insontem declaratum. Fiscus igitur post hujusmodi judicium nullam Oratori molestiam infert, & neque bini ejus Fratres eadem, qua Defunctus amentia laborantes. Sanctissimi, seù Sacræ Penitentiariæ rescriptum cum fortè amissum fuerit, præsentibus litteris adjungere nequeo, indubium tamen est, clausulam hanc in eo repertam fuisse = *dummodo, scilicet, publico pro irregulari non habeatur =, quæ conditio eum ab Altari reputavit usque ad præsentem diem. Quòd si Eius Patres benigne cum ipso agere velint, ego non repugnarem etiam propter Sacerdotis, Fratrumque egestatem.**

Animadvertendum est, hic agi de Fratricidio, nec à Sacerdote Fratricida probari, defunctum Fratrem furiosum quandoque fuisse; eumque fuisse furiis exagitatum in ipso met actu, in quo Sacerdotem fugientem Fratrem complexus est;

est; Sacerdotem verò nullam furiiis defuncti Fratris, & complexui dedisse causam; complexum autem fuisse ad necem directum; vel saltem necem ab eo timeri potuisse; nec etiam probari, Sacerdotem se defendentem à furente Fratre servasse moderamen, ut ajunt, inculpatæ tutelæ, quemadmodum ex litterali *Text. in cap. Ut famæ 35. de Sent. excom.*, & *in cap. Si verò eod. tit.*, firmant *Gloss. in cap. 18. de Homicid. verb. Moderamen; Abbas ibid. num. 9.*, *Pirhing. in jus Canon. lib. 5. tit. 12. n. 92.*, *Reinffenst. eod. loc. num. 134.*

Insuperque animadvertendum est, neminem testari de bonis moribus Sacerdotis Oratoris, ipsumque post patratum Fratricidium laudabiliter vixisse, & aliquam egisse pœnitentiam, nec ab eo die patrati criminis longum tempus excurrisse, ut ejusdem Fratricidii memoria prorsus ex temporis diuturnitate evanuerit. Non aliter enim, nisi his, aliisque concurrentibus circumstantiis, hujus generis dispensationes solent Homicidis benigne concedi juxta laudabilem hujus Sacri Tribunalis stylum, de quo testantur *Fagnan, in cap. Henricus num. 31. de Cleric. pugn. in duell.*, *Ursaya tom. 3. part. 2. discept. 7. in fin.*, & constat ex nonnullis Resolutionibus relatis per *Fagnan. de Jurepatr. part. 1. can. 5. cas. 11. num. 45.*, & *seqq.*

Sacra Congregatio quandoque Sacerdotibus homicidis hanc dispensationem indulgit, ut *in Marianen, Irregularitatis 1. Martii 1777.*, & quandoque eam denegavit, ut *in Caputaquen Dispensationis 10. Maii 1755.*, *in Derthonen. Irregularitatis 8. Maii 1756. utraque ad II. Dubium*, & *in Taurinen. Irregularitatis 14. Aprilis 1764. similiter ad II. Dubium.*

Videant nunc EE^{mi} Patres, qua juris ratione expediendum sit Dubium.

An sit concedenda Dispensatio in casu &c.

Die Sabbathi 16. Junii 1781. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN ultima Congregatione habita die 12. Maii proxime præteriti tres priores mox subiiciendæ Causæ ob temporis angustiam proponi non potuerunt. Dignabuntur itaque Eminentissimi Patres, resumpto dictæ Congregationis Folio, earundem Causarum Dubia nunc expedire.

MELEVITANA, cujus duo sunt Capita.

Sess. 22. cap. 2. de Sacrif. Miss.

- I. *An sit standum, vel recedendum à decisis quoad præteritum in casu &c.*
- II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum Conventualium quoad futurum in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem, & mens est, ut Episcopus referat an ultra Missam Conventualem, legatam a Jo. Baptista Falson, celebrent Canonici diebus feriatis Missam Conventualem de jure præscriptam.

FERETRANA REDUCTIONIS ONERUM, in qua ambigitur.
An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

Affirmativè, nempe esse locum reductioni pro Missis descriptis in Laterculo Ecclesiæ, & pro reductione servitii Chori ad dies festos de præcepto, & per totam Quadragesimam.

SENOGALLIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE, in qua quæritur.
An sit concedenda dispensatio in casu &c.

Negative.

Sess. 21. cap. 7.
de Reform., Sess.
22. cap. 8. de
Reform., & Sess.
25. cap. 5. de
Reform.

NULLIUS LEPRIGNANI LEGATORUM. Imperio hujus Sacri Tribunalis hanc damus *Causam in eadem postrema Congregatione* propositam, cui rescriptum fuit = *Dilata, & proponatur omnino in prima* = : Res enim est de assignatione alicujus Prædii hæreditarii Joannis Francisci Malatesta facienda pro nonnullis piis adimplendis Legatis, quæ idem Joannes Franciscus in ejus ultimo elogio præscripserat adimplenda ad Altare S. Philippi Nerii situm in Ecclesia S. Laurentii,

Pro hac peragenda Prædii assignatione urget Promotor Fiscalis Curix Ecclesiasticæ Abbatix contra singulos Possessores Bonorum hæreditariorum, quorum etiam redditus formali sequestro subjecit. Hos inter Possessores est Maria Theresia Malatesta pii Testatoris ex Francisco Maria filio neptis, quæ se opponit Promotoris Fiscalis petitioni, contenditque se possidere Bona hæreditaria pro rata scutorum mille quingentorum non uti hæredem Patris, vel Avi, sed vi Decreti Judicis sibi in solutum à Patre data pro dictis scutis 1500. tamquam legatariæ Mariæ Annæ Boncompagni ejus Matris, quæ cum suis dotalibus pecuniis dimittens æs alienum ipse met Joannis Francisci fuerat in omnia illius Creditorum jura anterioritatis, & potioritatis subingressa, ideoque sustinet, se, & Bona sua, revocatis sequestris, esse à molestiis Promotoris Fiscalis jure liberanda.

Quæritur de viribus hujus subingressus. Ut autem Extraneus subintret in locum dimissi Creditoris tria probanda sunt, *primum*, quòd pecunias Debitori tradiderit pro Creditoribus anterioribus dimittendis; *secundum*, quòd pactum fuerit de subingrediendo in hypothecas, & privilegia dimissi Creditoris; *tertium* demum, quòd pecunia revera fuerit erogata in causam expressam, fueritque anterioribus Creditoribus soluta. Quibus tantum copulative concurrentibus Requisitis, mutuante pecunias subingredi in locum anteriorum Creditorum firmat litteralis *Glossa in Leg. Aristo sub verb. Pignus ff. quæ res pignor. vel hypoth. oblig. non poss.*, docetque univèrsa

Doctorem Schola, de qua *Olea de cession. Jur. tit. 4. quæst. 1. num. 17.*

His positis, Maria Theresia probat, Mariam Annam Boncompagni Matrem suam anno 1715. nupsisse Francisco Mariæ Malatesta Testatoris filio, constituta Dote in scutis sexmille, nimirum pro rata scutorum bismillium in tot Bonis stabilibus, & pro residuali rata scutorum quatuormillium in tot Censibus, Creditisque fructiferis, adjecto pacto, quod his à Debitoribus restitutis, vel solutis, pecuniæ essent in Æde Sacra Pietatis deponendæ, ac reinvestiendæ cum vinculo Dotis in tot Locis Montium Cameralium, & non Vacabilium, vel in Censibus, *vel = erogarsi in estinzione de Debiti anteriori., e pòziore della Casa di detto Signor Francesco Maria se ve ne saranno, e riportarne la cessione delle ragioni traslative, e non estintive à favore di detta Signora Maria Anna, e suoi, e non altrimenti &c.*

Probat insuper, Debitores Dotis in summa scutor. 4000. eorum solvisse Debitum pro rata scutorum 3700., pecuniasque fuisse, ut in dictis nuptialibus Tabulis pactum fuerat, depositas in Æde Sacra Pietatis cum lege eas investiendi, vel erogandi in dimissionem Creditorum anteriorum Domus Malatestæ in omnibus, & per omnia ad formam pacti in iisdem nuptialibus Tabulis expresse conventi. Itemque probat, eandem Mariam Annam Boncompagni plures Ordines traxisse Ædi Sacræ pro dimittendis ex suis depositis pecuniis Creditoribus Joannis Francisci Fundatoris animo in iisdem Ordinibus expresso reportandi ab illis eorum jurium cessionem, & in eorum anterioritatis, & potioritatis jura subingrediendi. Denumque probat, pecunias in prædictis Ordinibus contentas Creditoribus révera fuisse solutas.

Quibus probatis Requisitis, regulare est, Mariam Annam Boncompagni solventem subingressam fuisse injura, & hypothecas Creditorum per ipsam dimissorum ex firmatis per *Oleam de cession. Jur. tit. 4. quæst. 1. sub dict. nu. 17., & Rot. coram Tanar. decis. 119. num. 10.* Quemadmodum enim Creditores Joannis Francisci Malatesta, quatenus dimissi non fuissent, præferri deberent piis Legatis ab eodem Joanne Francisco Debitore posteriori tempore relictis, ita eadem prælatio unà cum Bonorum hæreditariorum possessione competere videtur Mariæ Theresiæ ex juribus Mariæ Annæ Matris, quæ in locum dictorum Creditorum dimissorum successerat ad *Textum*

in Leg. 3. Cod. de his, qui in prior. Credit. loc. succed. ibi = Si potiores Creditores pecunia tua dimissi sunt, quibus obligata fuit possessio, quam emisse te dicis, itaut pretium pervenerit ad eosdem potiores Creditores, in eorum jus successisti, & contra eos, qui inferiores illis fuerunt, justa defensione te tueri potes = Rot. in rec. dec. 155. n. 3. part. 7., cor. Molin. dec. 1155. n. 6., & cor. Falconit. de Reb. Cred. dec. 16. n. 6.

Animadvertendum insuper est, probari æs alienum Joannis Francisci Malatesta pii Testatoris propriis dotibus pecuniis à Maria Anna Boncompagni dimissum cum subingresso in juribus dimissorum Creditorum, ascendere ad scuta bismille octingenta triginta septem: Bona verò hæreditaria Joannis Francisci, quæ vi Decreti Judicis habuit, possidetque Maria Theresia ex juribus dictæ Mariæ Annæ Matris, esse valoris scutorum mille quingentorum.

Nova jura circumferuntur ab eadem Maria Theresia, quibus perpensis, *resumptoque Folio Congregationis diei 7. Aprilis proximè præteriti*, in quo hæc Causa data fuit, deliberandum erit.

- I. *An, à quibus, de quibus Bonis, & pro qua quantitate sit locus assignationi pro adimplemento Legatorum piorum Joannis Francisci Malatesta in casu &c. = & quatenus affirmativè.*
- II. *An super Bonis assignandis sint detrahendæ expensæ hodiernæ litis in casu &c.*
- III. *An, & quomodo sint revocanda sequestra in casu &c.*

Dilata, & reproponatur omnino in prima, etiam unica.

*Sess. 25. cap. 15.
& cap. 19. de
Reform.*

PISAUREN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Hæc Causa data fuit *in Folio Congregationis habitæ die 28. nuper elapsi mensis Aprilis*. Quia verò Defensor Professionis exceperat, Processum super nullitate Professionis Fratris Paschalis Veneranda à Superiore Religionis confectum nullum esse, utpotè prætermisssa in quolibet actu citatione Professionis Defensori faciendâ contra formam Benedictinæ Constitutionis, quæ incipit = *Si datam =*, hinc in repositione Causæ facta in postrema Congregatione diei 12. Maii proximè præteriti rescriptum fuit = *Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem =*
quæ

16. Junii 1781.

101

quæ fuit, ut supplicaretur Sanctissimo Domino Noſtro pro ſanatione defectus dictæ Citationis, quemadmodum facta relatione Sanctissimo Domino Noſtro *ſub die 16. ejuſdem menſis Maii = Sanctiſſimus annuit quoad ſanationem defectus citationis Defenſoris Profeſſionis tantum = Quo poſito, rogantur nunc EE. PP., ut reſumpto Folio dictæ Congregationis diei 28. menſis Aprilis, in quo tota rei ſeries, & rationes habentur, dignentur expedire Dubium.*

An conſtet de nullitate Profeſſionis in caſu &c.

Affirmativè.

MACERATEN. JURIS FUNERANDI. Hanc quoque Cauſam dedimus in Folio Congregationis habitæ die 15. Julii ſuperioris anni 1780., quod in lucem Hominum edidit Tom. XLIV. Theſ. Reſol. Sac. Congreg. Concil. pag. 93. & ſeqq., à quo ejuſdem Cauſæ ſpecies repetenda eſt. Geminis illius Dubiis, quæ ea die proponi non potuerunt, propoſitis in ſequenti Congregatione diei 5. Auguſti dicti anni 1780., reſcriptum fuit = *Dilata ad primam poſt Aquas citato Parocho S. Mariæ della Porta = ut palam ſit ex dicto Tom. 49. Theſaur. Reſol. pag. 105.*

Sesſ. 25. cap. 13. de Reſerui.

Quod mandavit Sacra Congregatio, exequutum eſt. Citato itaque Parocho S. Mariæ della Porta, eoque non comparente, repropoſita Cauſa fuit in Congregatione diei 2. Decembris ejuſdem anni 1780., geminis, quæ erant, Dubiis in hæc verba conceptis. I. *An, & cui competat jus peragendi exequias, aliasque functiones funebres occasione tumulationis Cadaverum in Eccleſia Sancti Joannis Maceratæ in caſu &c.* = II. *An, & cui debeantur emolumenta funeralia pro Cadaveribus, quæ ſepeliuntur in dicta Eccleſia in caſu &c.* = reſponſum fuit = *Ad I. quoad Cadavera eorum, qui ſunt de gremio Capituli, ſpectare ad Capitulum: In reliquis iterum proponatur = Ad II. pro Cadaveribus eorum, qui ſunt de gremio Capituli, emolumenta ſpectare ad Capitulum: in reliquis iterum proponatur = ut habetur ex prædicto Tom. 49. Theſaur. Reſol. pag. 149. & ſeq.*

Cauſa nunc repropoſitur iſdem ſub Dubiis originalibus quoad ea, ſuper quibus ceſſit Suffragiorum paritas, nimirum quoad tumulationem Cadaverum Parochianorum

Caſ.

Cathedralis Ecclesiæ, & aliorum vel eligentium Sepulchrum in Ecclesia S. Joannis, vel in ea suorum Majorum Sepulchrum habentium, quemadmodum peragendi illorum exequias, & omnia assequendi emolumenta sibi jus esse contendit Capitulum, à quo jura noviter circumferuntur. A Rectore Ecclesiæ S. Joannis, & à Parocho S. Mariæ della Porta nihil hætenus allatum est. Eadem reproponuntur originalia Dubia, ut quod ex iis tunc reservatum fuerit, modò definiatur.

- I. *An, & cui competat jus peragendi exequias, aliasque functiones funebres occasione tumulationis Cadaverum in Ecclesia S. Joannis Maceratæ in casu &c.*
- II. *An, & cui debeantur emolumenta funeralia pro Cadaveribus, quæ sepeliuntur in dicta Ecclesia in casu &c.*

*Sess. 23. cap. 16.
& Sess. 22. cap.
4. de Reform.*

TIRASONEN. ORDINUM Hujus Causæ species, & rationum momenta militantia pro Canonico Vincentio Calvo collationem Sacrorum Ordinum postulante à Tirafonensi Episcopo illos eidem Canonico conferre renuente data fuerunt in Folio Congregationis diei 30 Maii 1778. ; quod publici Juris factum est Tom. XLVII. The-saur. Resol. Sac. Cong. Concil. pag. 132. & seqq. , sed ea die Causa proponi non potuit. Reproposita verò in Congregatione habita die 8. Augusti ejusdem anni 1778. tribus, quot tunc erant, Dubiis rescriptum fuit = *Supplicet Episcopo, & ad mentem* = veluti patet ex eodem Tom. 47. The-saur. Resol. pag. 184. . Mens autem fuit, quòd scriberetur Episcopo, ut Canonicum supplicem reciperet, eumque moneret, ut se contineret in Officio; utque debitum Episcopo præstaret obsequium, nec non resipiscentis animi daret argumenta, & imposterum caveret ab iis; quæ in eo justè displicuerunt Episcopo, quæque Episcopus jure repræhenderat, atque damnaverat; quibus omnibus à Canonico adimpletis, Episcopus, quatenus idem Canonicus interim Sacris Ordinibus non indignum se redderet, eos præviis Exercitiis spiritualibus eidem conferret.

Datae fuerunt Litteræ Episcopo Tirafonensi, qui Canonicum monuit juxta mentem Sacræ Congregationis, Sacros autem Ordines Canonico minimè contulit. An ea
omni-

omnia, quæ Sacra Congregatio præscripserat, fuerint tam ab Episcopo, quam à Canonico executæ, ita ut Canonicus dignus verè sit Sacris Ordinibus, ipsi viderint Eminentissimi Patres in Libello ab eodem Canonico circumferendo. A Promotore Fiscali nihil hæcenus habuimus. *Resumpto itaque supradictæ Congregationis Folio relato in Tom. XLVII. Theſ. Reſol. pag. 132., & ſeqq.* quatuor nunc sunt expedienda Dubia, quorum primum respiciens Decretum olim ab Episcopo latum, quo Canonico interdixerat ascensum ad Sacres Ordines, voluit Episcopus superadditum, ut cum aliis definiretur.

- I. *An ſuſtineatur Decretum Episcopi diei 6. Junii 1774. in casu &c., & quatenus negativè.*
- II. *An ſit locus Ordinationi in casu &c.*
- III. *An, & à quo tempore ſint reſtituendæ Diſtributiones quotidianæ in casu &c.*
- IV. *An Canonicus Calvo reintegrandus ſit ad Stallum in Choro prius quæſitum in casu &c.*

NULLIUS SUBLACEN. BENEPLACITI APOSTOLICI. Anno 1720. Joseph Giordani condito Testamento jussit, quòd ex omnibus ejus Bonis hæreditariis gemini erigerentur Canonicatus in Collegiata Ecclesia S. Andreæ Sublaci. Jus autem tam activum nominandi Canonicos, quàm passivum assequendi Canonicatus certis reliquit, præscriptisque Familiis. Unum ex dd. Canonicatibus nunc possidet Sacerdos Bartholomæus Funaroli ab ipso met Fundatore in ejus Codicillaribus Tabulis expresse nominatus, alterumque retinet Sacerdos Paschalis Spila. Hos inter plura exarserunt judicialia dissidia, quæ geminæ Concordiæ syngraphæ dirimerunt. In prima namque conventum fuit de percipiendis, dividendisque redditibus Bonorum hæreditariorum Fundatoris, quæ pro indiviso à Canonicis possidebantur. In altera verò vi Decreti definitivi Abbatialis Curie Sublacensis processum fuit ad æqualem eorundem Bonorum divisionem.

Sess. 22, cap. 11. de Reform.

Inter Bona hæreditaria Domus adest Sublaci in Contrata *Piedi la Paja* tribus contignationibus composita unà cum inferioribus Cubiculis, Cellis vinariis, parvis Hortis, aliis-

aliquæ adnexis . Hæc pariter Domus divisa fuit , & p̄t̄
 divilionem primum illius Appartementum cum aliquibus
 inferioribus Cubiculis , & Cella vinaria prorsus à reli-
 qua parte Domus sejuncta obtigit Canonico Paschali
 Spila : alia verò illius pars assignata fuit Canonico Bar-
 tholomæo Funaroli , lege adjecta , seu pacto inter ipsos
 convento , quòd in casu investmenti ab eorum aliquo
 faciendi ex pecuniis provenientibus ab alienatione præ-
 fertim Domorum in portionem sibi obventarum ab eo
 peragenda in augmentum reddituum sui Canonatus =
*L' altro Canonico non possa , nè debba avere alcun diritto ,
 ed azione , ed ingerenza sopra il detto rinvestimento , ed
 aumento = ac rursus = dovendosi fare qualunque rinve-
 stimento dal detto Signor Canonico Funaroli non si debba
 ingerire in esso il detto Sig. Canonico Spila .*

A sua Domus portione Canonicus Funareli non aliam exi-
 git pensionem , quàm in annuis scutis viginti tribus , quæ
 dislocationibus , restorationibusque subjecta sunt . Ut
 autem ipse , ejusque in Canonicatu Successores ab his
 eximerentur expensis , utque augerentur Canonicatus
 redditus , e re sua putavit illam alienare , investiendo ta-
 men pretium ex illius venditione retrahendum , ad quem
 effectum eam æstimare fecit à Perito Urbis , qui illam
 æstimavit in scutis mille vigintiduobus . Hanc æstima-
 tionem uti excessivam , pluribusque refertam erroribus
 improbarunt quatuor Periti Sublacenses , qui juxta mo-
 rem Regionis , ac juxta vetustam Cæmentorum quali-
 tatem , prædictam portionem Domus æstimarunt in scutis
 octingentis quinquaginta .

Affixis Edictis , unus inventus fuit Oblator Lauretus Pe-
 trucci , qui pro emptione dictæ Domus portionis obtu-
 lit eandem æstimatam summam scutorum octingentorum
 quinquaginta solvendam tamen ratatim infra terminum
 trium annorum cum reservatione dominii favore Cano-
 nici , & interim , donec sequatur pretii solutio , ac do-
 nec fiat investmentum , cum onere solvendi usuras ad
 rationem scutorum quatuor pro quolibet centenariò , &
 anno . Pro validitate stipulationis hujus Contractus em-
 ptionis & venditionis Canonicus Funaroli preces por-
 rexit huic Sacræ Congregationi pro Beneplacito Apo-
 stolico .

Litteræ datæ fuerunt Vicario Generali Sublaci , qui retu-
 lit , hunc alienationis , & emptionis Contractum pro ob-
 lata summa utilissimum esse Canonicatui , quia pensiones
 alie-

alienandæ ratæ Domus exiguntur dumtaxat in annuis scutis viginti tribus ex eis non demptis dislocationibus, & reparationum expensis; At investimentum ex oblata summa faciendum ad rationem annuorum scutorum quatuor pro centenariò reddere annuos fructus scutorum triginta quatuor à reparationibus, & dislocationibus prorsus immunes: Auditis autem Patronis, qui audiri potuerunt, eos alienationi dictæ ratæ Domus assentitos fuisse, excepto Canonico Paschali Spila ejusdem Domus Compoffessore, qui petitioni Concanonici Funaroli contradicit.

Quare præfixo termino singulis Interesse habentibus ad deducendum jura sua in hac Sacra Congregatione, sustinet Canonicus Funaroli, Beneplacitum Apostolicum non esse denegandum in Contractu, qui tendit in evidentem Canonicatus utilitatem, uti testatur Vicarius Generalis, ex traditis per *Rotam in Recent. decis. 577. num. 2. part. 1.*, sustinetque, injustam esse Canonici Spila contradictionem, quoties Bona divisit, ac quoties nullum jus habet super Bonorum portione, quæ obvenit Canonico Funaroli, ac demùm quoties pacto pollicitus est se non immiscere in alienatione Domorum, & in investimento pecuniarum ab eodem Canonico Funaroli faciendo, nam pacta ab ipso scripta tenentur religiosè servare ad *Text. in Leg. Juris Gentium §. Ait Prætor, ff. de Pact.*, & *Leg. Contractus 23. vers. Legem ff. de Reg. jur.* Hæc, & alia plura legi poterunt in Libello à Canonico Funaroli circumferendo.

Animadvertendum tamen est, divisionem Bonorum Fundatoris inter Canonicos per simplicem privatam Syngrapham factam fuisse. An autem hujus generis facta divisio publicis prætermittis Instrumenti Tabulis, nec accedente Ordinarii approbatione, & confirmatione, constituat nec ne unumquemque Canonicum in verum Dominum suæ Bonorum portionis, ita ut licitum ei sit de eis disponere, quamvis eum utilitate Canonicatus inconsulto Concanonico, nec non per hanc privatam Divisionis syngrapham, & per ea, quæ geruntur ab uno, vel ab altero Canonico ligentur Successores in Canonicatu, munus erit Eminentissimorum Patrum id perpendere, ac definire. A Canonico Spila nihil habuimus. Dubium est.

An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum super venditione Domus spectantis ad Canonicatum Giordani in casu &c.

*Sess. 23. cap. 1.
de Reform.*

NULLIUS SUBLACEN. . In Cerbariæ Loco Jurisdi-
ctioni Abbatiae Sublacensis subiecto adest Parochia-
lis Ecclesia S. Mariæ dicata, in qua est Parochus titulo
Archipræsbyteri, suntque quatuor Cappellani Canoni-
corum nomine vulgo cohonestati, quorum duo nuncu-
pantur antiquæ, geminique alii modernæ erectionis.
Hi autem pietatis, & devotionis impulsu, & ex pio tan-
tùm more singulis Dominicis, aliisque festivis diebus Mis-
sam Conventualem, ac Vesperas in eadem Parochiali
Ecclesia celebrare consueverunt. Occasione Sacræ Vi-
sitationis, quam anno 1772. in dicto Cerbariæ Loco pe-
regit clar. mem. Cardinalis Canale tunc Abbatiae Subla-
censis Abbas Commendatarius, Decretum tulit die 17.
Maii, quo præcepit, antedictos Præsbyteros teneri ad
applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus
in genere juxta Encyclicam sa. mem. Benedicti XIV.,
quæ incipit = *Cum semper*.

Mandatis Em̃i Abbatis paruerunt Præsbyteri, supplicem
tamen porrexerunt Libellum huic Sacræ Congregationi
usque ab eodem anno 1772., postulantes exemptionem
ab hoc adjecto Applicationis onere, nec non compen-
sationem harum Missarum ultra obligationem celebrata-
rum cum aliis in posterum celebrandis. Alias etiam pre-
ces exhibuit Possessor alterius ex dictis Cappellaniis se-
cundæ erectionis in eadem Parochiali Ecclesia fundatæ
à Jacobo Colagrossi narrans, Cappellaniæ redditus non
excedere summam annuorum scutorum vigintitrium
cum onere celebrandi quatuor Sacra in qualibet hebdo-
mada, solvendique onera Cameralia, præter onus co-
adjuvandi Parochum in Animarum curæ exercitio, pe-
tiitque propterea reductionem Missarum ad unam tan-
tum pro qualibet hebdomada.

Super his omnibus requisitus fuit Em̃us Abbas non retarda-
ta interim applicatione Missæ Conventualis ad formam
Encyclicæ Sa. Me. Benedicti XIV. Ille retulit = *quod ne-
que ex Litteris Apostolicis, quarum nec simplex vestigium
adest, neque ex alio sive antiquo, sive recenti monumento
haurire potui erectionem Parochialis Ecclesie S. Mariæ de
Cerbaria in Collegiatam, neque unquam pro Collegiata
habita, seu reputata est hæc Ecclesia, quantumvis ad hanc
notionem eruendam exquisitiores factæ sint diligentie.
Canonici autem, qui Ecclesie deserviunt, quinque sunt.
Horum primus Archipræsbyter est, atque is principale
onus habet in exercitio curæ Animarum.* Reliqui nuncu-

pan-

pantur quidem Canonici, sed tales revera non sunt; Nam titulus non respondet Officio, neque Officium titulo; quippe nullum habent expressum onus psallendi in Choro, aut horas Canonicas persolvendi, unde essentialis Pars Canonice consistit.

Addit = Ex pio tantum more singulis Dominicis, & festis diebus Missam, ac Vesperas celebrare consueverunt in eadem Parochiali Ecclesia. Massa Distributionum nulla est, prout nulla semper fuit. Canonici nuncupati nunquam simul congregati sunt, & nunquam congregabuntur, quia reapse nihil possident in communi, aut pro indiviso ex eorum Præbendis. Præterea ad celebrandam Missam quilibet exponere debet Candelas, hostiam, & Vinum de proprio. Quinimo neque insigne quid habent ad eruendum Collegialitatis indicium, neque sig illum retinent, neque Leges; sine quibus Communitas, Collegium, aut Universitas nullo unquam tempore firmitatem obtinuit. Unusquisque exiguam Præbendam habet ab alia disjunctam, & secretam, & unusquisque eam libito, ingenioque suo administrat.

Quod pertinet ad nuncupationem Canoniorum primæ, & secundæ Erektionis, ita relatio prolequitur = De hac prima Erektione nulla est memoria, neque in hac Abbatiali Cancellaria, neque in eadem Parochiali Ecclesia. Ex antiquissima tantum observantia colligitur, eos teneri ad certum Missarum numerum singulis annis, & ad promiscuam cum Archipræsbytero Sacramentorum administrationem. Duo alii fundationem repetunt post initium currentis Sæculi, sed ad omnia obstringuntur onera, præter quam ad Canoniam. Re tulitque, hos postremos Canonatus fundatos fuisse, unum a Jacobo Colagrossi cum onere celebrandi quatuor Missas in singulas hebdomadas, coadjuvandi Archipræsbyterum in cura Animarum, & assistendi in Choro, prout assistunt alii Canonici. Alterumque fundatum fuisse à Dorothea, & Angela Colagrossi cum onere celebrandi tres Missas in singulas hebdomadas. & coadjuvandi Archipræsbyterum in exercitio curæ Animarum,

Rursus de reddituum quantitate loquens relatio, sic prolequitur Archipræsbytero vix redeunt annua scuta 54. 83. 3. : Alteri ex Canonici primæ Erektionis scut, 33. 55. 2., ac alteri scuta 23. 55. 2. deductis tamen oneribus. Alii verò duo Canonatus, quorum currenti Sæculo facta est erectio, longe minori redditu donati videntur. Nam primus fundatus à Jacobo Colagrossi est adeo extenuatus ob

passas eviſiones , aliaque detrimenta , & infortunia , ut impletis Miſſarum oneribus vix annua ſcuta duo ſuperſint pro ipſius Poſſeſſore . Poſtremus autem , impletis oneribus , habet annua ſcuta 20. 81. 1.

Demumque ſuum votum aperiens , hæc habentur = *Cenſerem , non obtinere in præſenti caſu Encyclicam Benediſti XIV. quia reſpexit Patriarchales , Cathedrales Eccleſias , non verò Parochiales , & eas Eccleſias , quæ per abuſum dumtaxat Collégiatæ nuncupantur . Quò verò ad Canonicatum fundatum à Jacobo Colagroſſi = addubitan- dum non eſt , quin reductioni oneris Miſſarum locum eſſe referam . Concluditque = Aut autem Miſſæ ultra obligationem interim celebratæ ſint cum celebrandis compenſandæ , judicium erit Sacri hujus Supremi Senatus .*

His ſimillimis concurrentibus circumſtantiis proſtat Reſolutio hujus Sacræ Congregationis in Cauſa Prænæſtina Miſſæ Conventualis diei 17. Aprilis 1779. Dubio , quod erat = *An conſiet de Collegialitate Eccleſiæ S. Pauli Je- nazani , itaut ſit celebranda Miſſa Conventualis pro Benefactoribus in genere = reſponſum fuit = Negative , & amplius .* Tria ſunt hujus Cauſæ Capita , quæ definienda à Canonicis proponuntur .

- I. *An Decretum latum à cl. me. Card. Canale pro applicatio- ne Miſſæ Conventualis diebus Dominicis , & Feſtis de præcepto pro Benefactoribus ſit ſuſtinendum in caſu &c. = & quatenus negativè .*
- II. *An Miſſæ celebratæ ultra obligationem ſint compenſandæ cum Miſſis in poſterum celebrandis à Cappellanis in ca- ſu &c.*
- III. *An ſit locus reductioni Miſſarum Cappellaniæ fundatæ à Jacobo Colagroſſi in caſu &c.*

Die Sabbathi 7. Julii 1781. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN anteahta Congregatione habita die 16. nuper elapsi mensis Junii cum sequentes Causæ in Folio descriptæ resolutæ non fuerint, non gravabuntur EE. VV. idem Folium benignè reassumere, & infrascriptis Dubiis sapientissimè de more respondere.

NULLIUS LEPRIGNANI LEGATORUM, *cujus Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

- tria sunt Capita.
- I. *An, à quibus, de quibus Bonis, & pro qua quantitate sit locus assignationi pro adimplemento Legatorum Piorum Joannis Francisci Malatesta in casu &c. = & quatenus affirmativè.* *Sess. 22. cap. 8. de Reform., & Sess. 23. cap. 5. de Reform.*
 - II. *An super Bonis assignandis sint detrahendæ expensæ hodiernæ Litis in casu &c.*
 - III. *An, & quomodo sint revocanda sequestra in casu &c.*

Ad I. Negativè quoad bona possessa a Maria Theresia Malatesta comprehensis in Transactione diei 19. Junii anni 1750., & amplius = Ad II. Negativè super bonis Mariæ Theresiæ, & amplius.
Ad III. Affirmativè super bonis possessis a Maria Theresia per viam nullitatis, & amplius.

MACERATEN. JURIS FUNERANDI, *cujus duo Sess. 25. cap. 13. de Reform.*
sunt Dubia.

- I. *An, & cui competat jus peragendi exequias, aliasque functiones funebres occasione tumulationis Cadaverum in Ecclesia S. Joannis Maceratæ in casu &c.*
- II. *An, & cui debeantur emolumenta funeralia pro Cadaveribus, quæ sepeliuntur in dicta Ecclesia in casu &c.*

Ad I. Pro Cadaveribus Parochianorum Capituli spectare ad Capitulum.

Ad II. Deberi Capitulo pro Cadaveribus suorum Parochianorum.

TIRA-

*Sess. 23. cap. 16
de Reform. , &
Sess. 22. cap. 4.
de Reform.*

- T**IRASONEN. ORDINUM, cujus IV. Dubia sunt.
- I. *An sustineatur Decretum Episcopi diei 6. Junii 1774. in casu &c. = & quatenus negativè.*
 - II. *An sit locus Ordinationi in casu &c.*
 - III. *An , & à quo tempore sint restituendæ Distributiones quotidianæ in casu &c.*
 - IV. *An Canonicus Calvo reintegrandus sit ad Stallum in Choro prius quæsitum in casu &c.*

Dilata.

*Sess. 22. cap. 11.
de Reform.*

- N**ULLIUS SUBLACEN. BENEPLACITI APOSTOLICI, in qua respondendum est.
- An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum super venditione Domus spectantis ad Canonatum Giordani in casu &c.*

Iterum proponatur .

*Sess. 23. cap. 1.
de Reform.*

- N**ULLIUS SUBLACEN., in qua sunt III. Capita de-
liberanda .
- I. *An Decretum latum à cl. me. Card. Canale pro applicatione Missæ Conventualis diebus Dominicis , & Festis de præcepto pro Benefactoribus sit sustinendum in casu &c. = & quatenus negativè.*
 - II. *An Missæ celebratæ ultra obligationem sunt compensandæ cum Missis in posterum celebrandis à Cappellanis in casu &c.*
 - III. *An sit locus reductioni Missarum Cappellaniæ fundatæ à Jacobo Colagrossi in casu &c.*

Ad I. , & II. Negativè .

Ad III. Dilata , & ad mentem , & mens est quod producat Testamento Jacobi Colagrossi , & conficiatur calculus annui redditus per decennium .

7. Julii 1781.

III Sess. 25. cap. 15.
& 19. de Regu-
lar., & Monial.

PISAUREN. NULLITATIS PROFESSIONIS. In
postrema Congregatione diei 16. Junii proxime præte-
riti cum propositum fuerit hujus Causæ Dubium, quod
erat = *An constet de nullitate Professionis in casu &c.* =
prodiit responsum = *Affirmativè* =

Causa nunc reproponitur. Prævia igitur reassumptione,
Folii pro Congregatione diei 28. nuper transacti mensis
Aprilis distributi, ubi Facti series, aliaque ad casum ex-
penduntur, grave non erit EE. VV. decernere.
An sit standum, vel recedendum à decisio in casu &c.

In Decisis, & Amplius,

CONSTANTIEN. DECIMARUM. Ecclesia Oppidi
de Stauffen Constantiensis Diœcesis, quæ Parochialis
erat, & ab uno Rectore regebatur, anno 1535. erecta
fuit in Collegiatam compositam ab ipso Rectore, qui
Præpositi nomen assumpsit, nec non à quatuor Canoni-
cis, qui Præpositum in Animarum Curæ exercitio coa-
djuvare deberent; Pro dote autem hujus Collegiatæ Ec-
clesiæ, & Canonicorum assignatæ fuerunt Decimæ an-
nualiter in natura, sive in specie persolvendæ à Pa-
rochianis dicti Loci de Stauffen, & à Filialitibus in Thaal,
à quibus ab anno erectionis Collegiatæ usque ad annum
1712. Decimæ in specie persolutæ, & respectivè à Ca-
nonicis exactæ fuerunt.

Sess. 25. cap. 12.
de Reform.

Eodem anno 1712. Capitulum super his Decimis Contra-
ctum ad triennium duraturum, & ab Episcopo appro-
bandum inivit cum præfatis Parochianis, & Filialitibus,
quibus data fuit facultas annuales persolvendi Decimas in
pecunia loco speciei, certa præfinita pecuniarum quantita-
te pro qualibet specie colligendarum frugum; pacto in-
super convento, quòd si aliquis ex Parochianis in hac
solutione deficeret, tunc essent Decimæ in specie exi-
gendæ, solvendæque. Hic Contractus ad aliud trien-
nium fuit prorogatus, renovatusque anno 1715., ac an-
no 1720.

Anno autem 1739. alter inter easdem Partes, & super ea-
dem pecuniaria Decimarum solutione stipulatus fuit Con-
tractus quondam præferens perpetuæ Locationis, &
Con-

Conductionis speciem, dum fuit conventum, quòd =
Contractus iste tamdiu ex parte Reverendissimi Capituli firmus, & immutabilis sit, quamdiu supradicta conditio abs Communitate adimpleatur. Casu autem, quo negligentia in solvenda hac pensione irreperit, DD. Clerici obligati sint, & maneat DD. Armannum, & Capitaneum in Thaal monere de hac negligentia, antequam Decimas in natura exigant in suam, ut Parochiani ad solvendam pecuniariam summam adigi possint, quatenus autem facta prius hac monitione, solutio intra quatuordecim dies non sequeretur, tunc à momento Contractus irritus, nullusque sit, Decimæque in natura exigantur, præstenturque.

Biennio nondum elapso, nimirum anno 1741. Capitulum, prævia monitione facta, ut pactum fuerat, Armanno, & Capitaneo in Thaal, iisque præsentibus, declaravit, acceptavitque penes acta nullitatem, & revocationem moxdicti Contractus anni 1739. ob non servata, & impleta pacta conventa, Capitulumque protestatum est se velle, imposterum exigere Decimas in natura, & quatenus exigentur in pecunia, id factum intelligeretur non vi Contractus, sed ex propria libera, & arbitraria voluntate, sine tamen ipsius, & successorum damno, & præjudicio. Super his Contractibus judicialis Lis Capitulum inter & Parochianos Stauffen, & Filialistas in Thaal introducta fuit in Ecclesiastica Curia Constantiensi, in qua anno 1773. lata fuit definitiva Sententia declarans, non fuisse in potestate Capituli devenire ad perpetuam Decimarum alienationem absque consensu Ordinarii, decrevitque validum primum Contractum anni 1712. tamquam temporaneum, nullum tamen postremum anni 1739., Parochianos verò compellendos esse ad solutionem Decimarum in natura, idest in specie.

Ab hac Sententia appellarunt Parochiani, iidemque obtulerunt Capitulo Concordiam consistentem in peragenda renovatione prædicti Contractus anni 1739. cum interventu confirmationis Ordinarii pro ejusdem Contractus perpetuitate. Pacta novi ineundi Contractus Capitulum exhibuit Parochianis, qui cum ea acceptare recusassent, Lis in gradu Appellationis prosequuti fuerunt coram Nuncio Apostolico apud Helvetios, qui, infirmata Sententia Ecclesiasticæ Curiae Constantiensis, pronunciavit, non constare de nullitate Contractus anni 1739. ob defectum

ctum solemnitatum, ea superaddita ratione: quia ob lapsum triginta, & ultra annorum unà cum pacifica observantia præsumi debeat illas in Contractu adhibitas fuisse, pronunciavitque pariter, non constare de inadimplemento Factorum, unde Contractus dicendus sit resolutus.

Capitulum recursum habuit ad Sacram hanc Congregationem. Auditus de more fuit Constantiensis Episcopus, qui sustinens jura Sententiæ suæ, atque respondens lapsi triginta annorum, cui innititur revocatoria Sententia Nuntii Apostolici apud Helvetios, concludit = *Dijudicabunt inde sine difficultate EE. VV., quàm grave non solum huic Collegiæ, verùm, & hujus Diœcesis Ecclesiasticis Corporibus præjudicium accederet, si ex adeo levi argumento Laici possent præscribere contra jus colligendi Decimas in natura.*

Auditus similiter fuit præfatus Nuntius Apostolicus, qui Acta transmisit, retulitque dumtaxat, ipsum præfixisse Partibus terminum quinquaginta dierum ad effectum deducendi eorum jura in hac Sacra Congregatione.

Causa proponitur. Decimas esse præstandas à Parochianis in manipulis, sive in qualibet recollectorum fructuum specie, præscripserunt Sacri Canones, & præsertim *Can. Quicumque recognoverit, & Can. omnes Decimæ caus. 16. Quæst. 7. cap. Tua nobis §. cum de Cunctis cap. Tua nobis, & cap. Ex parte de Decim,* reprobata pecuniaria Decimarum faciendâ solutione *Rota in Chelmen. Decimarum 30. Martii 1753. §. 3. cor. bon. mem. Canillac.*

Quo posito, iustinet Capitulum, Contractum perpetuæ Decimarum locationis initum anno 1739., prætermisissis antecedentibus, quia ad triennium tantùm duraturis, insanabili infectum esse nullitate, non impetrato Beneficentia Apostolico pro alienatione, vel distractione Bonorum Ecclesiæ necessario, tametsi locatio facta fuisset de sola decimalium fructuum commoditate, quemadmodum in specie firmat *Reinffestuel in Jus Canon. de Decimis lib. 3. tit. 30. §. 7. num. 136., & seqq., Rot. cor. Kaunitz. decis. 224. num. 4., & seqq., in dicta Chelmen. Decimarum 30. Martii 1753. §. 9. cor. Canillac, & in Firmana Decimarum 1. Februarii 1762. §. 6. cor. Reverendissimo Olivatio, & in genere ex præscripto in Extravag. Ambitosæ de reb. Eccles. non alien. tradit Fagnan. ibid. in cap. Nulli num. 12., & 34., Rota decis. 154. num. 3., & 4. cor. Molin., ac nullum, & irri-*

tum esse Contractum anni 1739. , utpotè initum, neglecta illius judiciali cognitione , nec reportato in scriptis Episcopi consensu præscripserunt *Synodales Constitutiones Constantienses part. 2. tit. 21. §. 4.*

Additque Capitulum , interventum Beneplaciti Apostolici præsumi non posse ex lapsu triginta annorum cum observantia , nisi Centenaria concurrat juxta celeberrimam Constitutionem sa. me. Urbani VIII. , quæ incipit *Romanus Pontifex* , quam sequuntur *Card. Petra ad const. Apost. Tom. 1. in Comment. ad Constit. I. Divi Leonis Magni sect. 1. num. 58. , Paulut. tom. 2. dissert. 62. n. 116. , Rot. decis. 154. per tot. , & præsertim num. 6. , & seqq. , & decis. 199. num. 6. cor. Molin.* Ideoque contendit idem Capitulum , Decimas in manipulis , & in specie fructuum eidem deberi ab anno 1739. , quemadmodum attendita nullitate Contractus eas deberi usque ab initio firmavit *Rota in Romana Nullitatis Contractuum 10. Decembris 1755. §. 9. cor. clar. mem. Card. Buffio .*

Hæc , & alia sunt in Libello à Capitulo circumferendo .
A Parochianis Stauffensibus , & à Filialistis in Thaal nihil habuimus . Gemina sunt , quæ proponuntur Dubia .

- I. *An Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Stauffensis competat jus exigendi Decimas in natura , sive in specie , seu potius obtineat Contractus Locationum , & signanter ille anni 1739. in casu &c. = & quatenus affirmative ad primam partem .*
- II. *An , & à quo tempore Parochiani teneantur reintegrare Capitulum de iisdem Decimis in natura , sive in specie in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus .

*Sess. 25. cap 13.
de Regular.*

AMERINA ASSOCIATIONIS FUNERUM. Viget in Terra Jovis Amerinæ Diæcesis consuetudo longa annorum serie firmata , quòd duo , vel tres Patres Reformati tantum cum Cruce elevata accedant ad Parochialem Ecclesiam pro associandis Funeribus . Hanc consuetudinem , utpote Ecclesiastico ritui oppositam resolutionibus hujus Sacræ Congregationis , & Decretis Congregationis Sacrorum Rituum , nec non Legibus Synodalibus reprobendam , & proscribendam esse contendit Stephanus Trasatti hodiernus dictæ Terræ Parochus . Ad hanc

hanc igitur dirimendam controversiam Parochus Orator
supplex accedit ad EE. VV.

Rationum sane momenta, quibus idem Parochus assertam
consuetudinem de medio tollendam esse credit, sunt con-
stans Ecclesiæ universalis praxis. Et revera Rituale Ro-
manum in titulo *Exequiarum ordo* hæc habet. *Constituto*
tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convo-
cetur Clerus, & alii, qui funeri interesse debent, & in
Parochialem ordine conveniant. Idem etiam statuitur in
Manuali Episcoporum verbo *Regularium jura sub Epi-*
scopo. Huic praxi consonæ planè sunt hujus Sacræ Con-
gregationis resolutiones pluries editæ, & lignanter in
Congregatione habita die 2. Junii Anni. 1620., ut legitur
lib. 12. Decret. pag. 45., in qua Sacra Congregatio Pa-
rochis Bononiensibus interrogantibus, ad *quartum Du-*
bium, videlicet, = An Fratres pro associandis Funeribus
vocati convenire debeant ad Parochialem Ecclesiam ubi Cle-
rus congregatur = respondit, *debere ad Parochialem Ec-*
clesiam accedere, ubi Clerus congregari consuevit Ita etiam
in *Senogallien. 22. Junii 1675.,* relata à *Monacell. tom. 1.*
tit. 5. form. 7. n. 35. In eandem etiam descendit senten-
tiam *Congregatio Sacrorum Rituum, uti in Fossanen. 21.*
Julii 1645. relata ab eodem Monacell. loco mox citato
num. 38., quæ talis est = *Episcopus duobus dubiis humili-*
ter petiit responderi 1. An servandum sit Decretum ab ipso
factum, quòd ad funera vocatis non liceat expectare De-
functum per vias, vel illius domum petere, sed quòd de-
beant intervenire ad Ecclesiam Parochialem, ad quam fu-
nus defertur, vel ad Cathedralam, si Cathedralis capitu-
lariter interveniat, consuetudine inmemorabili in contra-
rium non obstante. Sacrorum Rituum Congregatio ad pri-
imum respondit, tam Sæculares quàm Regulares etiam
exemptos ad funera mortuorum vocatos in Ecclesiam Ca-
thedralem alias in Parochialem, ad quam funus deferatur,
convenire debere, & nullo modo permittendum, quod ex-
pectent per vias, vel a teant domum Defuncti, consuetudi-
ne etiam inmemorabili non obstante habetur ex legibus
Synodalibus Amerinæ Ecclesiæ, ut definitum fuit ab
Episcopo Gratiani in Synodo habita anno 1595.

Patres Reformati S. Francisci è contra contendunt per al-
lata Decreta non infirmari consuetudinem ipsis favora-
bilem. Ipsi enim innituntur Decretis dictæ Congregatio-
nis Sacrorum Rituum ad hoc potissimum editis, ut evi-
tarentur iurgia, quæ olim orta fuerunt inter Patres Mi-

noris Observantiæ S. Francisci, & respectivos Parochos, quemadmodum ad instantiam Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis eadem Sacra Rituum Congregatio sub die 13. Julii 1675. inhærens aliis editis Decretis statuit, ac declaravit, *Regulares non teneri in Parochiali congregari, sed tantum in tertia Ecclesia*. Insuper ad aliud quæsitum respondens decrevit *Regulares cogi non posse*. Ulterius eadem Sacra Congregatio die 29. Januarii 1671. Decretum edidit, quo obligantur Regulares ad Cathedrallem accedere causa levandi Capitulum pro associandis funeribus ad quamcumque Ecclesiam; ex quo conjicitur, quod sicuti Regulares debent ad Cathedrallem accedere, eò quia Capitulum sæculare sit corpus magis respectabile quàm Regulare; ita sicuti Regulares Capitulum constituunt, efficiuntque corpus magis respectabile, quàm Parochus, hinc debere Regulares pro associandis funeribus in tertia Ecclesia convenire. Huic consuetudini etiam subscribi, & parere debent omnes Regulares in tota Diocesi existentes, inter quos primum locum obtinent, qui conspicuæ Terræ Luciani moram trahunt.

Hæc omnia retulit; absente Amerino Episcopo, pro informatione, & voto de more requisitus ejus Vicarius Generalis, qui vanas, ac inutiles appellat quæstiones propositas a Patribus Reformatis = *Cæterum toti nituntur (ait Vicarius Generalis) in asserta contraria consuetudine, quæ aptius corruptela, & abusus appellari potest. Ea autem qualiscumque sit, minime ipsis famulari posse videtur non solum ex allegatis, verum etiam ex alio Decreto Sacræ Rituum Congregationis 15. Decembris 1632., quo adiguntur Regulares ad conveniendum in Parochiali etiam si mortui tumulentur in earum Ecclesia.*

EE. PP. cuncta judicio suo perpendant, & infrascripto Dubio respondere dignentur.

An Patres Reformati Terræ Jovis occasione associationis funerum accedere teneantur ad Parochialem Ecclesiam in casu &c.

ILCINEN. MISSÆ CONVENTUALIS . Canonici *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
 Cathedralis Ecclesiæ Ilcinen. humiliter exponunt, bon. mem. Bernardinum Ciani Ilcinensem Episcopum, obtenta à Sancta Sede Apostolica, ut supponitur, facultate, Edictum proposuisse, quo mandavit, eosdem Canonicos, attenta eorum Præbendarum tenuitate, applicare debere Missam Conventualem omnibus diebus Dominicis, aliisque Festis de præcepto tantum, & hoc Episcopi Decretum hætenus fuisse a Canonicis executum. Verum cum modò de hoc Episcopi Edicto, sive Mandato nullum extet Documentum, idcirco supplicant Canonici, ut pro eorum Conscientiæ quiete concedatur ipsis Indultum reductionis applicationis Missæ Conventualis ad dies tantum Festos de præcepto.

Super Canonicorum precibus interrogatus Episcopus retulit, Canonicos vigore Edicti bon. mem. Episcopi Ciani applicare Missam Conventualem diebus tantum Festis de præcepto, attamen = *hujusmodi Edictum ad præsens non reperitur amplius, sed de eo nonnulli ex his Canonicis bene recordantur, & ipsis semper persuasum fuit non nisi auctoritate Apostolica Episcopum Ciani suum Edictum publicasse, attamen cum nec de tali auctoritate monumentum certum habeant, ideo conscientis eorum consulere volentes ad Sanctam Sedem recurrunt.*

De Præbendarum tenuitate testatur Episcopus, dum ait = *Ulterius Canonicorum Præbendas valde tenues esse, si unam, vel alteram excipiamus, & distributiones annuæ pro quolibet Canonico vix summam scutorum duodecim cum dimidio monetæ Romanæ attingunt. At deficiunt etiam ea in hac Cathedrali, quæ pro ritè officiando sunt necessaria. Deficiunt enim in diebus ferialibus Clerici; Deficit Sacrista, cujus stipendium pro servitio, quòd præstat ad præsens est scutorum sex pro quolibet anno; Deficiunt etiam lumina, cum pro emenda cera necessaria condonatione suppleatur partis distributionum ad ipsos Canonicos spectantium.*

Retulitque pariter, = *nunquam in hac Cathedrali ab immemorabili applicata, & celebrata fuit Missa Conventualis diebus infra hebdomadam feriatis, sed tantum diebus festis, & bon. mem. prælaudatus Episcopus Ciani in enunciato suo Edicto occasione publicationis Bullæ Benedicti XIV. incipientis = Cum semper oblatas &c. de die 19. Augusti 1744., inposuit onus dictis Canonicis applicandi diebus tantum festis.*

Addit = *Habemus insuper, Reverendissimum Bossi Perusiæ Epi-*

Episcopum, ut in quodam hujus Cathedralis libro legitur, de die 28. Augusti anni 1576. Ilcinum venisse, ut Visitator Apostolicus à fœlic. record. Gregorio XIII. pro Statu Senensi missus, & in hac Civitate, & Diœcesi per mensem diversatum plura decreta pro hac Cathedrali Ecclesia emanasse, & quia Canonici Choro non inserviebant nisi in aliquibus anni diebus, ipsum decrevisse, Canonicos Dominicis diebus omnibus Divinis horis ad psallendum in Choro inservire debere, idemque ab ipsis præstandum etiam in Missa canenda Dominicis, & Festis diebus, ut supra.

Tandemque votum suum aperuit his verbis = Cum itaque ad præsens Canonici prædicti Choro accedant ad psallendum, quotidie singulis horis Canonicis, & Missam Conventualem in Festis diebus applicent, & celebrent, ad nil aliud obligandos esse censerem, & ideo Sacram istam Congregationem posse de, & quòd postulant illis pro gratia rescribere judicarem.

Sacræ hujus Congregationis sententia est, reducendi applicationem Missæ Conventualis ad dies festos tantum de præcepto, quoties Præbendarum redditus impares sint ad hoc onus ferendum, prout definitum fuit in *Veliterna ad III. Dubium 14. Martii 1722.*, in *Spalaten. Missæ Conventualis ad I., e II. Dubium 23. Julii 1729*; in *Amerina Missæ Conventualis 12. Martii 1746.*, in *Alexandrina Missæ Conventualis 23. Novembris 1776.*, in *Placentina Missæ Conventualis 1. Martii 1777.*, & in *Thelesina Missæ Conventualis 19. Julii ejusdem anni 1777.*

Dijudicent itaque Eminentissimi Patres.

An sit locus reductioni oneris applicationis Missæ Conventualis ad dies tantum festos de præcepto in casu &c.

Die Sabbathi 28. Julii 1781. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Dignabuntur Eminentissimi Patres tres priores nox subiiciendas Causas, quæ in postrema hujus Amplissimi Ordinis Congregatione habita die 7. labentis Mensis Julii proponi non potuerunt, nunc, illius resumpto Folio, expedire.

CONSTANTIEN. DECIMARUM, cujus duo sunt Capita. *Sess. 25. cap. 12. de Reform.*

- I. *An Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Stauffensis competat jus exigendi Decimas in natura, sive in specie, seu potius obtent Contractus Locationum, & signanter ille anno 1739. in casu &c. =, & quatenus affirmative ad primam partem.*
- II. *An, & à quo tempore Parochiani teneantur reintegrare Capitulum de iisdem Decimis in natura, sive in specie, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem; negativè ad secundam.

Ad II. Affirmativè a die motæ litis pro summa liquidanda.

*Sess. 25. cap. 13.
de Regular.*

A MERINA ASSOCIATIONIS FUNERUM , in qua ambigitur .

An Patres Reformati Terræ Jovis occasione associationis Funerum accedere teneantur ad Parochialem Ecclesiam in casu &c.

Dilata , & ad mentem , & mens est = quod inquiratur an Fratres intendant accedere duo aut tres ad Ecclesiam Parochialem vel Domum defuncti itaut alii in alio loco expectare possint funus , & deinde eidem se jungere = .

*Sess. 25. cap. 4.
de Reform.*

I LCINEN. MISSÆ CONVENTUALIS , cujus Dubium est .

An sit locus reductioni oneris applicationis Missæ Conventualis ad dies tantum festos de præcepto in casu &c.

Quoad præteritum ad D. Secretarium cum SSmo; quo vero ad futurum dilata , & Scribatur Episcopo juxta mentem, ut referat de annua quantitate uniuscujusque præbendæ , earum oneribus , & illarum qualitate .

*Sess. 22. cap. 6.
de Reform.*

A NAGNINA . Hujus Cause species , & rationum momenta data fuerunt in Folio Congregationis habite die 18. Martii superioris anni 1780 , quod publici juris factum est Tom. XLVIII. Thef. Resol. Sac. Congreg. Concil. pag. 35. , & seqq. . Tria fuerunt Cause Dubia , quæ in ea Congregatione proponi non potuerunt , nimirum I. *An sustineatur Decretum Episcopi Anagnini diei 6. Februarii 1768. in casu &c.* = II. *An , & quomodo sit locus erectioni Conventus ad formam Donationis , de qua agitur , seu potius erectioni Beneficiorum in casu &c.* , & quatenus affirmative ad secundam partem = III. *An , à quo tempore , & in qua summa sint restituendi fructus in casu &c.* = Hisque propositis in sequenti Congregatione diei 15. Aprilis ejusdem anni, responderunt Eminentissimi Patres , Ad I. *Negative , & amplius .* Ad II. *Dilata , & præfigatur terminus unius anni Fratribus Redemptionis Captivorum ad implendum omnes conditiones præscriptas in Instrumento Donationis , quo elapso , habebitur ratio .*

Ad

Ad III. *Dilata* = quemadmodum patet ex d. *Tom. XLVIII. Thes. Resol. pag. 40.*

Vi hujus Resolutionis *sub die 19. Aprilis ejusdem anni 1780.* præfixus à me fuit Patribus Redemptionis Captivorum terminus unius anni, eoque jam à mense Aprilis proxime præteriti absoluto, nec intra præfinitum tempus, nec hæcenus Patribus implentibus conditiones præscriptas in Instrumento Donationis omnium suorum Bonorum, quam egit Julius Fiaschetti favore Patrum, instant illi de Familiis Ridolfi, Oddi, & Granella substituti in casu, quo Patres vel nollent, vel non possent dictas conditiones implere, ut modò definiant EE^m PP. quæ nam ratio habenda sit de voluntate Donantis, de inadimplemento conditionum hæcenus à Patribus Donatoriis patrato, nec non de litterali substitutione dictarum Familiarum à Donante facta in casu moxdicti inadimplementi, ac demum de erectione Beneficiorum ab ipso met Donante in eodem inadimplementi casu demandata.

Novus jurium Libellus circumfertur ab Oratoribus de dicta Familia Ridolfi, Oddi, & Granella. A Patribus Redemptionis Captivorum nihil habuimus. Impleta itaque mente Sacri Tribunalis, Eminentissimi Patres duo Dubia, quæ tunc definita non fuerunt, nunc, repetita lectione *Folii supradictæ Congregationis diei 18. Martii 1780. Tom. 48. Thesaur. Resolut. pag. 35. & seqq.*, poterunt expedire.

- I. *An, & quomodo sit locus erectioni Conventus ad formam Donationis, de qua agitur, seu potius erectioni Beneficiorum in casu &c. =, & quatenus affirmative ad secundam partem.*
- II. *An, à quo tempore, & in qua summa sint restituendi fructus in casu &c.*

Ad I. Pro facultate aperiendi Conventum cum obligatione manutenendi quinque Fratres, servatis tamen reliquis constitutionibus Apostolicis, facto verbo cum SS^mo, & præfigatur terminus unius Anni ad implendas omnes conditiones præscriptas in instrumento donationis, & amplius.

Ad II. Provisum in primo.

*Sess. 24. cap. 12.
de Reform.*

NEBIEN. . In Civitate S. Florentii in Insula Corsicæ
adeft Cathedralis Diœcesis Nebiensis . Initio curren-
tis Sæculi bon. mem. Approfii tunc Nebiensis Episcopus ,
ut Canonici in dicta Civitate residere commodè possent ,
propriis sumptibus à fundamentis extruxit Canonicales
Ædes , quæ de anno 1747. circiter in parte , & subinde
de anno 1755. circiter in totum destructæ fuerunt . An-
no 1771. de Archidiaconatu dictæ Cathedralis Ecclesiæ
tunc vacante , nullamque curam Animarum habente, qui
prima Dignitas est post Pontificalem , provifus fuit à San-
cta Sede Apostolica Sacerdos Alexander Maria Piantani-
da è Bastia Diœcesis Marianensis ejusdem Insulæ . Nul-
lam Archidiaconatus adnexam habet Præbendam , & pro
Archidiaconi mantentione quarta dumtaxat assignata
fuit Decimarum pars , quæ non excedit annuam summam
scutorum quadraginta quinque monetæ Romanæ , diver-
simode ac Canonicus Poenitentiarius , qui separatam
habet Præbendam annui redditus scutorum tercentorum
monetæ Romanæ , nec non Canonicus Decanus similiter
separatam habens Præbendam annui redditus scutorum
biscentum ejusdem monetæ Romanæ .

Donec Archidiaconus præter antedictam quartam Decima-
rum partem possedit etiam suum Patrimonium Sacrum ,
quo fuerat ad Sacros Ordines promotus , habuitque à
Rmo Matthæo Guasco tunc Episcopo Nebiensi charitati-
va subsidia ex redditibus Mensæ Episcopalis , ex quibus
moxdictus Episcopus necessaria suppeditabat Archidiaco-
no , ut ipse met amplissimè testatur , idem Archidiaco-
nus , *postquam* (sunt verba ejusdem Episcopi Guasco)
*ad Archidiaconatum prædictum fuit promotus , non solum
ad instaurandam Canoniorum residentiam pluribus antea
Lustris intermissam nobiscum sedulo cooperatus est , verum
etiam munus Confessarii , & Verbi Dei prædicationem
diebus festivis , ac tempore Quadragesimæ pari cum laude ,
& Animarum salute etiam cum maximo suo incommodo in-
desinenter obivit , Cultumque Divinum in functionibus Ca-
pitularibus , & Solemnioribus augere studuit .*

Verumtamen cessantibus Archidiacono charitativis subsidiis
ex redditibus Mensæ Episcopalis , ex quo Episcopus
Guasco fuerat ab Episcopatu Nebiensi ad illum Segonen-
sem translatus , ac etiam eidem cessantibus redditibus sui
Patrimonii Sacri constituti cum conditione , donec scili-
cet fuisset de aliquo congruo Beneficio Ecclesiastico pro-
vifus , ex quo illo fuerat anno 1776. per Sententiam Ju-
dicis spoliatus , Archidiaconus in extrema se agnovit

egestate positum; ac prorsus imparem cum redditibus sui Archidiaconatus subeundi residentiam, vel pro servitio Ecclesiæ suæ se transferendi à Bastia, ubi in Domo suorum Consanguineorum moram gerebat, ad Civitatem insalubris aeris S. Florentii, quæ per duodecim, & ultra milliaria distat à Bastia; idcirco supplex adivit hodiernum ejus Episcopum pro aliquo augmento suorum reddituum, ut Archidiaconatus onera ferre posset, pluraque media proposuit.

Dum hæc ipsum inter, & Episcopum in Terra Olettæ residentem pertractantur, Promotor fiscalis, monito Archidiacono sub die 4. Maii 1778., subinde & sub die 18. ejusdem mensis, obtinuit ab Ecclesiastica Curia Nebiensi definitivam Sententiam condemnantem Archidiaconum, attento residentiae defectu, ad restituendam medietatem fructuum Archidiaconatus ab ipso perceptorum à die prima Maii 1777. utque ad diem primam Maii 1778. juxta liquidationem faciendam.

Ab hac Sententia recursum habuit Archidiaconus ad hoc Sacrum Tribunal. Is ad Urbem accessit, obtinuitque Indultum abessendi omissis &c. quod eidem hæctenus prorogatum fuit.

Audito Episcopo, is in voto fuit, servandam Sententiam ab ejus Ecclesiastica Curia prolatam.

Non ambigitur, quemlibet Canonicum sive Cathedralis, sive Collegiatae Ecclesiæ teneri ad residendum *toto titulo de Cleric. non resident.*; aliter esse multandum pœnis à Sacro Concilio Tridentino præscriptis *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Omnes tamen conveniunt, plurimas esse causas, quæ Canonicos excusant à personali residentia *Reiffenst. Jus Canon. lib. 3. Decr. tit. 4. de Resident. Canonorum, & Cleric. num. 122.*, & *seq.*: At quæ nam sit causa gravis, & sufficiens ad non residendum, *non potest in genere definiri, sed ex variis circumstantiis Episcopi, seu Ordinarii judicio determinandum permittitur, quandoquidem gravitas, & levitas non nisi prudenti intellectu discretionis, consideratis omnibus adjunctis, judicari potest, = ut his verbis ratiocinatur Pirhing. Jus Canon. lib. 3. Decr. tit. 4. de Cleric. non resident. Sect. 1. §. 6. num. 41. in fin. vers. Porro.*

An autem causa gravis, & sufficiens ut non resideat Archidiaconus nullum aliud habens Beneficium Ecclesiasticum, nullumque Patrimonium Sacrum, sit tenuitas reddituum sui Archidiaconatus, cognoscendum erit ab

Eminentissimis Patribus . Præcepit enim Alexander III. in cap. 6. de Cleric. non resident. , quòd si Presbyter ab Ecclesia sua vitæ necessaria non percipit , quatenus Ecclesiæ non deferviat , Episcopus silentium imponat , ibique *Glossa* sub verb. *Vitæ* ibi = *Verbo victus vestis etiam continetur* , = & sub verb. *Necessaria* ibi = *Unde potius fuit sibi subveniendum* = nec non sub verb. *sufficiencia* ibi = *In hac sufficiencia considerantur plura : Nobilitas ; Scientia , quia tales Personæ majoribus redditibus sunt honorandæ : Dignitas consideranda est , ita quòd possit sufficere sibi , & suis , & hospitalitatem servare , & jura episcopalia solvere .*

Constat enim de præciso reditu ex dicto septem Testium. formiter examinatorum , quorum quatuor fuerunt Administratores , seu Exactores reddituum Archidiaconatus nedum tempore hodierni Archidiaconi , sed etiam istius Prædecessorum . Illi enim de facto proprio , alii verò ex certa scientia deponunt , redditus Archidiaconatus vix ascendere ad annuas libras tercentum monetæ Januæ , quæ summam conficiunt annuorum scutorum quadraginta quinque monetæ Romanæ . In specie verò Notarius Petrus Antonius Leonardi alter ex dictis Testibus ad 15. , & 16. *Interrogatorium* respondit = *Ho conosco il Signor Arcidiacono Fierazzi , ed il sù Arcidiacono Gentile* = qui = *vivevano signor sì con decoro , mà non per la semplice rendita del detto Arcidiaconato , mà bensì colla giunta de redditi di sua Casa* = Itemque ad 19. *Interrogatorium* , respondit Archidiaconum = *se ne stà sempre in Bastia , e qualche volta se ne viene in S. Fiorenzo qualche giorno* (signanter solemnioribus Festivitatibus , ut ab aliis Testibus explicatur) *ove non fà permanenza , perchè non vi hà Casa .*

Responditque pariter ad 21. *Interrogatorium* his verbis = *le portarebbe maggior spesa alla residenza del suo Beneficio , atteso che colà dovrebbe pagare la piggione di Casa , che al presente jouo molto care , sarebbe obligato tenere servitù , e comprare ogni cosa à gran prezzo , al contrario in Bastia se ne vive in Casa sua con meno spesa* = ac rursus = *mà se stasse in S. Fiorenzo , o sia alla sua Residenza sarebbe obligato à quanto sopra* = itemque = *Signor sì , e non se puonno dispensare in specie al tempo presente* = , ut responsum dedit ad 22. , 24. , & 25. *Interrogatorium* .

Idemque Testis audito secundo *Interrogatorio* Capite , respondit = *Signor sì , che l' Arcidiaconato sudetto porta*
seco.

feco delle spese; che un semplice Sacerdote non sarebbe tenuto fare, cioè di tenere Servitori, Casa propria, e ben mobigliata, vestire con tutta proprietà, e con buoni abiti sagri, tenere servitore, & altre spese = redditque scientiæ causam = per avere veduto così operare alli Signori Arcidiaconi antecessori, quali però non facevano quanto sopra colla sola rendita del detto Arcidiaconato, mà coll' accompagnamento del fatto suo =

Audito demum tertio Interrogatoriorum Capite, respondit = *è verissimo, che la rendita del detto Arcidiaconato non è sufficiente al mantenimento del servitore, alla piggiione di Casa, ed alla provista degl' abiti sagri, ed altre spese necessarie = causamque scientiæ reddit = per sapere, che la rendita di detto Arcidiaconato non arriva à lire trecento di Genova, e così la verità publico, e notorio = Idemque super his omnibus alii Testes interrogati unanimiter responderunt.*

His probatis quoad redditus Archidiaconatus, ait Archidiaconus, non subsistere adnotationem factam in Codicibus Datariaë Apostolicæ, quòd redditus Archidiaconatus sint in annua summa scutorum aureorum sexaginta, quin imo promptus sese offert Archidiaconus, omnes Promotori fiscali cedere redditus Archidiaconatus, quos ipse verè percipit, dummodo eidem solvat anno quolibet scuta aurea sexaginta, & residentiam, aliaque munera Archidiaconatus adimplebit.

Animadvertendum est, extraneas esse à præsentì casu Resolutiones hujus Sacræ Congregationis à Promotore fiscali deductas, nimirum *in Tudertina Parochialis super Privatione diei 16. Martii 1754., & in Januen. Cappellaniarum 30. Januarii 1762.* Nam in *Tudertina* agebatur de Parocho, qui ex propria culpa, factoque proprio fuerat Parochia privatus, dum per ipsum neglecta Bonorum cultura, Parochiæ redditus, qui uberes erant, plurimum imminuti fuerant: Parique negligentia usus fuerat in curæ Animarum exercitio, deditus venationi, ludis, & Choreis etiam cum Fæminis, visus sæpe fuerat sine vestibus Clericalibus, sæpe rixari, ac sæpe Infirmorum visitationem negligere, Parochianos verò per integrum biennium ne in Paschate quidem Sacra Eucharistia refecerat. In *Januen.* autem res erat de Cappellania collata contra mentem Testatoris, & tempore, quo Cappellanus fuerat ad Sacros Ordines promotus, jam erat Cappellania litigiosa effecta, & in judicio deducta.

A' Promotore fiscali jura circumferuntur : Ab Archidiacono nullus circumfertur Libellus , attenta sua extrema , qua premitur , paupertate . Pertinet enim ad EE. VV. rem perpendere , & quod juris erit , definire . Duo sunt Causæ Dubia .

I. *An sit locus Residentiæ in casu &c.*

II. *An sustineatur privatio medietatis fructuum , & deman- data restitutio illorum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè .

Ad II. Privandum esse medietate fructuum a die præcepti Episcopi .

*Seff. 24. cap. 18.
de Reform.*

PERUSINA PAROCHIALIS . Episcopus Perusinus Concursum de more indixit , ut vacantem Parochialem Ecclesiam S. Savini Lacus Trasimeni Perusinae Diæcesis de novo Rectore provideret . Plures accesserunt ad Concursum , quos inter fuerunt Sacerdos Vincentius Turrini Rector Ecclesiæ Parochialis Castri Mantignani , & Sacerdos Laurentius Allegri Rector Parochialis Ecclesiæ Castri Zocchi . Absoluto examine , Profynodales Examinatores quoad scientiam in primo loco Laurentium Allegri , & in secundo loco Vincentium Turrini approbarunt ; quò verò ad merita , ambo approbati fuerunt , sed Turrinius primum locum obtinuit , secundum autem Allegrius . At Episcopus meritis utriusque approbati tam quoad scientiam , quam quoad mores maturè , diuque perpensis , Sacerdotem Vincentium Turrini prælegit , eumque immisit in possessionem supradictæ Parochialis Ecclesiæ S. Savini .

Ab hac Episcopi præelectione Sacerdos Allegrius interposuit appellationem ad hanc Sacram Congregationem , oblatisque precibus postulavit declarari , fuisse Episcopi judicium irrationabile , Paræciam verò eidem uti digniori esse adjudicandam .

Litteræ datæ fuerunt Perusino Antistiti , ut transmitteret Acta Concursum , simulque Sacram Congregationem instructam redderet , suumque votum aperiret . Geminas dedit responsiones Episcopus ; in prima namque diei 26. Augusti 1780. retulit causas , rationumque momenta ,

ex quibus motus fuit ad præeligendum Turrinium , & posthabendum Allegrium ; In secunda verò diei 12. Decembris dicti anni Acta transmisit , & repetitis præelectionis causis , ita concludit = *EE. VV. oro , obtestorque , ut scientiam non imparem Turrini præelecti , majoraque illius perpendant requisita , & minime dubito , quin præelectionem à me gestam confirmare dignentur , utpote humiliter exoptulo .*

Allegrius sustinet , irrationabile fuisse judicium Episcopi in præelatione Turrinio tributa ; Sed ad hunc effectum probare oportet evidentem , & inexcusabilem excessum , ut ex mente S. Pii V. in sua Constitutione *In conferendis* 33. §. 7. firmat *Rota decis. 269 num. 4. coram Ansaldo , & in Firmana Parochialis 26. Junii 1752. §. 4. clar. mem. Card. Molino ;* Edque potissimum probari debet excessus , cum regula juris sit , quamlibet interpretationem esse pro judicio Episcopi sumendam juxta *Text. in cap. In præsentia de Renunciat. , Gonzal. ad Regul. 3. Cancellar. gloss. 4. num. 124. , & seqq. juncto num. 133. , Pignatell. tom. 1. consult. 98. num. 5. , & Rot. coram Buratt. decis. 22. num. 28. , & seqq. .* Ea perurgente ratione , quia nemo est , cui mores Concurrentium innotescere magis possint , quàm Ordinario , = *Ex quo inferunt Doctores , quòd Ordinarius tenetur illum præferre , cujus mores sunt sibi magis noti =* ut his verbis prosequitur *Pignatell. loc. cit. , Barbos. de offic. , & Potest. Episcopi part. 3. alleg. 60. num. 101. sub vers. Et præferendum , Marefcot. var. resol. lib. 1. cap. 52. num. 25. , Rot. dec. 5. sub num. 4. cor. Celso. , & dec. 269. num. 6. cor. Ansaldo.*

Quoposito , videtur , Allegrium conqueri non posse de præelectione Turrinii ab Episcopo facta , cum eligere Digniore Episcopi judicio reservatum sit à Sacro Oecumenico Concilio *Seff. 24. cap. 18. de Reform. , & à san. mem. Benedicto XIV. In sua Constitutione Cum illud* 68. §. 11. tom. 1. , & in dubio centeri , Episcopum præelegisse quem digniorem , & magis idoneum in Domino judicavit ex firmatis per *Rot. coram Ansaldo. dict. decis. 269. num. 4. , & in citat. Firmana Parochialis 26. Junii 1752. §. 8. cor. cl. me. Card. Molino .* Sat enim est , quòd Turrinius non fuerit ab Examinatoribus reprobatus , ut jure potuerit Episcopus illum seligere , quem tamquam approbatum , digniorem putavit , licet ille quoad scientiæ prærogativam secundo loco decoratus fuerit

Garz. de Benef. part. 9. cap. 2. num. 309. 7. Card. de Luc. de Paroch. disc. 1. num. 17. , & seq. , Rot. in dicta Firmana Parochialis 26. Junii 1752. §. 5. , & seqq. coram Molino , & hæc Sacra Congregatio in Nucarina Parochialis 2. Octobris 1721. , in Lunen. Sarzanen. Parochialis 18. Novembris , & 2. Decembris 1724. , in Firmana Parochialis 22. Januarii , & 25. Junii 1763. , in Portuen. Parochialis 30. Julii ejusdem anni 1763. , & in Perusina Prioratus 27. Aprilis 1776.

Hæc , & alia sunt in Libellis ab utraque Parte respectivè circumferendis , quibus perperis , dignabuntur Eminentissimi Patres expedire Dubium , quod sequitur .

An constet de irrationabili judicio Episcopi , itaut Parochialis S. Savini adjudicanda sit Laurentio Allegri in casu &c.

Negative , & amplius .

Sess. 21. cap. 7. de Reform. , & Sess. 25. Decret. de Invoc. Vener. & Reliq. Sanct. & Sac. Imag.

LUCANA DEMOLITIONIS, ET TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM. Pia Mulier Thomasia Piombinie Terra Petræ Sanctæ Lucanæ in Florentina. Ditione Diœcesis , in ejus ultimo , quo decessit , Testamento condito anno 1596. Prædium hortivum , quod possidebat , nuncupatum S. Vincentii , cum rustica Domino , nec non cum Aede Sacra S. Vincentio dicata , ipsique Prædio in hærentibus reliquit quibusdam de Vannucinis ; eorumque hæredibus , quibus deficientibus , Testatrix voluit , ut in dicto Prædio cum adnexis succederet Monasterium , & Moniales S. Leonis Ordinis S. Claræ præfatæ Terræ Petræ Sanctæ = *con espressa proibizione ; quòd locum prædictum dictæ Moniales non possint vendere ; nec impegnare quoquomodo , & teneantur in perpetuum illo frui , Missam in omni die Sabbathi in Ecclesia S. Vincentii prædicti celebrare , & eam officiare , prout decet , & cum carico , & obliquo ; quòd Moniales prædictæ teneantur quolibet anno celebrari facere in Monasterio earum Sanctæ Claræ Festivitatem Conceptionis Beatæ Mariæ Vir-*
gi-

ginis, & die sequenti *Officium Mortuorum pro Anima di-*
ctæ Testatricis.

Extincta Vannuccinorum Familia, locus factus fuit succes-
sioni ad possessionem Prædii, & Ecclesiæ favore prædicti
Monasterii. Moniales onera à Testatrice præscripta
adamussim hæctenus impleverunt. Nunc precibus exhi-
bitis SSño Domino Nostro, & ad hanc Sacram Con-
gregationem remissis; narrant, præfatam Ecclesiam,
ejus attendita vetustate, ruinam minari, proindeque eam
esse demoliendam, proptereaque postulant facultatem
transferendi Missarum onera à demolienda Ecclesia ad il-
lam proprii Monasterii, quoniam illius reædificatio, seu
restauratio adeo excedentem secumferret expensam, ut
ea totum absumeret Prædium annui redditus librarum
quingenta quinque vix parium, præter onus cele-
brandi Festum SSnæ Conceptionis B. M. Virginis, &
Anniversarium, pro annuis celebrandis Missis viginti-
quinque, ad quem numerum onus celebrandi Missam
die Sabbati cujuslibet Hebdomadæ prædecessor Luca-
nus Archiepiscopus in actu Sacræ Visitationis moderatus
fuerat, atque reduxerat, maxime quia demolitio hujus
Ecclesiæ nullum affert Populo præjudicium; nam geminæ
aliæ sunt non longe positæ Ecclesiæ Populo commo-
diores.

Lucanus Archiepiscopus de more auditus, vera esse retu-
lit quæ à Monialibus exposita fuerunt, earumque vo-
tis annuendum esse censuit. Ait, Moniales anno 1772.,
prævia Edictorum affixione, in emphyteusim dedisse Præ-
dium cum adnexis plus offerenti pro annuo Canone li-
brarum quingenta quinque Florentinæ monetæ, quæ
julios octoginta duos cum dimidio monetæ Romanæ
constituunt; *ex quo deductis oneribus, modicum profe-*
cto Monasterio superesse, perspicuum est.

Addit, quòd ob aquarum copiam quæ defluunt contermino
Monte, ad cujus radices Ecclesia sita est, maximum eadem
Ecclesia passa fuit, & adhuc patitur detrimentum.
Retulit etiam, quòd ad Ecclesiæ *reparationem in-*
gens quadringentorum fermè aureorum impensa ex
Peritorum relatione necessaria foret, ad illius verò
reædificationem duorum fere millium aureorum, quæ
quidem impendia nullo pacto perferre valet Mona-
sterium = Concluditque = Moniales tandem ipsæ,
quoties hoc pacto voti sui compotes evadant, paratas sese
mihî exhibere, Missarum quantitatem initio à Testatri-

ce relictam, cunctis nempe Sabbathi diebus persolvi curare in propria Monasterii Ecclesia; quod tum ipsis Monialibus, tum Populo, tum maxime Testatricis Animæ majus spirituale commodum afferret, atque utilitatem. Sapientissimo enim verò Sacræ Congregationis judicio, ac deliberationi rem totam, ac qualemcumque sententiam meam committo.

Monialium petitio nunc Sapientissimo Eminentissimorum Patrum judicio subiicitur. Sacra Congregatio petitionem demolitionis ruralis Ædiculæ, vel Sacelli, ne Populi pietas, devotio, & religio imminuatur, rejecit *in Ravennaten. 29. Julii 1775., & in Ariminen. Commutationis Voluntatis 2. Decembris ejusdem anni 1775.*

Prout etiam justa, urgente, & necessaria deficiente causa, translationem onerum, & Missarum constantissime denegavit, ut *in Romana Translationis Oneris Missarum 28. Julii 1731., in Ariminen. Translationis Cappellanice 20. Decembris 1732., in Neapolitana Commutationis voluntatis 7. Februarii 1733., in Panormitana Translationis Oneris Missarum 26. Septembris 1739., in Vicen. Translationis Oneris Missarum 19. Aprilis 1766.*

Maxime si Testatrix, prout in casu, pro Missarum celebratione certam Ecclesiam designaverit, nam tunc eò translationem difficilius esse concedendam sustinet *Ric. in praxi part. 4. resolut. 69. per tot., & Pax. Jordan. tom. 1. var. resol. lib. 4. tract. 1. de Sacrif. Miss. n. 540.,* ac utramque petitionem, demolitionis scilicet Ecclesiæ, & translationis oneris Missarum perpendens Sacra Congregatio, utramque reprobavit *in Æsina Demolitionis 26. Augusti 1780. = in qua proposito I. Dubio = An sit locus demolitioni ruralis Ecclesiæ S. Mariæ de Populo Castri Montis Carotti, & respective translationi ejus Cæmentorum, nec non Foundationum, Utenfilium, & Onerum in ea existentium ad Ecclesiam Parochialem ejusdem Castri in casu &c. = responsum fuit = Negative in omnibus.*

Ponderandum insuper est, quis nam, vel scilicet Moniales, vel Emphyteuta teneatur subire impensam quadrigentorum aureorum pro reparanda Ecclesia, quæ cum hac summa, ut Periti retulerunt, absque demolitione reparari potest. Hujus quæstionis definitionem remittendam esse ad Episcopum decrevit Sacra Congregatio *in dicta Æsina Demolitionis 26. Augusti 1780. quoad II. Dubium sic conceptum = An, & quomodo sit providendum in casu &c. = cui responsum datum fuit =*

Epi:

28. Julii 1781.

131

Episcopus provideat omnibus juris remediis contra quos de jure. Dubium proponitur.

An sit locus demolitioni Ecclesiæ S. Vincentii, & respectivè translationi illius Cæmentorum, Utensilium, & Oneris Missarum ad Ecclesiam Monasterii S. Leonis Terræ Petræ Sanctæ in casu &c.

Non proposita cum sequentibus ;

NULLIUS SUBLACEN. BENEPLACITI APOSTOLICI. Hujus Causæ species repetenda est à Folio Congregationis habitæ die 16. proxime præteriti mensis Junii, sed ejusdem Causæ Dubium ea die proponi non potuit. Eo autem proposito in postrema Congregatione diei 7. labentis mensis Julii, nulla ei data fuit resolutio, nam scissis Eminentissimorum Patrum suffragiis, rescriptum fuit, ut iterum Causa proponeretur. Nunc verò, una ex Partibus instante, & altera non renuente, Causam iterum damus. Ex novis juribus à Collitigantibus, ut ipsi asseruerunt, circumferendis Eminentissimi Patres cognoscere poterunt.

An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum super venditione Domus spectantis ad Canonatum Giordani in casu &c.

*Sess. 22. cap. 11.
de Reform.*

MEDIOLANEN. BENEFICII. Joannes Aloysius, & Franciscus Fratres Vicecomites anno 1371. Beneficium Ecclesiasticum sub invocatione SS. Joannis Baptistæ, & Aloysii fundarunt in Ecclesia ab eorum Majoribus constructa in Loco de Albizate Plebis Galleratæ Mediolanensis Diocesis: Plura Bona prædicti Fratres cesserunt pro dote Beneficii, & pro congrua Beneficiarii manutentione: Jus patronatus, seu jus nominandi

*Sess. 22. cap. 6.
de Reform., &
Sess. 25. cap. 5.
de Reform.*

Beneficiatum, five Cappellanum sibi ipsis reservarunt, & subinde eorum filijs masculis, istorumque filiorum filijs majoribus masculis, qui tamen non excedant numerum trium ad electionem faciendam, & sic successive tribus Majoribus, seu Antiquioribus ex Descendentibus suis masculis = iisque deficientibus, jus nominandi relinquunt tribus Majoribus, & antiquioribus, & propinquo-ribus masculis de Agnatione sua.

Voluerunt insuper Fundatores, quod Beneficiatus, seu Cappellanus pro tempore nominandus sit Sacerdos bonæ famæ, & in Sacerdotio constitutus; Quod teneatur residere in dicto Loco de Albizzate, nec obtinere possit aliud Beneficium Ecclesiasticum, uno dumtaxat excepto simplici Beneficio nullam habente, seu requirente personalem residentiam; Quod ipse quotidie *salva debita honestate, & justo impedimento cessante*, Missam suam ad Altare supradictæ Ecclesiæ celebrare teneatur; Quod si *justo impedimento cessante* per quindecim dies continuos Missam non celebraverit, tunc ipso jure cecidisse intelligatur à Beneficio, & ab omni alio jure eidem competente, liceatque Patronis alium eligere Beneficiatum, seu Cappellanum, prout etiam sub eadem privationis, & caducitatis pœna Bona à Fundatoribus Ecclesiæ cessa, & cedenda nullo modo vendere, permutare, ac etiam in Emphyteusim dare possit; Quodque teneatur certa eidem præscripta forma celebrare Anniversarium die ante Festum S. Aloysii.

Anno 1761. vacato dicto Beneficio, Comes Laurentius Taberna tamquam Pater, & legitimus Administrator trium ejus, & Comitissæ Annæ Lunatæ Vicecomitis Uxoris filiorum masculorum, & Beneficii Patronorum nominavit Comitem Ignatium Vicecomitem in Sacerdotali dignitate constitutum. Is obtenta institutione ab Archiepiscopali Curia Mediolanensi, in malam incidit valetudinem tum corporis, tum ejus potentie visivæ, per quam necesse ei fuit residentiam deserere, & Missarum celebrationem intermittere. Quamobrem anno 1776. instante Promotore fiscali dictæ Archiepiscopalis Curie, prodiit Sententia, qua declaratum fuit, Comitem Ignatium teneri ad integrum implementum onerum Beneficii, deputato interim Œconomio pro ejusdem Beneficii Bonorum administratione.

Anno verò 1778. Beneficiatus supplex adivit Eñum Archiepiscopum tria postulans, *primum*, quod eum absolute

lute dispensaret à residentia; *secundum*, quòd eum, ipsius attenda paupertate, ad compositionem admitteret pro Missis non celebratis; ac *tertium*, quòd revocaretur Oeconomi deputatio, paratum se offerens celebrare facere Missam quotidianam. Tribus his petitionibus Eminentissimus Archiepiscopus cum voto Promotoris fiscalis rescripsit, quoad residentiae dispensationem, quòd illam obtineret à Sancta Sede, eo interim ad tempus ab illa dispensato; quò verò ad postulatam compositionem rescripsit Archiepiscopus, se paratum esse vigore Apostolicorum Indultorum eidem illam concedendi; ac demum quoad remotionem Oeconomi nihil rescripsit.

Hæc ipsa tria postulavit Beneficiatus in suis precibus SSmo Domino Nostro porrectis, iisque ablegatis ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Eminentissimus Archiepiscopus, qui hæc tenus dicta confirmavit; additque = *Infirmas tum potentiae visivæ, tum pectoris, quibus subjacet Orator in dubium revocari non possunt, ob quas justa videtur causa nec residendi in loco, nec celebrandi per se ipsum. Itemque paupertas ejusdem relatè ad nobilitatem ejus sanguinis aliquantulum subsistit.*

Retulitque pariter, immemorabilem in Archidiœcesi Mediolanensi vigere consuetudinem = *infirmos Beneficiorum Possessores signanter nil aliud præter redditus Beneficiorum congruos habentes, per totum, & quaecumque infirmitatis tempus, non adigendi ad Missarum celebrationem per alios.*

Votumque suum aperiendo censuit = *quoad petitam præteritarum Missarum compositionem, residentiam in loco, & personalem celebrationem, censuram, ipsum sperare posse ab ista Sacra Congregatione postulatam dispensationem: Quò verò ad suspensionem Missæ quotidianæ, quatenus prætermissa dicta immemorabili consuetudine, & adimpletis cæteris oneribus Beneficii, aliquid tamen indulgere placeret ipsi Sacræ Congregationi, Missas saltem omnes diebus festis per alium Sacerdotem retinendas essentire cum ea quacumque majori eleemosyna eroganda Sacerdoti, prout opus fuerit, firma manente administratione penes Oeconomum deputatum, ut promptius eleemosyna præfata celebranti subministraretur, & ita securius Missæ adimpleantur.*

Hæc in factò sunt, quæ autem Juris, rogantur EE. PP., ne præsens Folium in volumen excrescat, ea perlegere

in libellis ab utraque parte circumferendis. Sex sunt Dubia.

- I. *An sit locus incurfioni caducitatis, & remotioni Sacerdotis Ignatii Visconti à Beneficio SS. Joannis Baptistæ, & Aloysii in loco de Albizzate existen., ita ut deveniendum sit ad electionem novi Cappellani in casu &c.=, & quatenus negative.*
- II. *An supradictus Sacerdos teneatur in casu Infirmittatis residere in loco de Albizzate, sive potius sit eidem concedendum Indultum abessendi à loco Residentiæ in casu &c.*
- III. *An durante Infirmittate teneatur implere onus Missæ per alium in casu &c., & quatenus affirmative.*
- IV. *An, & quomodo sit ei indulgendum tam quoad præteritum, quàm quoad futurum in casu &c.*
- V. *An sustineatur deputatio Æconomi, seu potius sit locus ejus remotiori in casu &c.*
- VI. *An constet de onere celebrandi annuale, seu Anniversarium ex dispositione Petri Visinara, in casu &c.*

Die Sabbathi 18. Augusti 1781. in Palatio Apostolico Quirinalli erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

T Res priores, quæ mox subiiciuntur, Causæ in postrema Congregatione diei 28. nuper elapsi mensis Julii proponi non potuerunt. Rogantur itaque Eminentissimi Patres, ut nunc eas, resumpto dictæ Congregationis Folio, definiant.

L UCANA DEVOLUTIONIS, ET TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM, in qua respondendum est.

Sess. 21. cap. 7 de Reform., & sess. 25. Decret. de Invoc. Ven., & Reliq. Sanct., & Sac. Imag.

An sit locus demolitioni Ecclesiæ S. Vincentii, & respectivè translationi illius Cæmentorum, Utensilium, & Oneris Missarum ad Ecclesiam Monasterii S. Leonis Terræ Petræ Sanctæ in casu &c.

Affirmativè, facta per Moniales obligatione in juris valida celebrationis Missæ in Ecclesia Monasterii in omnibus Sabbatis, & satisfactionis aliorum onerum ad formam Testamenti, servatis cautelis à Sacro Concilio præscriptis in demolitione, & aliis solitis, & consuetis,

NULLIUS SUBLACEN. BENEPLACITI APOSTOLICI, in qua quæritur.

An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum super venditione Domus spectantis ad Canonicatum Giordani in casu &c.

Affirmativè :

Sess. 22. cap. 6.
de Reform, &
Sess. 25. cap. 5.
de Reform.

MEDIOLANEN. BENEFICII, cujus VI. sunt Capita.

- I. *An sit locus incurfioni Caducitatis, & remotiõni Sacerdotis Ignatii Visconti à Beneficio Sancti Joannis Baptistæ, & Aloysii in loco de Albizzate existen., ita ut deveniendum sit ad electionem novi Cappellani in casu &c. = & quatenus negativè.*
- II. *An supradictus Sacerdos teneatur in casu Infirmitatis residere in loco de Albizzate, sive potius sit eidem concedendum Indultum abessendi à loco Residentiæ in casu &c.*
- III. *An durante Infirmitate teneatur implere onus Missæ per alium in casu &c.*
- IV. *An, & quomodo sit ei indulgendum tam quoad præteritum, quàm quoad futurum in casu &c.*
- V. *An sustineatur deputatio Economi, seu potius sit locus ejus remotiõni in casu &c.*
- VI. *An constet de onere celebrandi Annuale, seu Anniversarium ex dispositione Petri Visinara in casu &c.*

Ad Primum. Negativè, & amplius. Ad II. Teneri ad residentiam, & esse locum Indulto favore Oratoris, ratione Infirmitatis, ad annum, & amplius. Ad III. Affirmativè, & amplius. Ad IV. Quoad Missas non celebratas usque ad diem 21. Julii 1777. ad D. Secretarium cum SSmo: Quo vero ad alias à dicta die usque nunc præteritas teneri adimplere intra terminum ab Esmo Archiepiscopo præfigendum in quantitate ab eodem liquidanda; & quoad futurum provisum in Tertio, & amplius. Ad V. Arbitrio Esmi Archiepiscopi, & amplius. Ad VI. Affirmativè.

MASSANEN. . Redit nunc ad Amplissimorum Patrum *Sess. 22. cap. 6. de Reform.* *judicium hæc Cauſa , quæ data fuit in Folio Congregationis habitæ die 16. Septembris anni 1780. , sed ea die proponi non potuit : Propolita verò in Congregatione diei 2. Decembris ejusdem anni, definita fuit : Responderunt enim Eminentissimi Patres Dubio , quod proponebatur = An , & quomodo Capituli Oratoris precibus sit annuendum in casu &c. = Negative = De hac definitione conquestus fuit Massanensis Antistes Epistola, expositasque in ea rationes SS̃mus Dominus Noster proponi jussit Eminentissimorum Patrum judicio . Cauſa nunc reproponitur ; Resumendum est Folium dictæ Congregationis diei 16. Septembris 1780. ; Legenda sunt jura , quæ primum à Capitulo , & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Massæ circumferuntur : Quibus omnibus perspectis , libratisque, munus erit Amplissimorum Patrum discernendi. An sit standum , vel recedendum à Decisis in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus .

ANAGNINA . Proposita hæc Cauſa fuit in Congregatione *Sess. 25. cap. 5. de Reform.* *habita die 10. transacti mensis Februarii currentis anni , cujus Congregationis Folium Eminentissimi Patres resumere dignabuntur . Rescriptum , quod ea die datum fuit , sequens est = Dilata , & exhibeatur Testamentum Joannis Baptistæ , Matthiæ Rauli , nec non firmetur Status utriusque hæreditatis , & doceatur de redditibus , & oneribus Capituli .*

Mandatis Sacræ Congregationis obtemperarunt Oratores, nam ii Testamentum Joannis Baptistæ , ejusque Conſobrini Matthiæ Rauli in publicam formam recognitum exhibuerunt unà cum firmatione Status activi , & passivi

eorum Bonorum hæreditariorum, quæ, & non alia, sunt à Capitulo possessa, habita quoque relatione ad redditus, & onera ejusdem Capituli.

Ex Testamento namque habetur id ipsum, quod fuit expressum in Folio supradictæ Congregationis diei 10. Februarii proximè præteriti.

Ex firmatione Status activi, & passivi patet, ad illam conficiendam geminos electos fuisse Peritos, Curialem scilicet, & Ratiocinatorem, qui præ oculis habito Inventario Bonorum hæreditariorum Rauli, & consideratis considerandis, unanimiter retulerunt, Statum activum ascendere ad annum redditum scutorum mille centum vigintiquatuor, & obulorum octoginta cum dimidio; Passivum verò Statum compositum ex oneribus certis Capituli annum conficere summam scutorum septingentorum triginta septem, quibus à Statu activo subductis, hunc supergredi in annuis scutis tercentum octuaginta septem, & obulis octuaginta cum dimidio dividendis inter novem Canonicos, & Rectorem, cui scuta decem ultra portionem uniuscujusque Canonici in illius portionis augmentum ex testamentaria Dispositione sunt annuatim persolvenda.

Addunt Periti, alia etiam adesse onera incerta à Capitulo subeunda, quæ Statum passivum ut plurimum augent, activum verò imminuunt. Illi enim sic ajunt = *Non essendo stato considerato il Terratico, come si suppone verrà imposto, l'ossatura, e volta della Chiesa, rifezione di Campane, ed altre spese diverse* (prout sunt meliorationes in Prædiis rusticis, restorationes in Urbanis, & similia) *non contenute ne' presenti Fogli, essendo dette spese, e pesi incerti.*

Patet insuper, hanc firmationem Status productam à Capitulo fuisse in Ecclesiastica Anagnina Curia, citato Promotore Fiscali, & institum fuisse, ut eidem Promotori Fiscali præfigeretur terminus ad deducendum jura, si quæ habet, seu proponendas exceptiones adversus productam Status firmationem; Promotor autem Fiscalis penes Acta subinde declaravit = *se videri, ac diligenter examinasse Statum activum, & passivum Bonorum hæreditariorum bon. mem. Joannis Baptiste, & Matthiæ Rauli possessorum à Rîno Capitulo, perscrutatum fuisse Inventarium eorundem Bonorum, ex quo iidem Status activus, & passi-*

passivus efformati sunt, & contra eos tamquam recte, valide, & juste firmatos nil habere, quod deduci, aut opponi possit, ideo &c. = cuius declarationis virtute Iudex definitivum suum protulit Decretum, quo declaravit, decrevitque, prædictum Statum activum, & passivum tamquam ritè, validè, ac justè confectum approbandum fore, & esse, prout approbavit.

Hæc quoad firmationem Status. Verumtamen ponderandum est, hic non agi de facienda Missarum reductione, attenda reddituum imminutione, sed agi quidem de exequenda illarum reductione jam facta à Matthia Rauli, tamquam superstitute Consobrino Fratri, suo virtute facultatum, quas sibi ipsi reservarunt addendi, minuendi, & immutandi Testamentariam dispositionem.

Animadvertendum insuper est, hanc immutatæ voluntatis declarationem à Matthia factam, nimirum erigendi Collegiatam in Parochiali Ecclesia S. Andreæ, non autem in Domo ipsorum habitationis, ubi Ecclesia de novo ædificanda erat, ut in Testamentariis Tabulis dispositum fuerat, itemque ad unam tantum Missam quotidie celebrandam reducendi tres quotidianas Missas in Testamento præscriptas, exequutam fuisse à Summo Pontifice in Bulla Ereccionis, dum Collegiatam erexit, juxta declarationem Matthiæ, in præfata Parochiali Ecclesia S. Andreæ, ac præcepit, quòd Canonici = Missas latius in dicto Testamento, & declarationibus subinde secutis demandatâs celebrare debeant, & teneantur.

Nec mirum esse videtur, si Summus Pontifex in dicta Bulla Ereccionis quoad Missarum celebrationem relationem habuerit tam ad Testamentum, quàm ad declarationem Matthiæ, quia in Testamento præscripta fuerat aliarum Missarum celebratio in posteriori declaratione Matthiæ non immutata, prout est Missarum celebratio faciendâ in Cappella Divi Caroli Anagninæ Cathedralis de Jurepatronatus ipsorum Fundatorum, nec non celebratio Missæ Conventualis præscripta in eodem Testamento, ad cuius tramites in præfata Bulla mandatur, quòd Capitulum celebrare quotidie teneatur = unam Conventualem, seu Majorem Missam pro suffragio Animarum prædictorum Testatorum, illorumque Parentum, & Consanguineorum, ac Benefactorum.

Quibus perpenſis, aliisque, quæ ſunt in libello à Capitulo circumferendo, munus erit Eminentiffimorum Patrum originarium, quod ſequitur, definire Dubium.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

*Seſſ. 25. cap. 13.
de Reform.*

RAVENNATEN. FUNERUM. Species hujus Cauſæ expreſſa latiffimè fuit in Folio Congregationis habitæ die 17. nuper elapſi menſis Martii, a quo repetenda eſt. Paribus enim hinc inde in eadem Congregatione Eminentiffimorum Patrum ſuffragiis, ampliata fuit reſponſio = *iterum proponatur* = Iterum nunc Cauſa proponitur circumferendis Libellis tum ex parte Parochorum Civitatis Ravennatenſis, tum ex parte Seminarii dictæ Civitatis, cui Eccleſia S. Hieronymi, quæ erat extinctæ Societatis Jeſu, cum omnibus ejus juribus *A' SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO* ceſſa fuerat, ut Ampliffimi Patres, perpenſis juribus hinc inde deductis, definiant.

An Funerale debeatur integrum Parochis, quando Defuncti fuerunt ſepulti in Eccleſia S. Hieronymi in caſu &c.

*Seſſ. 25. cap. 4.
de Reform.*

MELEVITANA MISSÆ CONVENTUALIS. Capitulum, & Canonici Collegiatæ Eccleſiæ dicatæ Sanctiffimæ Viſitationi Beatiffimæ Mariæ Virginis Caſalis Garbii in Inſula Gaulos Melevitanæ Diœceſis porrectis precibus poſtulant reductionem applicationis Miſſæ Conventualis ad dies tantum feſtos de præcepto.

Audi-

Auditus de more fuit Melitenfis Antiftes, qui retulit, Capitulum componi ex duabus Dignitatibus, nimirum Archipræsbytero Animarum curam habente, ac Præposito, nec non ex quatuor Canonicis: Archipræsbytero verò pro fua Præbenda affignatos fuiſſe Paræciæ redditus certos, incertosque aſcendentes (dempta tamen ex eis quota pro quotidianis diſtributionibus, nec non elemofyna Miſſæ pro Populo) ad annua ſcuta ſexaginta quatuor, & obulos tredecim monetæ Romanæ; Præposito autem pro fua Præbenda conſtituta fuiſſe nonnulla Stabilia, ex quorum redditibus dempta ſimiliter parte pro diſtributionibus, ei ſuperſeſſe tantum annua ſcuta viginti, & unum, & obulos quadraginta quinque monetæ Romanæ.

Tres item ex quatuor Canonicis certos ratione Præbendæ habere redditus ſubjectos pariter deductioni illorum ratione pro quotidianis diſtributionibus, itaut unicuique eorum ſuperſint dumtaxat annua ſcuta monetæ Romanæ duodecim, & obuli quinquaginta; Quartum denique Canonicum certis frui Bonis pro fua Præbenda, & ex eorum fructibus; demptis diſtributionibus quotidianis, pro Canonico ſuperſeſſe annua ſcuta quatuordecim, & obulos triginta pariter monetæ Romanæ: Ideoque cenſuit, *annuendum eſſe precibus dicti Capituli, & Canonicoꝝ ſuper petita reductione quotidiane Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere ad feſtivos dumtaxat dies.*

Sacra Congregatio, concurrente vel Præbendarum, vel reddituum tenuitate, petitam reductionem concedere conſuevit, quemadmodum *in Placentina Miſſæ Conventualis 1. Martii 1777., in Theleſina Miſſæ Conventualis 19. Julii ejuſdem anni, & in Faventina Miſſæ Conventualis 10. Februarii currentis anni 1781. Quæritur.*

An, & quomodo fit locus reductioni Miſſæ Conventualis in caſu &c.

FERRARIEN. Ratam Latifundii in vocabulo Caldiera ſiti in Territorio Oppidi Argentani Ferrarienſis Diœceſis, quod Julius Selmi ex eodem Oppido titulo Emphy.

Seſſ. 25. cap. 11. de Reform.

phytenſis, ſive uſus, vel livelli poſſidebat, Julius Cæſar, & Ciprianus Fratres de Conoſciutis Ferrarienſes ejuſdem Latifundii Domini directi anno 1668. prævio Beneplacito Apoſtolico per Tranſactionem ceſſerunt Menſæ tunc Episcopali, nunc Archiepiscopali Ferrariæ pro annuo Canone ab emphyteuta, ſive uſuario Selmi dictæ Menſæ ſolvendo in ſcutis quinquaginta, eo tamen adjecto pacto, ceſſam Latifundii ratam ab onere Canonis liberandi, ſoluta, depoſitaque ſumma ſcutorum octingentorum triginta trium, & obulorum triginta trium favore, & in utilitatem ejuſdem tunc Episcopalis Menſæ inveſtiendorum.

Emphyteuticum hoc Latifundium unâ cum dicto paſſivo Canone pro indiviſo coaluit in Canonicum Ignatium, & Joannem de Selmis; Portio Canonici obvenit Cohæredibus ſuis: Illa verò Joannis Selmi Eleonoro, & Joanni Baptiſtæ Patruo, Nepotique de Paſtis.

Anno 1768. Cohæredes Canonici Latifundii portionem ad iptos jure hæreditario reſpective pertinentem, quæ quintam illius partem ex novem ejuſdem Latifundii portionibus conſtituebat, ceſſerunt Marchioni Marco Antonio Ercolani Bononienſi cum onere ſolvendi Menſæ Archiepiscopali Ferrariæ ratam redimibilis Canonis reſpective ad quinque ceſſas Latifundii portiones in annuis ſcutis vigintiſeptem, & obulis ſeptuaginta ſeptem. Hanc ceſſionem anno 1770. Sede Archiepiscopali vacante, approbavit Commiſſarius Generalis Rev. Camera Apoſtolicæ Ferrariæ degens tamquam Spoliorum Subcollector publico ſtipulato Inſtrumento, in quo de ceſſa Latifundii portione nomine Archiepiscopalis Menſæ Marchionem inveſtivit cum onere ſolvendi Canonem in dictis ſcutis 27., & obulis 77., adjectoque pacto, quod = *col preſente Inſtrumento non s' intendà fatto pregiudizio veruno ab predetto Signor Inveſtito di potere appropriare detto Capitale ſecondo il pattuito, e contenuto nel citato Inſtrumento*, nimirum dicti anni 1768., in quo hæc pactio non legitur.

Nunc Marchio Philippus Ercolani moxdicti Marci Antonii filius cupiens redimere ſuam Canonis ratam unica faciendâ ſolutione ſcutorum quatuorcentum ſexaginta duorum, & obulorum nonaginta ſex vigore Inſtrumentorum Inveſtiturarum ab eadem Menſa conceſſarum, poſſulat, ut eidem concedatur facultas redimendi dictam Canonis ratam oblato pretio dd. ſcutorum 462. & obul. 96. ab Archie-

Archiepiscopo Ferrariensi recipiendo , ac pro Mensa Archiepiscopali investiendo .

Litteræ datæ fuerunt Archiepiscopo , qui ait , = *haud putavi me Oratoris petitioni absque EE. VV. auctoritate annuere posse* , retulitque , verum esse pactum stipulatum anno 1668. Mensam inter , ac illos De Conosciutis primos investitos deponendi favore ejusdem Mensæ scuta 833. 33. pro integro redimendo Canone scutorum quinquaginta, nulla verò in eodem Instrumento facta mentione , posse depositum prædictum peragi, vel divisim , vel in aliqua minori summa .

Addit Archiepiscopus = *Si verò in re , vel jus Marchionis Oratoris , vel Mensæ utilitas perpendatur , neutrum deficere videtur . Enim verò ex superius Concessionis Instrumenti allatis verbis constat , Marchionem prædictum haud esse prohibendum pro libito Prædium Emphyteuticum liberum à Canone efficiendi , cum in jure nimis cautum sit , pacta inter Contrahentes minime esse infringenda .*

Prosequiturque = *Nulla idcirco in hypothesi apparet ratio , quare Mensa hæc Archiepiscopalis Oratoris desiderio obistere queat , ni dicere velimus , ipsam communitam fore peculiari successione , ac nequidquam ideo factio Antecessoris teneri , eoque fortius cum Instrumentum Concessionis præsentis Emphyteusis non apprime collimare videatur cum altero antiquioris Episcopi Prædecessoris habito de anno 1638. occasione Transactionis inter Mensam , ac de Conosciutis, uti supra animadverti . Verum inficiari nequit, quo demandatum esse in dicto Instrumento integram solutionem in casu , ut ajunt , affrancationis scutorum 800. 33. 4. eo expresse prohibitam , eam non esse fieri dijunctive , vel pro rata , circa quòd animadversione dignum putatur , supradictos de Conosciutis consanguinitate esse obstrictos , & forsan in communi de tempore Contractus viventes , & per consequens excogitatam non fuisse separatam , divisamque solutionem cujuslibet ex ipsis , ideoque pactum illud adversari non videtur cum isto recentiori ultimo , liberandi scilicet , seu affrancandi Prædium per jam dictam exhibitam , conventamque solutionem scutorum 462. 96. 3.*

Demumque suum votum aperuit his verbis = *Quibus omnibus spectatis , justam sane putarem supplicantis petitionem ; neque ex ea damnum ullum oriri posse huic Mensæ . Quapropter cum neque etiam Mensæ Æconomus ullimode dissentiat , neque sint , qui in negotio habere queant interesse ,*

se, effem proinde in sensu à benignitate EE. VV. indulgendum esse pro implorata gratia.

At verò ponderandum erit, an ex facta Canonis divisione inferri possit ad divisionem etiam Capitalis Canonis in casu illius redemptionis; ita ut alter ex Emphyteutis, sine altero possit Canonem pro sua tantum portione redimere, quoties pactum fuerat in prima Emphyteutis concessione, quòd in casu liberandi Prædium à Canonis solutione scutorum quinquaginta, liberatio fieret unica solutione scutorum 833. 33.: Et quavis verum sit, quòd in Instrumento Investituræ à Commissario Generali Ferrariæ factæ anno 1770. pro quinque Prædii portionibus præservata fuerint jura Marchionis illas liberandi à Canone annuorum scutorum 27., & obulorum 77., non tamen expressum in eo fuit, quòd hæc liberatio fieri à Marchione deberet solutis scutis 462. 96.

Et licet à Marchione in suis precibus asseratur, factam etiam fuisse Capitalis Canonis divisionem, nimirum in scutis 370. 37. debitis ab illis de Partis, qui portionem Prædii possident pro quatuor partibus, Canonemque solvunt in annuis scutis 22., & obulis 22. 2., & in scutis 462. 96. 3. debitis à Marchione pro quinque Prædii portionibus, pro quibus Canonem solvit in annuis scutis 27. 77. 10., eandemque divisionem etiam quoad sortem Canonis asseritur ex publicis Instrumentis resultare, Instrumenta tamen hujusmodi non fuerunt adhuc exhibita.

Uterius erit examinandum, an hæc ratæ Canonis liberatio, seu redemptio utilis sit Mensæ Archiepiscopali, nam hæc si Canonem exigit à duobus Emphyteutis, integrum tamen Canonem in anno percipit scutorum quinquaginta; non ita quoad illius sortem, dum modo percipiens Mensa scuta 462., & obulos 96. jus amittit integram habendi sortem scutorum 833., & obulorum 33. Animadvertendum insuper erit, quòd oblata recepta summa scutorum 462. 96., eaque investita, investimentum non reddet fructus scutorum 27. 77. 10. Cæterum spernenda nec etiam est animadversio, quòd in Instrumento Investituræ Marchioni concessæ anno 1770. exprimitur, Prædium *pro indiviso* à geminis Emphyteutis possideri, id, quod quamlibet divisionem excludere videtur: Dubium est.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu hęc.

EUGUBINA APPLICATIONIS. Ut indigentis Eugubini Seminarii consulereur, Eugubinus Antistes supplicavit Summum Regnantem Pontificem pro unione Seminario facienda duorum simplicium Beneficiorum, quæ, dum in humanis erat, possidebat Canonicus Hieronymus Ondedei Collegii Germanici, & Ungarici de Urbe Rector. Supplicationibus annuit Sacratissimus Princeps; At Litteræ Apostolicæ super concessa Beneficiorum unione ob inopiam Seminarii adhuc expediri non potuerunt.

Sess. 23. cap. 18.
de Reform.

Erectum adest in Villa Coccorani Hospitale pro pauperibus Infirmis dictæ Villæ Eugubinæ Diæcesis ex pia dispositione Comitis Julii Bigazzini, qui omnia Bona sua erigendo Hospitali reliquit, voluitque illorum Administratorem esse Plebanum ejusdem Villæ pro tempore existentem cum onere quotannis suæ Administrationis, ac de Bonorum redditibus reddendi rationem Eugubino Antistiti. Hospitalis redditus uberrimi sunt, ita ut ex iis demptis omnibus oneribus, & expensis pro manutentione Hospitalis, & Bonorum, in conspicua summa quolibet anno supersint, quemadmodum ad præsens plura centena scutorum otiosa remaneant penes Plebanum Administratorem.

Ex his superextantibus redditibus supplicavit Seminarii Rector detrahendam, & applicandam esse eidem Seminario summam scutorum biscentum quinquaginta, quot necessaria sunt pro Litterarum Apostolicarum concessæ Unionis expeditione.

Episcopus, qui ut moris est, auditus fuit, petitioni Rectoris Seminarii favet, fuitque pariter auditus Hospitalis Administrator, qui suum præstat assensum petitiæ pecuniarum applicationi, paratumque se dicit, ex superextantibus redditibus Hospitalis postulatam numerare summam scutorum biscentum quinquaginta, quoties ab hac Sacra Congregatione necessariam obtinuerit facultatem.

Preces nunc renovat Seminarii Rector, ejusque jura legenda sunt in ejus circumferendo libello. Sacra Congregatio vel in hoc, vel in alio simili casu non rarò decrevit, applicationem superextantium reddituum Hospitalis faciendam esse favore indigentis Seminarii, ut in *Sarsinaten. Unionis 10. Aprilis 1645. censuit, concedendam esse facultatem Episcopo Sarsinaten. uniendi redditus Hospitalium Castri Ciulæ, & Castri Taipi Seminario Sarsinaten., salva tamen Hospitalitate, & salvis reddi-*

tibus pro dicto effectu necessariis, ut in lib. 17. Decr. fol. 460., & in Montis Alti 4. Septembris 1655. indulsit, ut medietas reddituum Hospitalis Montis Elpari non exactorum possent ab Episcopo applicari Seminario = ut in lib. Decr. 19. pag. 515. à terg.

Queritur .

An sit locus applicationi fructuum superextantium Hospitalis Coccorani pro summa scutorum biscentum quinquaginta eroganda in expeditione Bullæ unionis Beneficiorum favore Seminarii Eugubii in casu &c.

Die Sabbathi 15. Septembris 1781. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

CUM sex Causæ priori loco inferius recensendæ proponi non potuerint in postrema Congregatione diei 18. nuper elapsi mensis Augusti, rogantur Amplissimi Patres pro ejusdem Congregationis Foliæ reassumptione, ut expediant.

MASSANEN., cujus Dubium est.

An sit standum, vel recedendum à decisio in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

In decisio juxta modum, nempe ex Cappellania Lotti, duas esse constituendas Cappellanas, reservato jure patronatus favore Capituli juxta legem foundationis, cum assignatione scutorum triginta pro unoquoque Cappellano, prævio examine ab Episcopo approbando, iisdemque Cappellanis injungendum esse, ut Canonicum Parochum coadjuvant in omnibus spectantibus Curam Animarum; ac præterea cum onere celebrandi per turnum Missam in Aurora, & in Meridie juxta solitum; & pariter cum obligatione applicandi Centum Missas singulis annis ab unoquoque pariter Cappellano ad formam Testamenti, firmis remanentibus aliis oneribus apud Canonicos, & præsertim Missæ Conventualis cum applicatione pro Benefactoribus ad formam juris, & Constitutionis San. Mem. Benedicti XIV. = *Cum semper*, facta Verbo cum Sanctissimo, & ad mentem.

*Sess. 25. cap. 5.
de Reform.*

A NAGNINA, in qua ambigitur.
*An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in ca-
su &c.*

Affirmativè juxta modum, nempe unam tantum Mis-
sam lectam esse quotidie celebrandam pro Anima-
Fundatorum, præter Missam Conventualem.

*Sess. 25. cap. 13.
de Reform.*

R AVENNATEN. FUNERUM, in qua disquiri-
ritur.

*An Funerale debeat integrum Parochis, quando Defuncti
fuerunt sepulti in Ecclesia S. Hieronymi in casu &c.*

Negativè, & amplius.

*Sess. 25. cap. 4.
de Reform.*

M ELEVITANA MISSÆ CONVENTUALIS, in
qua expediendum est.

*An, & quomodo sit locus reductioni Missæ Conventualis in
casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo, qui referat super sta-
tu, & quantitate multiplici transmissa dispositione
Fundatoris ipsius.

*Sess. 25. cap. 11.
de Reform.*

F ERRARIEN. in qua disputatur,
*An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in ca-
su &c.*

Dilata, & exhibeantur Instrumenta Transactionis an-
ni 1668., & Investituræ factæ favore Marchionis
Ercolani,

*Sess. 23. cap. 18.
de Reform.*

E UGUBINA APPLICATIONIS, cujus unum Ca-
put est.

*An sit locus applicationi fructuum superextantium Hospita-
lis Coccorani pro summa scutorum biscentum quinquaginta
eroganda in expeditione Bullæ unionis Beneficiorum favo-
re Seminarii Eugubii in casu &c.*

Affirmativè pro scutis Centum vigintiquinque.

CARPENTORACTEN. Capitulum Cathedralis, & Parochialis Ecclesiæ S. Siffridii Civitatis Carpentoractensis habitualem habet Animarum curam, pro cuius actuali exercitio ad dirimendas quæstiones Canonicos inter exortas super electione idoneorum Præsbyterorum, anno 1565. Carpentoractensis Antistes mandavit = *che la detta elezzione apparterrà al Capitolo colla condizione di eleggerli dal numero dei Beneficiati della detta Chiesa, purchè abbiano le dovute qualità, in mancanza delle quali il detto Capitolo possa scegliere Preti esteri, quali sarà obligato di presentarli a Monsignor Vescovo per approvarli. Quanto alla loro distribuzione, questa verrà presa dai proventi degli Anniversarij.*

Canonici non desunt in subeundis oneribus Parochialibus, quoad nonnullas Ecclesiasticas functiones, & in eorum auxilium geminos sub Curatorum nomine seligunt Præsbyteros ad nutum amovibiles, quibus pro ipsorum stipendio tradunt habitationem, honestamque mensam, famulatum, Mobilia, & linteamina cujusvis generis, & speciei; præstant etiam eis in casu Infirmitatis medicamenta, Medici, & Chirurgi operam, & alia, quæ, ut iidem ad pristinum valetudinis statum restituantur, necessaria sunt; Rursus eis, & Mansionariis certam annualiter solvunt pecuniarum quantitatem inter ipsos æqualiter partiendam; Ac demum ipsis concedunt jus aggregationis Choro, & Ecclesiæ, ex quo eorum quilibet percipit annuas libras Gallicæ monetæ nonaginta circiter præter Missarum eleemosynam.

Anno 1778. ad reclamationem Parochorum, & Vicariorum Status Avenionensis, & Comitatus Venayssini Animarum Curam exercentium edita fuit à Summo Regnante Pontifice Constitutio vigore Motus proprii, in qua Pontifex præcepit, quòd Parochis assignarentur redditus, seu proventus in annuis libris quingentis Turoensibus, non compræhensis emolumentis Stolæ; Vicariis autem sive perpetuis, sive amovibilibus traderetur stipendium in annuis libris biscentum quinquaginta, minime compræhensis Stolæ incertis unicuique eorum tradendis vel ex rata parte fructuum Ecclesiarum, vel in certo Fundo, vel in numerata pecunia à Capitulis, à Prioribus, Locis piis, aliisque Personis principales Decimas percipientibus, quorum nomine Parochi, & Vicarii Animarum curam gerere, & exercere debent.

Hac vulgata Constitutione ab Archiepiscopo Avenionensi, plures in illis Regionibus exortæ fuerunt disputationes super

super illius interpretatione, hinc ad petitionem ejusdem Archiepiscopi Eius D. Cardinalis à secretis Status ejus transmissa Epistola declaravit, mentem fuisse Summi Pontificis = *di uniformarsi alla pratica intelligenza di eodestì Popoli Quindi sotto la denominazione di Parochi comprese quelli che hanno l'attuale esercizio della cura delle Anime, benchè à parlar propriamente non siano, che Vicarij Curati, e col nome di Vicarij Curati volle significare i Cappellani ausiliari de Parochi.*

Hac freti Constitutione, & declaratione insurrexerunt gemini Curati Cathedralis Ecclesiæ Carpentoraënsis contra Capitulum ejusdem judicialiter postulantes sibi ipsis, & eorum cuilibet deberi congruam portionem annuarum librarum quingentarum Turonensium loco Mensæ; & aliorum, quæ à Capitulo annuatim ipsis subministrantur in eorum partiale stipendium, nec non clavem Abachi, in quo Parochiales Codices custodiuntur ab ipsis dumtaxat retinendam esse, votique compotes in omnibus effecti fuerunt favorabili Sententia contra Capitulum in Ecclesiastica Curia Carpentoraënsi lata.

In gradu appellationis à Capitulo succumbente interpositæ Crusæ conscendit ad hoc Sacrum Tribunal. Auditus fuit Carpentoraënsis Episcopus. Hic in ejus proluxa Informatione exhibet rationum momenta, quantum præsidio lata fuit ab ipso Sententia favore Curatorum, quibus expositis subdit his verbis = *Quoniam vero EE. VV. dignate sunt meum exquirere votum, mandatis obsequens sum. Porro si res definienda est juxta regulas juris Canonici, quas hoc Sacrum Tribunal, ut par est, tenaciter tenet, hoc casu supplicatio ab his Parochis porrecta erit absolute reiicienda: Si vero inquirenda est Summi Pontificis mens, & voluntas mihi in litteris Eminentissimæ Cardinalis à Secretis Status pandita, hoc alio casu supplicantes exaudiendi videntur.*

Causa proponitur, Sustinet Capitulum, quòd tam spectata juris Canonici dispositione, quam perspecta nuperrima Constitutione Summi Regnantis Pontificis, seu facta declaratione, prætentio Curatorum subsistere non possit. Non enim agi, contendit Capitulum, de veris Parochis; seu Vicariis perpetuis in titulum habentibus Animarum Curam, quibus cæteroquin non alia debetur Congrua, quam scutorum annuorum quinquaginta, veluti præscriptum fuit in Constitutione 47. S. Pii V., ex relatis per Rot. in decis. 57. post Scarfant. ad Ceccoper. tom. 2. num. 31. . . . Sed agi de simplicibus Curatis ad nu-

rum Capituli amovibilibus, & canonica institutione carentibus, quibus proinde non Congrua debetur, sed simplex salarium, seu stipendium, quod operæ, laborique respondeat, ad firmata per *Barbos. de Jur. Eccles. Univers. lib. 3. cap. 6. num. 58.*, *Rot. decis. 466. nu. 19. part. 19. tom. 2. recent.*, & *in Tarraconen. Vicariatus super Juribus, & Emolumentis Vicariorum 4. Julii 1759. §. 3: cor. Illmo Herreros.*

Addit Capitulum, hujusmodi Salarium, seu stipendium, quod idem Capitulum ab initio assignavit Curatis suis, seu Cappellanis auxiliaribus in Animarum Curæ exercitio, quodque hactenus ab illis pro justo, sufficientique stipendio habitum fuit, receptumque absque ulla, vel minima eorum reclamazione, augendum non esse; nec novum constituendum, nisi probata aut illius originaria insufficiencia, aut ejusdem subsequuta imminutione, *Glossa in cap. Quanto verb. indulgemus in fin. de Cens.*, *Rot. decis. 429. num. 2. coram Ludovif.*, & *in Tarraconen. Augumenti Congruæ, & Arrogationis Nominis Rectoris 11. Maii 1759. §. 2. cor. cl. me. Card. Buffio.*

Hæc de jure Canonico. Quod verò pertinet ad novissimam Constitutionem SSmi Domini Nostri, ejusdemque mentis subinde factam declarationem, sustinet Capitulum, utramque loqui de iis Parochis, seu Vicariis curatis, qui pondus sustinent diei, & æstus, integrumque manet penes ipsos Animarum curæ exercitium, insufficienti tamen eis assignato stipendio à Capitulis, vel à Prioribus, Locis piis, aliisque Personis habitualem Curam habentibus, non autem loqui, nec locum habere posse in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Carpentoractensis, a quo suis Curatis satis amplum, atque sufficiens assignatum fuit, traditumque stipendium, ejusque Canonici unà cum Curatis actuali etiam Animarum curam exercent. Probat enim Capitulum, emolumenta Stolæ, quæ pro Curatis prius erant in annuis libris biscentum, nunc ipsis, attento Populi augmento, reddere annuas libras quatuorcentum circiter pro quolibet, qui ea percipit, præter Mensam, & alia, quæ supra relata fuerunt: Itidemque probat Capitulum, Canonicos non uti de gremio Capituli habitualement Animarum curam habentes, sed tamquam Parochos ab eodem Capitulo per Turnum præelectos plura actualiter agere, & exercere, quæ à solis Parochis, seu Curatis agenda, & exercenda sunt, prout præsertim sunt Functiones funebres, aspersio Cadaveris aqua benedicta, antequam de Domo levetur, nec

nec non intonatio Antiphonæ = *Si iniquitates* = & alterius = *Exultabunt Domino* = quemadmodum quoad funebres functiones desinivit Sacra Congregatio Rituum in *Eugubina* 4. Julii 1614., quò verò ad asperionem Cadaveris cum intonatione Antiphonæ *si iniquitates*, eadem Sacra Rituum Congregatio in *Aversana* 15. Septembris 1640., in qua censuit = *ad solum Parochum spectare aspergere aqua benedicta Cadaver antequam levetur de Domo; & ad eundem pertinere intonare Antiphonam*. Si *iniquitates*, & officium super Cadavere in sua Ecclesia peragere = : Ac demum quoad intonationem Antiphonæ *Exultabunt Domino* hæc Sacra Congregatio in *Faventina Præminentiarum* 7. Junii 1760., in qua proposito Dubio = *An intonatio Antiphonæ Exultabunt Domino antequam Defuncti Cadaver e Domo efferatur, spectet ad primam Dignitatem Capituli, seu potius ad Parochum* = respondit = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam*.

His positis, contendit insuper Capitulum, Vicarios Curatos in partem stipendii teneri nedum ad recipiendam Mensam in Claustro Capitulari, prout ab immemorable tempore receperunt, ne vetus Ecclesiastica disciplina penitus avellatur, sed etiam ad habitandum in eodem Capitulari Claustro, ut ad nutum Parochianorum prompti sint ad Sacramenta ministranda Parochianis infirmis, vel morti proximis.

Contenditque pariter Capitulum, Parochiales Codices custodiendos esse sub duplici Clavi, quarum alteram esse retinendam ab eodem Capitulo, uti Paræciæ Domino, & jurisdictionem in eam habente ex traditis per *Rot. cor. Merlin. decis. 728. num. 7.* & *coram Rezzonico dec. 260. num. 20.*, & quia nedum habet habitualem, sed etiam actualem Animarum curam exercet, & quia super Parochialium Librorum custodia, ac visitatione, & revisione à Canonico per Capitulum electo facienda plures captæ fuerunt Capitulares resolutiones subinde confirmatæ à Synodalibus Carpentoractensis Ecclesiæ Constitutionibus in lucem Hominum editis anno 1756., ac demum quia à Canonico Administratore nomine Capituli fides Baptismatum, Matrimoniorum, Mortuorumque e dictis Codicibus extrahuntur, & petentibus traduntur.

Hæc, & alia plurima legi poterunt ab EE. VV. in libello à Capitulo circumferendo. Curati verò protestationem penes Acta emiserunt, se nolle judicialem suorum ju-

rium defensionem sumere sese commendantes justitiæ hujus Sacri Tribunalis, ideoque libellus ab ipsis circumferendus inutiliter expectari potest. Tria sunt Dubia.

- I. *An Curatis, seu Vicariis Curatis Cathedralis, & Parochialis Ecclesiæ Carpentoraçtensis debeat annua Congrua librarum quingentarum, seu potius stipendium librarum biscentum quinquaginta pro quolibet in casu &c.*
- II. *An iidem Curati, seu Vicarii Curati teneantur in partem Congruæ, vel stipendii alimenta recipere in Mensa Capitulari in casu &c.*
- III. *An custodia Codicum Parochialium currentium debeat privative spectare ad eosdem Curatos, seu Vicarios Curatos, seu potius custodiendi sint sub duplici clavi, quarum una saltem retineatur à Capitulo in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius. Ad II. Negativè, & amplius. Ad III. affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius.

TIBURTINA PAROCHIALIS. Anno 1780. mense *Seff. 24. cap. 18. de Reform.*
 Octobris Sanctæ Sedi reservato vacavit per obitum

Cæsaris Bernardini Archipresbyteralis Ecclesia S. Petro Apostolo dicata Terræ Poli Tiburtinæ Diæcesis, Episcopus concursum de more indixit, ut à Sancta Sede vacans Ecclesia de novo Archipræsbytero provideretur. Tres venerunt ad Concursum, quorum gemini reprobati fuerunt, tertius verò fuit approbatus, atque præelectus, nimirum Sacerdos Laurentius Borgia, qui subinde juri suo solemniter renunciavit.

Oportuit itaque novum indicere Concursum, ad quem sex accesserunt Præsbyteri, & unus Clericus. Ast in Concursum habito die 14. Martii proxime præteriti ex septem Concurrentibus tres dumtaxat in Scrutinio quoad Scientiam, prætermisso examine quoad eorum mores quia penes Acta non enunciatos, approbati fuerunt ab Examinatoribus Pro-Synodalibus, quorum primus fuit Clericus in Minoribus Dominicus Carboni annorum viginti; Secundus locus fuit assignatus Sacerdoti Laureto Antonio Carboni annorum . . . ; Postremus verò locus Sacerdoti Carolo Rosci ætatis suæ annorum triginta quinque.

Ex his in Concursum approbatis Tiburtinus Antistes ad va-

cantem assequendam Ecclesiam præelegit Clericum Dominicum Carboni sub spe obtinendæ Dispensationis super defectu ætatis, *injuncto tamen eidem onere unum, aut alterum Sacerdotem, seu Sacerdotes in Animarum cura Coadjutores, Æconomos, seu Cappellanos alendi, seu conducendi, donec ipse Dominicus ad constitutam ætatem pervenerit* = suæque in hunc modum factæ prælectionis litteras Testimoniales unâ cum Actis Concursum transmisit ad Eminentissimum D. Cardinalem Pro-Datarium, exhibuitque Clericus præelectus *SSmo Domino Nostro* supplicationem pro obtinenda dispensatione super ætatis defectu. Ast facta hic in Urbe Actorum Concursum revisione, alter fuit Revisorum sensus, nam primum locum attribuerunt Loreto Carboni; Secundum Carolo Rosci, tertium denique Clerico Dominico Carboni, ita ut, prætermisso Sacerdote Laureto, cui obstabat familiaris Epistola Tiburtini Episcopi, de vacante Ecclesia provisos fuerit Sacerdos Carolus Rosci, qui pro expeditione Litterarum Apostolicarum de sibi collata Archipræsbyterali Ecclesia supplicationem obtulit.

Antequam autem de prædicta Ecclesia provisos fuisset Carolus Rosci, cum Lauretus Carboni ab irrationabili iudicio Episcopi recursum habuerit ad hanc Congregationem, hinc prælaudatus Eminentissimus Pro-Datarius nedum Acta Concursum, sed etiam porrectas Supplicationes, aliaque gesta in Dataria Apostolica pro eorum definitione ablegavit ad eandem Sacram Congregationem, attenta litis pendentia.

Interea comparuit Sacerdos Joannes Angelus Carboni, qui supplex etiam fuit apud Sacratissimum Principem pro impetratione sæpeditæ Parochialis, & Archipræsbyteralis Ecclesiæ tamquam S. Sedi reservatæ, attenta nullitate Concursum ob non servatam formam à Sacrosancto Concilio Tridentino præscriptam, sed ejus etiam supplicatio fuit ad hanc Sacram Congregationem remissa.

Semel, iterumque auditus fuit Episcopus, qui in prima ejus Informatione sub datum diei 29. super elapsi mensis Maii respondit, ipsum Acta Concursum transmisisse *ad Sanctissimum Dominum Nostrum*, ut *vacantem Ecclesiam Terræ Poli de idoneo Archipræsbytero sibi magis benevisso providere dignetur*. In altera verò sub datum diei 14. mox transacti mensis Augusti summopere laudat mores, scientiam, ac merita Clerici Carboni, refert etiam quæ supra relata fuerunt; Concluditque = *Quocirca EE.VV. etiam,*

etiam, atque etiam obtestamur, ut diremptis litibus, Ecclesie Polensi de Pastore provideatur. Si quid autem nostra tot annorum experientia, si quid practica tum Locorum, tum Personarum cognitio apud EE. VV. valet, primis nostris Informationis litteris insistentes, prout muneris nostri exigat ratio, censemus, D. Dominicum Carboni, cujus egregie animi dotes Nobis perspecte sunt, dignissimum esse, cui memoratae Ecclesie cura demandetur, quoties super ætatis defectu à Sanctissimo benignè dispensari contingat, quemadmodum ad majorem Dei gloriam, Ecclesieque utilitatem expedire in Domino judicamus.

Quatuor itaque sunt, qui ad assequendam Archipræbyteralem Ecclesiam Terræ Poli contendunt. Primi tres pugnant inter se super prælatione innixi ipsorum respectivo meritis, & scientia, præmissa validitate Concursus; Certat è converso postremus contra omnes, propositaque ipsius Concursus nullitate, eandem Parochiam impetrare conatur. In hoc autem quadrangulari certamine quid juris erit, EE. VV. examinandum, definiendumque proponitur. A Clerico Dominico Carboni, & a Sacerdote Carolo Rosci, nec non à Joanne Angelo Carboni Impetratore jura circumferuntur. Ast à Sacerdote Loreto Antonio Carboni nihil hætenus habuimus. Quæritur.

An, & quæ Supplicatio sit signanda, seu potius sit adjudicanda Parochialis Sacerdoti Laureto Antonio Carboni in casu &c.

SPOLETANA. Species hujus Causæ repetenda est à *Seff. 25. cap. 4.* Folio Congregationis diei 17. Junii 1775., quod publici Juris factum est in *Tom. XLIV. Thef. Resol. Sac. Congreg. Conc. pag. 36.* Tunc postulantibus Capitulo, & Canonicis Collegiatae Ecclesie S. Gregorii Magni Spoletanæ Civitatis perpetuam reductionem medietatis annuarum Missarum 706., quam idem Capitulum, legitimis concurrentibus causis ad tempus successivis indultis obtinuerat ab hac Sacra Congregatione ab anno 1758., proposito Dubio = An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro reductione Missarum = datum fuit ea die responsum = Pro prorogatione reductionis pro medietate ad
Tom. L. V 2 Trien-

Triennium = quod Sanctissimus Dominus Noster approbavit die 21. ejusdem mensis Junii 1775.

Abfoluto Prorogationis tempore nimirum anno 1778. Capitulum iterum pro *perpetua* Miffarum reductione supplicavit Summum Pontificem, cui placuit rescribere = *Pro prorogatione ad aliud biennium ad formam præcedentis Indulti, & interim deveniatur ad firmationem Status.*

Litteræ pro firmando Statu activo, & passivo Capituli datæ fuerunt Spoletano Antistiti, qui dicto firmato Statu per decennium, ab anno scilicet 1769. ad annum usque 1779., illum ad hanc Sacram Congregationem transmissit, retulitque in ejus relatione, ex eo constare, prout liquet = *fructus tàm Massæ Capitularis, quàm Præbendæ non excedere summam annuatim scutorum decemnovem pro quolibet Canonico, non deducto onere restaurationis, & manutentionis Mansionis, & Vestis Canonicalis; Choro interesse quotidie divisim per suas hebdomadas dicti Canonici tenentur, cæteraque peragere pro digno suæ Ecclesiæ servitio, cui ob Populi frequentiam, & Ecclesiasticas functiones continuo addicuntur. Redditus imposteriorum prædictum Statum notabiliter augen. exoptandum esset, sed contra minui valde timendum, præsertim deficiente præsentis Camerarii strenua diligentia, & administratione.*

Exhibetur à Capitulo jurata depositio Francisci Bedetti Fabri Murarii deponentis, Capitulum conspicuas hæctenus impendisse pecuniarum summas pro restaurandis ruralibus Domibus, & alias imposteriorum esse ab eodem Capitulo impendendas ex quo illæ uti ex creta coagmentatæ ruinam minantur; Et quamvis eadem restaurentur, attamen anno quolibet necessariam esse expensam pro illarum manutentione.

Nunc erit ab EE. VV. examinandum, definiendumque, an Capitulo concedenda sit Miffarum facta reductio vel temporanea, vel perpetua, ut postulat Capitulum. Præ oculis autem habenda est ex una parte tenuitas reddituum Canonicalium, & parte ex altera Miffarum onus adnotatum in antiqua Tabella Collegiæ Ecclesiæ absque ulla Foundationum, & Fundatorum respectu nominis indicatione, & quæ nam sint Bona à Fundatoribus relicta, vel assignata pro Miffarum celebratione penitus ignoratur. Dubium proponitur.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro reductioe Miffarum in casu &c.

Die Sabbathi 24. Novembris 1781. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

G Eminæ priores mox subjiciendæ Causæ ob temporis angustiam proponi non potuerunt in postrema Congregatione habita die 15. proximè præteriti Mensis Septembris. Dignabuntur itaque Eminentissimi Patres earumdem Causarum Dubia, resumpto dictæ Congregationis Folio, nunc expedire.

T IBURTINA PAROCHIALIS, in qua quæritur. *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*
An, & quæ supplicatio sit signanda, seu potius sit adjudicanda Parochialis Sacerdoti Laureto Antonio Carboni in casu &c.

Quoad Supplicationem Dominici Carboni negativè.
 In reliquis iterum proponatur.

S POLETANA, in qua definiendum est. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro reductione Missarum in casu &c.

Pro prorogatione Gratix ad aliud triennium.

*Sefs. 22. cap. 4.,
& Sefs. 23. cap.
16. de Reform.*

TIRASONEN. ORDINUM. Vetus est hæc *Causa* in hoc Sacro Tribunali, dataque primum fuit in *Folio Congregationis habitæ die 30. Maii 1778.*, quod impresum est *Vol. XLVII. Theaur. Resol. Sacr. Cong. Concil. pag. 132.*, & *seqq.* Contendit Vincentius Calvo Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Tirasonensis, compellendum esse renuentem Episcopum, ut ei conferat Sacros Ordines, vel concedendam esse facultatem Metropolitanò, seu uni ex vicinioribus Episcopis pro collatione eorundem Ordinum faciendâ. *Causæ Dubiis*, quæ ea die proponi non potuerunt, in *Congregatione tamen diei 8. Augusti ejusdem anni 1778.* rescripserunt Amplissimi Patres = *Supplicet Episcopo*, & *ad mentem* = ut habetur *ex eodem Volum. 47. Theaur. Resol. Sacr. Congr. Concil. pag. 184.*

Quæ nam fuerit Sacri hujus Tribunalis mens Episcopo pandita, quæ fuerit supplicatio eidem Episcopo facta à Canonico, & quam executionem mens Sacri Tribunalis habuerit, repetere poterunt Eminentissimi Patres *ex altero Folio Congregationis diei 16. Junii proximè præteriti*, in qua ob temporis angustiam *Causa* reproponi non potuit: Ea autem repropoſita in *ſequenti Congregatione diei 7. tranſacti menſis Julii* cum dilationem poſtulaverit idemet Episcopus afferens, aliquos etiam eidem deficere dies ad ſuas parandas, transmittendasque defensiones super eo, quod evenerit post primum latum Rescriptum hujus Sacræ Congregationis, hinc Sacrum Tribunal resolutionem *Causæ* differri mandavit, edito Rescripto = *Dilata*.

Quatuor jam sunt elapsi menses à die concessæ dilationis, nihilque habuimus ab Episcopo. Urget Canonicus, ut quamcitissime *Causa* definiatur, ne ipse tam in distributionibus quotidianis, quam in suis juribus ulteriorem patiatur jacturam. Quapropter si quid nomine Promotoris Fiscalis Episcopalis Curix, qui in Dubiorum subscriptione se præbuit Contradictorem, adferetur, grave non erit Eminentissimis Patribus ex rationum momentis hinc inde collatis, ac utroque *resumpto Folio Congregationis diei 30. Maii 1778.*, de quo *Vol. XLVII. Theaur. Resol. pag. 132. & seqq.*, & *diei 16. Junii proximè præteriti*, quatuor, quæ reproponuntur, Dubiis respondere.

- I. *An sustineatur Decretum Episcopi diei 6. Junii 1774. in casu &c.*, & quatenus negativè.
- II. *An sit locus Ordinationi in casu &c.*
- III. *An*

- III. *An, & à quo tempore sint restituendæ Distributiones quotidianæ in casu &c.*
- IV. *An Canonicus Calvo reintegrandus sit ad Stallum in Choro prius quæsitum in casu &c.*

Dilata ad primam post Reges .

AUXIMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Geminis pauperibus Puellis anno quolibet sorte extrahendis dotem scutorum sexdecim pro unaquaque legavit Poliffena Confalonieri Guzzolini condito Testamento, in quo iussit, ut ex suis Bonis hæreditariis summa scutorum quadringentorum erogaretur in emptionem perpetui Censu ad rationem scutorum octo pro quolibet Centenario, & anno ut cum illis Puellæ dotarentur. Poliffenæ hæredes nec emerunt Censum, nec dotes contulerunt: Illiusque hæreditate perventa ad Ludovicum Antonium Pranzoni, is, judicialiter tamen urgente Rev. Fabrica S. Petri, & vi Transactionis cum ea initæ, pro fundo subsidiorum dotalium taxative assignavit Prædium in Auximano Territorio situm in Contrata = *del Mazzo* = . Vèrum cum incerti essent annui Prædii redditus, incerta etiam erat annua Dotium collatio: hinc Cajetanus Dionisi hodiernus dictæ hæreditatis possessor supplex accessit ad hanc Sacram Congregationem, ut sibi, vel hæreditati Poliffenæ retrodaretur assignatum Prædium, se, suosque hæredes, & Successores obstringens anno quolibet

*Sess. 25. cap. 5.
de Reform.*

libet ad geminas, ut Testatrix jufferat, Dotes conferendas in pecunia numerata ad rationem scutorum sexdecim pro qualibet, lege adjecta, quòd retrocessum Prædium nec vendi, nec hypothecari umquam possit, sed semper stare debeat pro fundo solvendarum Dotium specialiter hypothecato.

Hæc Causæ species latius relata fuit in Folio Congregationis diei 17. præteriti mensis Martii, Dubioque proposito in sequenti Congregatione habita die 28. Aprilis rescriptum fuit = Dilata, & scribatur Eminentissimo Episcopo juxta mentem, & mens est, quòd referat de annuo fructu Prædii legati ducto calculo per decennium, & inquirat à Dionysio, utrum paratus sit recipere idem Prædium titulo Emphyteusis ad tres Generationes Masculinas, vel saltem in perpetuum, & utrum adsit periculum ullum futuræ imminutionis vel fundi, vel fructuum.

His omnibus satisfecit Eius Episcopus, cui Litteræ datæ fuerunt. Refert enim, quòd = ex adnexa proluxa relatione Josephi Federici publici Periti Agrimensoris, ac Geometræ fide digni, & idoneitatis satis cognoscere poterit Amplissimus iste Ordo annum fructum Prædii legati jam ducto calculo per decennium, ac evidens periculum futuræ imminutionis tam Fundi, quàm fructuum obrationes in eadem Peritia perpensas, & mihi, & cuilibet benè compertas. Interim prædictus Orator per me auditus recipere omnino renuit enunciatum Prædium ad tertiam generationem Masculinam, vel perpetuam.

Hæc leguntur in Litteris Eius Episcopi. Ex relatione verò Periti Federici habetur, assignatum Prædium ducto calculo per decennium ab anno scilicet 1771. usque ad annum 1780. inclusive desumpto ex privato Codice Domus Pranzoni reddidisse summam scutorum tercentum nonaginta sex, & obulorum octoginta sex, qua per decem annos divisa, illius redditus anno quolibet esset scutorum triginta novem, & obulorum sexaginta octo, ex quibus dempto scuto uno, & obulis sexaginta pro Collectis, redditus residuum esse in annuis scutis triginta & octo, & obulis octo.

Subditque Peritus = *La sudetta Possessione nello stato, in cui trovasi presentemente ragguagliando l'anno fertile collo sterile puol rendere di parte Domenicale un fruttato di scudi 38. in circa come sopra, perchè porzione del detto fruttato deriva dagli miglioramenti esistenti in detta Possessione, mà qualora si debba avere riflesso al tratto successivo,*
dico

dico , che il fruttato della medesima deve assolutamente diminuire per la ragione , che i miglioramenti di Viti à Filoni con Oppi , Anori , ed altri Alberi ivi esistenti sono di loro natura soggetti à perire , giacchè qualunque miglioramento col decorso degl' anni va sempre in decadenza , ed in fine totalmente ad estinguerfi , se d'anno in anno non si spende per la manutenzione ; e nuova piantagione de medesimi , le quali bonificazioni non si stiano farsi in detta Possessione , perchè quelle Zitelle , à cui è stata conferita la Dote , conseguiscono in quell' anno à loro assegnato l'intero fruttato della Possessione , e niun pensiero , e premura si prendono di spendere del proprio per bonificare la suddetta Possessione per il tempo avvenire , in beneficio delle altre successori Zitelle -

Ponderandum est , Puellarum dotationem fieri anno quolibet , non autem de decennio in decennium , quo casu locum non habere videtur fructuum calculus initus per decennium , licet ex eo pateat fructus quodammodo pares esse pro geminis annuatim dotandis Puellis dote à Testatrice constituta in scutis sexdecim pro qualibet : Verumtamen ex eadem Periti relatione satis constat , fructus cujuslibet anni modò minores , modòque majores esse summa scutorum trigintaduorum à Testatrice præscripta , & necessaria geminis dotandis Puellis ; quòd si ab ea quotannis ex Prædio retrahenda summa demantur Collectæ , demanturque Administratorum stipendia , nec non expensæ pro Prædii cultura , manutentione , melioratione , aliæque pro recolligendis , recipiendisve fructibus , ac pro illorum facienda venditione , ut iidem redigantur in pecuniam in Dotes erogandam , de quibus expensis nullam Peritus habuit mentionem , hinc ambigi nullo pacto posse videtur , fructus sive divisim post annum sumptos , sive collectivè calculatos per decennium , impares prorsus esse pro annua Puellarum dotatione .

His positis , an utilius sit Puellis , & magis consonum voluntati Testatricis retinere Prædium , dotesque recipere ex tot , tantisque expensis imminutas , seu potius retrocedere Prædium Oratori , ejusque Successoribus , vel hæreditati Polissenæ Testatricis ab eodem Oratore possessæ , adjuncta lege , & Obligatione per Oratorem assumenda nedum specialiter super retrocedendo Prædio , sed generaliter etiam super omnibus Bonis tum propriis , tum Polissenæ hæreditariis anno quolibet solvendi scuta trigintaduo pro dotibus conferendis , ut dotatio firma,

integra, & perpetua, nullisque expensis subiecta consistat, examinandum erit ab Eminentissimis Patribus. Dubium est.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè sub obligationibus ab Oratore exhibitis.

*Sess. 24. cap. 3.
de Reform. Matrim.*

ROMANA, SEU COMEN. SPONSALIMUM. Fælix Modini è loco Godini Plebis Locarni Helvetiorum Comensis Diœcesis in hac Ecclesiastica Curia impedimentum opposuit libertati Jacobi Antonii Camani è loco Lusoni ejusdem Plebis, & Diœcesis, ne, se inaudita, daretur eidem Camano facultas contrahendi Matrimonium cum alia Muliere ea ex causis, quod ille secum Sponsalia contraxisset per verba de futuro.

Ad Urbem pervenit præfatus Jacobus Antonus Camani, qui cum post aliquod temporis spatium requisivisset à dicta Ecclesiastica Curia fidem status liberi, denegata eidem fuit propter impedimentum dictæ Fælicis Modini. Quare Camanus supplex adivit SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM PAPAM PIUM VI. feliciter regnantem, ut eum ab hoc impedimento liberum declarare dignaretur.

Ablegatis precibus ad hanc Sacram Congregationem, requisitus fuit Comensis Episcopus pro informatione, & voto auditis, utque referret præcise qua forma soleant iniri Contractus Sponsalium de futuro in Loco Lusoni. Quæ supra dicta sunt confirmavit Episcopus in sua relatione, transmisitque Procellum Tertium ad instantiam Fælicis Modini pro Sponsalibus propriis formiter examinatorum, qui Contractui adjuerunt, quorum unus fuerat Gulielmus Antonius Bianda, alter verò Hieronymus Antonius Camani Jacobi Antonii Patruus: Quò verò

verò ad formam contrahendi Sponsalia ita retulit, =
alia est solemnis, & publica, alia simplex, & privata. Sponsalia de futuro ritu solemniter celebrantur in præsentia Parochi, Testium, & Consanguineorum, vel Paroco accedente ad Domum Sponsæ, vel Sponsa cum Comitatu accedente ad Domum Parochialem: Ritu verò simplici, & privato iniri passim solent Sponsalia de futuro, vel inter solos Sponsos nullis adhibitis Testibus sive vocetenus, sive per Scripturam, vel præsentibus Testibus modò Consanguineis, modò extraneis. Sive publica, sive privata forma. Sponsalia celebrentur, ubi de ipsis vel per Partium confessionem, vel per legitimam probationem constet, nullumque obstet impedimentum, semper firma, & rata in hac Diœcesi habentur.

Quia verò Sacrosancta Tridentina Synodus Sess. 24. cap. 20. de Reform. mandat, Causas omnes ad Forum Ecclesiasticum pertinentes esse in prima instantia ab Ordinario Loci cognoscendas, & quia Fælix Modini, ut ex transmissio Processu patet, id postulaverit = *certo sperans ab æquissimo, & incorrupto Sacræ Congregationis Tribunali, Causam fore ad iudicium Ordinarii remittendam, servato prius ordine agendi* = hinc Sacra hæc Congregatio sub die 7. Augusti 1719. rescripsit = *Episcopus procedat usque ad primam sententiam inclusive.*

Novæ Litteræ datæ fuerunt Episcopo, qui ordine servato ad acta processit, delegavitque Sacerdotem Raphaelem Andream Pancaldi Parochum, & Vicarium Foraneum Loci Asconæ ejusdem Diœcesis ad recipiendum examen Tertium Sponsalibus præsentium jam semel a Fælice Modini examinatorum, aliorumque ab ea noviter inductorum, quo absoluto examine, eoque transmissio ad Episcopum, is suam tulit definitivam Sententiam, qua declaravit, *satis constare de Sponsalibus, & promissione futuri Matrimonii inter dictum Jacobum Camani, dictamque Fælicem Modini, ideoque mandavit, firmum retineri impedimentum pro parte dictæ Fælicis appositum libertati dicti Jacobi Camani, donec &c.*

Adversus hanc Sententiam interposita Appellatione ad Sanctam Sedem, eaque admissa ad utrumque effectum, recursus Camanus habuit ad hanc Sacram Congregationem. Monitus fuit Episcopus, ut competentem terminum Fælicis præfigeret deducendi jura sua in Sacram Congregationem, actaque transmitteret. Terminum Episcopus Fælicis præfixit, acta transmissit, concluditque = *Cujus ponderis sint hinc inde congestæ probationes, & re-*

probationes prætenforum Sponsalium, quæ actis continentur, Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum est dijudicare.

Præoculis itaque habendum est, hic agi de Sponsalibus à Jacobo Antonio Camani cum Fælice Modini initis, quæ non ex syngrapha, sed ex Testibus Contractui præsentibus probari contenditur, quibus in terminis spectanda est vulgata Canonici juris censura, qua communiter receptum habetur, Sponsalia, utpote quæ maximum nativæ ingenui Hominis libertati vulnus inferunt, adeo rigidè, adeoque perfectè locupletissimis undique probationibus esse evincenda, ut nullum ambigendi locum relinquant juxta *Gloss.* ab Omnibus receptam in *cap. Mulieri de jur. juran., Panimoll. decis. 23. num. 3. Rot. in Vintimilien. Sponsalium 9. Februarii 1756. §. 2. coram bon. mem. Borrull., & in Civitatis Castelli Sponsalium 25. Februarii 1757. cor. clar. mem. Card. Buffio* itaut in quolibet etiam dubietatis anfractu pro omnimoda Sponsalium exclusione sit pronunciandum, ut præter auctoritates mox congestas apposite docet *Rot. in Ferrarien. Sponsalium 18. Martii 1748. §. 2. cor. Buffio, & in Pampilonen. Sponsalium 28. Junii 1754. §. 3., & 25. Novembris ejusdem anni §. 1. cor. Borrull.*

Quo posito, examinandum erit, an Sponsalia, de quibus agitur, ex dicto Testium à Felice inductorum dicenda sint uberrime, locupletissimèque probata, obligentque Jacobum Antonium ad contrahendum cum Fælice Matrimonium. Ut enim Sponsalia sint perfectà, & obligatoria, tria debent copulative concurrere, & servari in Sponsalium Contractu; primum scilicet, quòd inter Contrahentes mutua, ac voluntaria *future Matrimonii* jurata promissio intercesserit; secundum, quòd ea fuerit acceptata; ac tertium, quòd ex aliquo externo signo manifesta fuerit juxta utriusque juris censuram, de qua post *Text. in cap. 1. 2., & 9. de Sponsalibus, & in l. 1. & 2. ff. eodem*, tradunt *Sanch. de Matrim. lib. 1. de Sponsalib. disput. 1. num. 7., Panimol. d. decis. 23. n. 4., & Sperell. decis. For. Eccles. 95. num. 9. tom. 1.*

Testes autem, qui Sponsalibus adfuerunt, unus fuit Guilielmus Antonius Bianda: Hic ad instantiam Fælicis, ut Sponsalia probarentur, interrogatus de loco, & tempore sequutæ Matrimonialis promissionis, respondit = *La mattina dei 5. Agosto sudetto siamo partiti insieme da Lufone, io, il detto Signor Giacomo Antonio Camani, ed il di lui Zio Girolamo Antonio Camani, e si siamo portati*

tati à Godino in Casa del Signor Angelo Antonio Modini , con cui abita la detta Signora Felice . Là entrati in Sala abbiàm fatto colazione tutti tre insieme col detto Signor Angelo Antonio Padrone di Casa . Dopo la colazione il Sig. Giacomo Antonio Camani passò à chiamare la detta Signora Felice , che si era poc' anzi portata in Cucina , e vennero unitamente lui , e la detta Signora nuovamente in Sala , dove poi esso Signor Giacomo Antonio Camani disse rivolto à lei : Che dite ora Signora Felice , siete contenta di prender me per vostro Sposo ? Ella rispose , quello , che fa mio Fratello , è tutto ben fatto . Il Signor Angelo Antonio Modino Fratello disse allora : Voi Sorella non avete altra libertà , che questa , e se siete contenta Voi , sono contento anch' io . Soggiunse lei subito : E bene io sono contenta : replicò il Signor Camani : ed io pure sono contento , e si sono data la mano reciprocamente , ed hanno bevuto insieme dal medesimo bicchiere .

Interrogatus insuper de Contestibus , aliisque de hac promissione informati , respondit = Vi è Girolamo Camani Zio , o Pro Zio di esso Signor Giacomo Antonio , il quale come hò detto , venne anch' egli unitamente à Noi à Godino , e vi era presente ai discorsi fatti col Signor Angelo Antonio , e colla Signora Felice Modini : deve esserne informato pienamente ancora il Signor D. Pietro Martire Magoria Cappellano di S. Giorgio di Losone , il quale alcuni giorni dopo mi disse per ordine di detto Signor Giacomo Antonio Camani , che dovessi portarmi in Godino à dire alla Signora Sposa , che se voleva Ella dare al Camani la libertà , esso le averebbe dato cento Filippi .

Fuit Testis alter Hieronymus Camani in contestem etiam à dicto Bianda vocatus , qui retulit prorsus diversa ab illis , quæ deposuerat Bianda . Interrogatus enim , an in Domino Modini viderit Jacobum Antonium , & Fælicem à darsi reciprocamente la mano , e a bere insieme dal medesimo Bicchiere , respondit = In quella occasione in Godino in Casa del Signor Angelo Antonio hò veduto certo , che si parlavano insieme mio Nipote Giacomo Antonio , e la Signora Felice Modini , stavano seduti appresso , ridevano insieme , e nel venir via dalla detta Casa il mio Nipote Camani era molto allegro , saltava , e cantava , e non hò presente altro , nè mi ricordo di altro = ; pressius interrogatus de promissione respondit = Io precisamente non ho sentito le parole , ma subito , che fummo via di Casa , domandai à Gulielmo Bianda , come erano poi andate le cose , e mi rispose , che le promesse erano seguite .

Promissio itaque, & repromissio probari videtur ex dicto dumtaxat Gulielmi Antonii Bianda, qui tamquam unicus, nihil probat prout *ex cap. unicus, & cap. licet de Testam. tuetur Panimol. dicta decis. 23. num. 5.* Cæterum præter exceptionem, quam Bianda patitur in Persona, mendax, ac falsus evincitur à Jacobo Antonio Camani ex testificatione Sacerdotis Martyris de Magoria interposito juramento declarantis = *Che avendo inteso, che un certo Guglielmo Antonio Bianda abbia rilevato nel suo esame di avergli io commesso per ordine, e de mandato di Giacomo Antonio Camani di portarsi da Felice Modini di Godino ad offerirgli cento Filippi per regalo, se lasciava in libertà il detto Giacomo, la verità si è, che io ma i gli hò dato tal ordine, nè dissi per ordine datomi dal detto Camani di fare detta offerta.*

Examinandum nunc erit, an ex dicto unius, & mendacis Testis, aliorumque de auditu in genere deponentium verificari possint Sponsalia, quæ, deficiente Syngrapha, cum agatur de re tanti momenti, pure, præcise, & concorditer à Testibus omni exceptione majoribus probanda sunt, ut vis obligatoria exinde confurgat *Cap. Quoniam frequenter de Testibus, Rot. in supradicta Vintimilien. Sponsalium §. 4., & in cit. Civitatis Castelli Sponsalium §. 3.*

Examinandum pariter est, an illa verba ab unico Bianda relata, nimirum = *Signora Felice siete contenta di prender me per vostro Sposo?* = respondit = *sono contenta* = Camanus autem = *ed io pure sono contento* = vera nec ne importent Sponsalia; Eaque de jure non importare, neque contrahi, nisi mutua facta fuerit futuri Matrimonii promissio tradunt Scribentes *in Cap. Ex parte il 1. de Sponsal., & Matrim., & late Sanch. eod. tit. lib. 1. disput. 5. per tot. Sacra Congregatio in Neapolitana Sponsalium 23. Augusti 1721., & in Senogallien. Sponsalium 27. Septembris 1738.*

At verò quatenus etiam vera, & probata Sponsalia dici deberent, sustinet Camanus, ipsum aliqua etiam levi urgente causa posse, Fælice invita, resilire à Sponsalibus, quæ non fuerunt juramento firmata, eique permittendas esse nuptias cum alia Muliere sibi benevisa ad *Textus expressos in Cap. Quemadmodum de jure jurand., & in cap. Requisivit de Sponsalib., Reiffenstuel. jus Canon. lib. 4. tit. 1. §. 8. Schmalzgrueber. eod. loc. §. 4. num. 189., & seqq., Sanch. de Matrim. lib. 1. disput. 14. num. 3., & sæpius declaravit hæc Sacra Congregatio in Senogallien.*

lien. Sponsalium 1. Septembris 1714. Lib. 74. Decret. pag. 346. , in Mediolanen. Sponsalium 13. Julii 1725. , in Neapolitana 17. Aprilis 1728. , in Fulginaten. Sponsalium 2. Maii 1733. , & in alia Senogallien. Sponsalium 27. Septembris 1738. , nec ipsum esse cogendum ad celebrandum Matrimonium cum Felice ex defectu juramenti, allata ad id probandum *Glossa in fine in Cap. Ex literis il 2. de Sponsal. , & Matrim. , Rota in Tuden. Sponsalium 14. Aprilis 1755. §. 4. cor. cl. me. Card. Molino. , & Sacra Congregatio in Gallipolitana Sponsalium 28. Februarii 1733.*

Quæ autem sint causæ , propter quas Camanus resilire intendit à Sponsalibus injuratis, etiamsi verè, & validè ea contracta fuerint , legi poterunt ab Eminentissimis Patribus in libello a Camano circumferendo . A Felice Modini nihil habuimus . Gemina sunt definienda Dubia .

- I. *An constet de Sponsalibus , itaut sustineatur impedimentum appositum libertati Jacobi Antonii Camani in casu &c. = & quatenus affirmativè :*
- II. *An sit locus Coactioni in casu &c.*

Ad I. affirmativè : Ad II. Affirmativè arbitrio Episcopi.

ASCULANA PAROCHIALIS . Sequuta mense Septembris superioris anni 1780. vacatione Præposituralis, & Parochialis Ecclesiæ sub titulo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis Castri Spinetuli Asculanæ Diæcesis per liberam illius resignationem in manibus Summi Pontificis sponte factam à Præsbytero Francisco Antonio Feriozzi ultimo ejusdem Ecclesiæ Possessore , retervata , sibi tamen super Paræciæ fructibus annua Pensione Ducatorum auri de Camera septuaginta unius , & obulorum septuaginta quinque , Asculanus Antistes de mandato Eñi D. Cardinalis Pro-Datarii jussit affigi Edictum , quo omnes ad illius Ecclesiæ curam concurrere cupientes excitarentur , monerenturque ad se præsentandos infra decem dies in actis Episcopalis Curia , ibique describi faciendum eorum nomina , cognomina , ætatem , Patriam , aliaque requisita ad Curam Animarum benè gerendam opportuna , ut de eorum respective doctrina , meritisque coram eodem Episcopo , & Synod alibus Examinatoribus facto experimento , va-

Sess. 24. cap. 18. de Reform.

cans

cans Parochialis Ecclesia possit de idoneo Rectore provideri.

Plures Præsbyteri intra præstitutum tempus ad Concursum accesserunt ; Quatuor ex illis nimirum Alexander Pallotta , Emigdius Ciabattoni , Paulus Angelini , & Angelus Trojani cum eorum requisitis admissi , descriptique fuerunt : Cæteri verò nempe Emigdius Micheleffi , Joachim Giaccopetti , & Nicodemus Scarfoli admissi non fuerunt tamquam necessariis requisitis destituti . Habitoque examine sub die 13. Novembris superioris anni 1780. , spreteque protestatione super nullitate Concursus in actis emissa ab Emigdio Micheleffi , ut supra rejecto , alter ex admissis ab Examinatoribus reprobatus fuit, alii verò tres approbati fuerunt , quos inter primus locus datus fuit Sacerdoti Angelo Trojani , qui pariter , transmissis actis Concursus ad Datariam Apostolicam , supra cæteros ab istius etiam Examinatoribus fuit approbatus .

Collatio itaque dictæ Parochialis Ecclesiæ facta fuit eidem Trojani . At verò dum imminens erat expeditio Litterarum Apostolicarum super hujusmodi collatione , comparuit in actis Datarie præfatus Emigdius Micheleffi , impetravitque Parochialem prætextu nullitatis Concursus , suæque impetrationis preces exhibuit . Quæ nam ex his geminis supplicationibus esset retinenda , & quæ signanda , Eius Card. Pro-Datarius Decreto suo cognitionem ablegavit huic Sacræ Congregationi .

Litteræ , ut moris est , datæ fuerunt Asculano Antistiti , qui rationes , & causas exponit , ex quibus ipse à Concursu rejecerit supradictos Præsbyteros Scarfoli , Giaccopetti , & Micheleffi : retulitque , ipsum commendasse dumtaxat Eius Pro-Datario Sacerdotem Angelum Trojani ob ejus scientiam , merita , & idoneitatem ad vacantem Parochialem Ecclesiam , & propter ejus merita , & idoneitatem gratiam collationis Parochialis à Sanctissimo Domino Nostro obtinere promeruisse . Quod verò pertinet ad Emigdius Micheleffi , refert idem Episcopus , quòd cum ille fuerit rejectus , ut pote qui comparuerit sine documentis , ac sine requisitis ejus idoneitatem comprobantibus , = *hinc* (sunt verba Episcopi) *sub futili ejus nullitatis obtentu executioni gratiæ Angelo Trojani impartitæ frustra obistere videtur .*

Causa proponitur . At verò in subjecta Facti specie duo sunt animadversione digna : Unum respicit collationem Parochialis , quam prætextu nullitatis Concursus ex quo

quo non fuerit in Albo Concurrentium descriptus, impetravit Emigdius Micheleffi; Versatur alterum circa Ecclesiæ, & Parochianorum detrimentum. Ad primum quod attinet, distinguendum est, alios esse Concurrentes in Albo descriptos, ad examen verò non admissos, & alios ab Albo rejectos, seu non descriptos. In primo namque distinctionis casu Concurfus fit irritus, si aliquis ex Concurrentibus, qui descriptus fuerit, examini non admittatur, tunc dici videtur, Concursum, actum fuisse contra formam Œcumenici Concilii *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*, ubi præcipitur, quòd = *omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus, quàm tribus* = & in his terminis nimirum Concurrentis in Albo descripti, & ab examine rejecti loquuntur Doctores, & Canonistæ, & præsertim reprobata Sententia *Sacræ Rotæ in Tarracenen. Parochialis 10. Novembris 1634. coram bo. mem. Panzirolo, firmat Pignatel. consult 1. num. 27.*, & consonat etiam *Rotalis Decisio*, cui titulus *Monopolitana. Præbendæ Theologalis 27. Junii 1755. §§. 3., & 9.*, & in ejus confirmatoria *diei 5. Decembris ejusdem anni §. 4. utraque coram Stadion.*

Secus verò res se habere videtur in altero distinctionis casu; Nam ob non factam Comparantis, cæteroquin non admittendi, descriptionem in Albo Concurrentium invalidum non redditur examen, seu Concurfus, quia pro illius validitate Sacrum Concilium solam exigit Oppositorum descriptionem = *Omnes, qui descripti fuerint, examinentur* = sunt illius verba *cap. 18. Sess. 24. de Reform.* sustinetque d. *Pignatel. cit. Consult. 1. num. 42.* Ad Episcopum enim pertinet, & ad alios etiam, qui jus patronatus habent, nominare Clericos, quos noverint aptos, & idoneos ad regendam Ecclesiam, eorumque nomina referre in Album Concurrentium, ut postea de ipsorum respective scientia, ætate, moribus, probitate, & sufficientia possit ab Examinatoribus fieri diligens inquisitio, veluti literaliter præcipit Sancta Synodus *dicta Sess. 24. cap. 18. vers. Porro Episcopus de Reform.*

Quo posito, examinandum erit, an jure, vel injuria descriptus non fuerit in Albo Concurrentium Emigdius Micheleffi, qui comparuit absque Testimonialibus Episcopi, absque fide Baptismatis, & absque documentis illius merita comprobantibus, & quatenus iis etiam de-

ficientibus descriptus fuisset, an potuisset nec ne ab Examinatoribus in scrutinio de illius ætate, moribus, & probitate fieri diligens inquisitio, maxime cum probeatur, illius mores suaves non esse in regimine Ecclesiæ, nec castigatos, ut requiruntur in eo, qui Parochiam regere, & colere debet, illiusque Personam Invisam esse toti Spinetulensi Populo, cum e contra Spinetuli Populus pro ejus Parocho Trojanum exoptet, Trojanum laudet, & in eo confidat.

Nec rem mutare videtur protestatio cum appellatione ad Sanctam Sedem adversus nullitatem Concurfus ante examen emissa à Michelessio, quia appellatio adversus futurum, explendumque examen non admittitur, prout ex *Constitutione san. mem. Benedicti XIV.*, quæ incipit = *Ad militantis Ecclesiæ regimen §. Inherentes*, & §. *Item* firmat *Rota in dicta Monopolitana Præbendæ Theologalis 5. Decembris 1755. §. 6. coram Stadion.* Datur tamen, absoluto Concurfu, appellatio à mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi, & quatenus Concurfus nullus fuerit ob non servatam formam Concilii Tridentini, non appellatio, sed unicum proponitur remedium adeundi Summum Pontificem pro obtinenda Parochiali *jure devoluto* ex traditis per *Rot. in supradicta Monopolitana Præbendæ Theologalis 27. Junii 1755. §. 8. cor. Stadion.*

Vèrum cum collatio dictæ Parochialis pertineat non ad Episcopum, sed ad Sanctam Apostolicam Sedem, cognoscendum pariter erit, an illius impetratio, quam Michelessius postulat *jure devoluto* ob non servatam formam Concilii Tridentini, etiamsi hæc servata verè non fuisset, sustineatur. Id enim negant Doctores; nam Beneficia Summo Pontifici reservata, vel affecta devolutioni non sunt obnoxia, quæ tantum datur ab inferiori ad Superiorem, nimirum ab Episcopo ad Summum Pontificem, non autem ab ipso Pontifice ad Pontificem ipsum, ex firmatis à *Garc. de Benefic. part. 10. cap. 3. num. 18.*, & ab aliis, quos laudat, ac firmat *Rigant. comment. ad Regul. 47. Cancellariæ num. 29. & seq.*

Hæc quoad collationem Parochialis, & supplicationem Impetrantis. Quò verò ad alteram Trojani, quod est animadvertendum, id respicit Pensionem, quam Franciscus Antonius Feriozzi resignans sibi reservavit in annuis Ducatis auri de Camera septuaginta uno, & juliis septem cum dimidio, qui constituunt annua scuta centum viginti quin-

quinque monetæ Romanæ , super omnibus Parochiæ fructibus certis , & incertis , qui , juxta illorum factam verificationem , adnotantur in Summario dictæ Supplicationis Trojani in annuis Ducatis auri de Camera centum quadraginta novem , & juliis sexdecim cum dimidio conficientibus annua scuta biscentum sexaginta duo , & obulos quadraginta , additaque ulterius expressione in eadem supplicatione facta , quòd collatio Parochialis fiat favore Trojani per dimissionem expletam à dicto Sacerdote Feriozzi cum reservatione pensionis ad ejusdem Dimittentis , seu Resignantis favorem in annuis Ducatis auri de Camera 71. , & juliis 7. $\frac{1}{2}$ = *etiamsi non remaneant annuatim centum Ducati liberi pro Rectore .*

Disponit enim Sancta Synodus *Seff. 24. cap. 13. de Reform.* , ne graventur onere Pensionis , seu reservationis fructuum Parochiales Ecclesiæ , quæ non excedunt summam Ducatorum centum , quam liberam pro Parocho reservandam voluit juxta *cap. nisi essent , & cap. Extirpandæ de Præben. , & Fagnan. in dicto cap. nisi essent num. 25. , & seqq. .* Dubium itaque est an accedente etiam Titularis consensu reservare sibi potuerit Resignans annuam Pensionem Ducatorum septuaginta unius super Parochialis Ecclesiæ fructibus ascendentibus ad annuos Ducatos centum quadraginta novem tantum quia nedum non remanerent centum Ducati liberi pro Rectore ; sed etiam illius reservatio tam in propriam Parochi Personam , quàm in Ecclesiæ , Populique vergeret damnata *Rota in Romana Pensionis 24. Novembris 1758. §. 6. , & diei 5. Martii 1759. sub §. 14. utraque coram Illustrissimo Herreris .*

Eadem quoque fuit Episcopi sententia in ejus informatione transmissa ad Eminentissimum Pro-Datarium sub datum diei 23. Decembris superioris anni , in qua retulit = *la Pensione per altro di scudi cento venticinque , che si è riservata sopra i frutti della Parocchia il Prevosto Francesco Antonio Feriozzi , è troppo esorbitante , ed inabilita il nuovo Provisto à fare il suo dovere , onde si degni Vostra Eminenza di supplicare il Santo Padre anche à nome mio di ridurla à scudi ottanta , come pagò lo stesso Feriozzi al suo Rassegnante , e costa dalla Bolla , della quale le annetto un piccolo transunto copiato dall' originale medesimo della Bolla di provvista ottenuta nel 1744. segnato lett. C. , dovendo ancora rifletterfi , che il Feriozzi è pur anche in possesso delli scudi venticinque del Patrimonio , che gli fu costituito nella sua ordinazione .*

Cætera legi poterunt in libello à Sacerdote Trojano de more circumferendo . A' Sacerdote verò Michelesio Impetrante nihil habuimus. Unum est quæstionis Caput ab Eminentiss Vestrīs definiendum .

An , & quæ supplicatio , & quomodo sit signanda in casu &c.

Non proposita cum sequentibus .

*Seff 25. cap. 4.
de Reform.*

CAMERINEN. BENEPLACITI APOSTOLICI .
Obiit Fatius Poncelli e Castro Belfortis Camerinen. Diæcesis condito prius Testamento de anno 1755. , in quo hæredem suum universalem instituit Carolum ejus unicum filium masculum in infantili ætate constitutum , cui sine filiis decedenti Animas tam suam , quàm Patris , quàm Avi substituit , & hoc eveniente casu , jussit Testator , quòd omnes suæ hæreditatis redditus demptis oneribus , anno quolibet , & in infinitum ab Exequutore Testamentario , & aliis ab ipso Testatore nominandis erogari deberent in celebrationem tot Missarum in Ecclesiis , & à Sacerdotibus Executori Testamentario benefisis implendam , constituta tamen eleemosyna ob. viginti pro qualibet Missa : Administrationem autem Bonorum hæreditariorum , nec non jus celebrare faciendi Sacra , nominandique Præsbyteros reliquit Ludovico Valeriani Avunculo suo , ejusque filiis , & Successoribus in perpetuum , quos etiam in suos Executores Testamentarios elegit , ac nominavit .

Paucis vix elapsis diebus à die obitus Testatoris , decessit etiam Carolus ejusdem Testatoris filius , & hæres , itaut locus factus fuerit substitutioni in Testamento scriptæ quoad Bonorum redditus favore Animæ Defuncti , ejusque Patris , & Avi , & quoad Bonorum Administrationem , & jus eligendi Ecclesias , & nominandi Præsbyteros pro Missarum celebratione favore Ludovici Valeriani , ejusque filiorum , & Successorum , qui anno 1760. definitivum obtinnerunt Decretum in Ecclesiastica Curia Camerinenſi , quo definitum fuit contradicente Procuratore fiscali , Valerianis pro dictorum Bonorum administratione *debitam esse mercedem , & assignandum fore , & esse Salarium .*

Anno verò 1768. san. mem. Clemens XIII. ad petitionem Deputatorum Hospitalis Civitatis Camerinenſis , omnia
Bonæ ,

Bona, jura, & credita præfati Testatoris hæreditaria perpetuò univit eidem Hospitali cum onere geminas quotidianas celebrandi Missas, exceptis tamen ex Bonis hæreditariis Domo, in qua Testator inhabitabat unà cum Mobilibus, nec non Prædio sito in Territorio nuncupato *di Borgiano*, quæ Summus Pontifex illis de Valerianis attribuit in compensationem tam mercedis eis debitæ pro Bonorum administratione, quam juris eligendi Ecclesias, & nominandi Sacerdotes pro Missarum celebratione, quæ omnia Valerianii vi hujus unionis amittebant.

Verùm tamen antedicti Deputati putantes, onera huic unioni adjecta nimis esse pro Hospitali gravia, proinde unioni renunciarunt. At verò putans Capitulum Collegiæ Ecclesiæ S. Venantii Civitatis Camerinensis sibi utilem esse præfatam unionem, idcirco Contractum celebravit cum Valerianis expressa sub reservatione obtinendi Beneplacitum Apostolicum, quo sane contractus resolveretur, & in eo Valerianii cesserunt Capitulo, & Canonicis moxdicti Collegiæ Ecclesiæ hæreditaria Bona Fatii Poncelli cum Missarum oneribus ad formam illius Testamenti, cesseruntque pariter eorundem Bonorum administrationem, ac jus eligendi Ecclesias, nominandique Sacerdotes sibi ab ipso met Testatore relictum, & cum reservatione Domus, & Prædii ad eorum Cedentium favorem in locum cessæ Administrationis, cessorumque jurium eligendi, & nominandi, ut scriptum fuerat in Apostolicis Litteris supradictæ unionis Hospitali faciendæ, addito insuper pacto, quod Valerianis cedentibus condonaretur passivum Debitum scutorum tercentum circiter, quod ipsi tamquam Patris hæredes debent cessæ hæreditati Poncelli, ac etiam cum declaratione, quod per hanc cessionem nullum præjudicium irrogatum censeatur mercedi ipsis debitæ pro hæctenus gesta Bonorum administratione, detrahendæ tamen ex perceptis fructibus in actu illorum redditionis rationis coram Episcopo faciendæ.

Pro obtinendo Beneplacito Apostolico super approbatione Contractus Capitulum preces porrexit SSmo Domino Nostro, qui per organum Eminentissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris preces ipsas remisit ad hanc Sacram Congregationem, audito prius Episcopo, qui retulit; vera esse in precibus exposita; Contractum verò tamquam utilem Ecclesiæ, & Animis Defuncti, ejusque Patris, & Avi dignum esse Apostolica approbatione.

Sacra Congregatio preces detulit ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Cornelium, ut rem perpenderet, Sacramque Congregationem redderet instructam, & votum suum aperiret auditis omnibus interesse habentibus. Inter cætera, dictus Eminentissimus Cardinalis reprobabat Canonorum sponsonem condonandi Valerianis cedentibus summam scutorum 300. ab eisdem debitam Hæreditati Poncellæ = *ex eo quòd hujusmodi condonatio in Brevi Clementino nequaquam continebatur. Atque idcirco nunc Fratres Valeriani oblatam sibi condonationem non amplius requirunt, ut ex eorum renunciatione mihi nuper exhibita* = Quare concludit his verbis = *Quia verò agitur de commutanda piorum Defunctorum voluntate, ac de conspicua compensatione dictis Valerianis cedentibus perpetuo elargienda, vos etiam deprecor EE. Patres, ut sublimiori, quo polletis, ingenio, omnia hæc mecum dignemini perpendere, ac definire.*

Preces nunc renovat Capitulum, sustinetque, nullam per hanc Concordiam, sive Contractum fieri commutationem mentis, & voluntatis Defuncti quoad substantialia, nimirum quoad celebrationem tot Missarum ad rationem obulorum viginti pro qualibet Missa, quot erunt hæreditarii redditus, demptis oneribus, superextantes; Et quamvis mens Defuncti commutata videatur quoad Personam Valerianorum, qui juxta legem Testatoris incumbere debent Bonorum administrationi, nec non juri eligendi Ecclesias, ac nominandi Sacerdotes pro Missarum celebratione, nihil tamen detrahi contendunt voluntati, & suffragio Animæ Testatoris, ejusque Patris, & Avi, si à Valerianis, vel à Capitulo Bona administrantur, nominentur Præsbyteri, & Ecclesiæ eligantur pro adimplenda Missarum celebratione. An autem istorum jurium cessio, quam agere intendunt Valeriani favore Capituli, pacto convento, quòd in compensationem cessorum jurium ipsis cedenda sit Domus, & Prædium, prout iisdem assignata fuerant in Clementino Brevis, sit reprobanda ut suspecta labis simoniacæ, ipsi cognoscent Eminentissimi Patres ex juribus deductis in Libello à Capitulo circumferendo. Dublum est.

An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

SENOGALLIEN. ONERIS MISSARUM. In ultimis Codicillaribus Tabulis anno 1642. conditis à Brunoro de Brunoriis ex Oppido Corinalti Senogalliensis Diœcesis voluit ille, quòd defectis omnibus de sua Brunoria Familia, ad possessionem Prædii, quod ipse habebat in Corinaltensi Territorio in Fundo, seu vocabulo *Pregiagne*, substitutum esset Monasterium S. Annæ dicti Oppidi, adjecto onere celebrandi tot Missas, quot essent ejusdem Prædii redditus, pro expiatione ejus Animæ, ejusque Ascendentium, & Descendentium in Altari SSm̃i Crucifixi sito in Ecclesia ipsius Monasterii.

*Seff. 22. cap. 6.
de Reform.*

Hanc substitutionem Monasterium agnovit anno 1758., cum eo anno decesserit Delia Brunori ultima superstes de Domo, & familia Testatoris, hinc Sanctimoniales supplicarunt Episcopum pro facultate acceptandi Monasterii substitutionem, ac adipiscendi possessionem dicti Prædii, simulque ut idem Episcopus præfiniret eleemosynam Missarum celebrandarum ex fructibus sæpediti Prædii, quemadmodum idem Episcopus Decreto suo petitam facultatem concessit, eleemosynamque Missarum præscripsit in obulis septemdecim cum dimidio pro qualibet Missa, prout Sanctimoniales virtute impertitæ facultatis possessionem Prædii adeptæ fuerunt, illiusque redditus hæctenus erogarunt in Missarum celebrationem, soluta eleemosyna obulorum septemdecim cum dimidio pro qualibet juxta taxam, ut supra factam ab Episcopo.

Nunc autem cum eidem Monasterio, & Sanctimonialibus perdifficile sit, quòd exactissimum quotannis retinere possint computum omnium fructuum etiam minimorum ex dicto Prædio relectorum, ac omnium expensarum præsertim manualium, quæ pro cultura, & maintenance Prædii, fructuumque recollectione necessariæ sunt, ut iis demptis, vera liquidetur fructuum quantitas in celebratione Missarum eroganda, cumque incerta sit annua fructuum recollectio, venditio, & pecuniarum exactio, incerta pariter efficiatur celebratio, & incommodum satis sit conficere calculum, & gravius, atque molestius partitionem explere fructuum, & pecuniarum, ut quantitas celebrandarum Missarum cognoscatur, hinc his fretum rationibus antedictum Monasterium auctoritatem Sacræ Congregationis implorat, ac instat, ut certus præfiniatur Missarum annuatim celebrandarum numerus, ut hoc pacto consultum sit indemnitati pariter,

ter, & conscientiæ Sanctimonialium, earumque Administrorum, & ita sublata sit quælibet omiffio, vel obli-
vio involuntaria tum perceptorum fructuum, tum factarum expensarum in Computa referendarum, & ut Codicillantis Anima debitis non fraudetur suffragiis.

Requisitus Eminentissimus Senogalliensis Antistes pro informatione, & voto, ac ut audito Deputato Monasterii referret, *quotus Missarum numerus præfui-ri possit respectu ad redditus Prædii ab omni onere exemptos, non detractis tamen Utensilibus, ducto calculo per decennium, retulit = Ex vicennii calculo annuus Prædii redditus in annuis aureis nummis triginta sex circiter constat, & Sacrificia biscenta, & sex quotannis oblata fuisse habetur. Monasterii Curatores auditi, post rei sedulam inquisitionem, ad viginti octo supra biscenta Sacrificia numerum reduci posse, perpetuoque statui proprio Chirographo retulerunt. Post hæc Eminentissimi Patres dijudicent, num menti Brunorii adversetur taxatio cujuslibet Sacrificii in obulis decem, & septem cum dimidio ab Episcopo, ut perhibent, facta, cum Diæcesana lex eleemosynam Sacrorum in obulis decem præfinierit, necessariis tamen sumptibus subductis, qua taxatione Missarum numerus in expiationem Animæ Brunorii major esset.*

Præoculis habendum est, hic non agi de commutanda, vel interpretanda Codicillantis voluntate, nec quæri de reductione præscriptarum Missarum ob imminutos redditus, vel de statuenda illarum eleemosyna, sed quæritur dumtaxat, ut Missarum celebrandarum numerus, quem non statuit Defunctus, præfiniatur ab hac Sacra Congregatione, veluti Eadem, annua spectata quantitate reddituum ducto calculo per decennium præfinivit in Maceraten. 2. Martii 1776.

Erit insuper examinandum, an eleemosynæ taxatio ab antecessore Episcopo facta in actu acceptationis Prædii cum onere Missarum ad rationem perpetuæ, nimirum obulorum septemdecim cum dimidio pro qualibet Missa, adversetur nec ne, ut ait hodiernus Emiss Cardinalis Antistes, menti Brunorii, non obstante, quòd is nihil statuerit circa quantitatem eleemosynæ, cum Lex Diæcesana Sacrorum eleemosynam in obulis decem præfinierit: Super qua re cum exquisitum fuerit votum Emiss D. Cardinalis Cornelii, hic rem perpendendam, definiendamque remisit ad hanc Sacram Congregationem.

Sacri hujus Tribunalis Sententia est, præfiniendam Missarum

farum eleemosynam ad rationem *perpetuæ* juxta Regionis morem ante acceptationem Legati cum onere Missarum, prout in hypothesi Monasterium postulasse, & Antecessorem Episcopum eleemosynam præscripsisse videtur, ut in *Prænestina* relata per Summaria Precum 15 Junii 1709. ut in *lib. 59. Decret. pag. 217.*, in *Romana* similiter relata per Summaria Precum 27. Februarii 1734. ut in *lib. 84. Decret. pag. 120. terg.*, in *Nepefina Reductio- nis Onerum* 24. Julii 1734., in *Lucana Applicationis Missæ quotidianæ* 12. Februarii 1735., & in *Viterbien. Cappellanæ* 21. Januarii 1744. Dubium tamen dissolvendum erit a doctrina EE. Vestrarum, quibus proponitur.

An, & in quo numero Missæ sint annuatim celebrandæ in casu &c.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. Marinus Franciscus Vanni e Terra Montis Georgei Firmanæ Diæcesis in ultimo, sub quo deceffit, elogio condito de anno 1711. jure Legati reliquit Imagini Beatissimæ Virginis Mariæ Reginæ Angelorum sitæ extra Portam Sancti Andreæ dictæ Terræ octo Loca Montium, adjecta lege, ut cum illorum pretio in ejus Imaginis honorem ædificaretur è fundamentis Ecclesia, utque hæc sua expressa voluntas non fraudaretur, deputavit, ac elegit Doctorem Joannem Franciscum Passari, qui Fabricæ adisteret, tributa eidem facultate ad effectum prædictum vendendi Loca Montium etiam absque consensu suorum Hæredum, Fratrum nempe, & sororum, quos instituit cum onere celebrare faciendi quotidianum Sacrum in ædificanda Ecclesia Beatissimæ Virginis Angelorum, & non aliter &c.

Sequuto Testatoris obitu, Passarus executor vendidit Loca Montium, & Ecclesiam extruxit, eaque absoluta, Missæ in eadem celebratæ fuerunt tum ab Hæredibus Fundatoris, tum etiam à Familia Boncori suffecta in jure dictorum Fundatoris Hæredum.

Ast verò anno 1770. Sanctimonialis Monasterii sub invocatione S. Andreæ ejusdem Terræ Montis Georgei preces porrexerunt san. mem. Clementi XIV. pro supradictæ

quotidianæ Missæ translatione à rurali Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis Angelorum ad Ecclesiam sui Monasterii eo sub obtutu, quòd ipsæ unicam tantum Missam habebant proprii Confessarii, quo deficiente, vel impedito, prout etiam aliis deficientibus Præbyteris, Sacris interesse nullo modo poterant: Quòdque e converso Missam in dicta rurali Ecclesia celebrandam nullus erat, deficientibus in ea Regione Colonis, & Habitatoribus, qui audiret, eique, & Cappellano celebranti præstaret servitium, & assistentiam, votique compotes effectæ fuerunt Sanctimoniales obtento Rescripto ab hac Sacra Congregatione sub datum diei 4. Februarii 1771., prævia tamen Firmani Archiepiscopi favorabili informatione, & voto, ac prævio etiam consensu Aloysii Boncori Cappellanæ, & Ecclesiæ Patroni, quem Sanctimoniales ab onere, & expensis pro Sacris Utensilibus absolverunt.

Jurgia modò exorta sunt Moniales inter, & ipsum Aloysium Patronum, qui proinde supplicavit Sanctissimum Dominum Nostrum, ut onus Missarum, quas Marinus Vanni Fundator tam anxie concupivit, ac voluit celebrandas in rurali Ecclesia eo mandante, & illius sumptibus ædificata, ad eandem ruralem Ecclesiam, quæ derelicta, ac deserta est, referatur, ut ejusdem Ecclesiæ decus, & honor, divinusque cultus erga Imaginem Beatissimæ Virginis Angelorum restituatur.

Delegatis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Archiepiscopus Firmanus, qui rejiciendam putat Aloysii petitionem. Hoc tamen non obstante contrario Archiepiscopi voto, Aloysius pro reportatione Missarum oneris sui jura deducit, quibus Moniales obfistunt in respectivis Libellis, quorum perpensis rationibus, partes erunt Eminentiarum Vestrarum definire.

An onus Missarum fundatum in Ecclesia Patronali S. Mariæ Angelorum sit reportandum ad eandem Ecclesiam in casu &c.

Die Sabbathi 22. Decembris 1781. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor priores, quæ mox subjicientur Causæ, proponi non potuerunt *in postrema Congregatione diei 24. proximè præteriti mensis Novembris*. Grave itaque non erit *EE. VV. ejusdem Congregationis Foliolum resumere*, & earundem Causarum Dubia nunc definire.

ASCULANA PAROCHIALIS; cuius Dubium est. *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*
An, & quæ Supplicatio, & quomodo sit signanda in casu &c.

Neutram Supplicationem esse signandam, & iterum indicendum esse Concursum, & amplius.

CAMERINEN. BENEPLACITI APOSTOLICI, in *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*
 qua ambigitur.
An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Negative & ad mentem, & mens est, quod scribatur Episcopo ut precedat ad taxationem congruæ mercedis favore Valerianorum pro administratione bonorum Pii Operis.

*Sess. 22. cap. 6.
de Reform.*

SENOGALLIEN. ONERIS MISSARUM, in qua re-
spondendum est.
*An, & in quo numero Missæ sint annuatim celebrandæ in ca-
su &c.*

Affirmativè pro celebratione Missarum biscentum vi-
ginti & octo absque detractioe utensilium.

*Sess. 22. cap. 6.
de Reform.*

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSA-
RUM, in qua disquiritur.
*An onus Missarum fundatum in Ecclesia Patronali S. Mariæ
Angelorum sit reportandum ad eandem Ecclesiam in ca-
su &c.*

Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo juxta men-
tem.

*Sess. 22. cap. 2.
de Sacrif. Miss.*

MELEVITANA, Ad iteratum Amplissimorum Pa-
trum judicium redit hæc Causa, cujus Facti species
repetenda est ex Folio Congregationis habitæ die 12. præ-
teriti mensis Maii labentis Anni, illiusque Dubiis, quæ
duo erant, ac sunt, unum scilicet tempus præteritum,
alte

alterumque futurum tempus respective complectens, propositis in sequenti Congregatione diei 16. Junii proxime præteriti, rescriptum fuit = Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem, & mens est, ut Episcopus referat, an ultra Missam Conventualem legatam à Joanne Baptista Falzon celebrent Canonici in diebus feriatis Missam Conventualem de jure præscriptam.

Melitenfis Antistes, cui Litteræ Sacræ Congregationis datæ fuerunt, respondit = fuisse in vim Rescripti istius Sacræ Congregationis editi die 11. Aprilis 1757. impartitam Canonicis hujus meæ Ecclesiæ Collegiæ, & Parochialis D. Pauli ob tenuitatem eorum Præbendarum reductionem Missæ Conventualis de jure præscriptæ ad dies dumtaxat Dominicos, & festivos secundum formam Litterarum Pastoralium transmissarum Episcopis Italiæ die 19. Augusti 1744., & sic exemptionem reportasse pro omnibus diebus ferialibus, in quibus ex Legato quondam Sacerdotis Joannis Baptistæ Falzon annuatim celebrantur Missæ 217., in reliquis verò anni diebus ferialibus quamvis hujusmodi Missæ celebratio non omittatur, eam tamen explere solent dicti Canonici in adimplementum aliorum onerum.

Preces renovat Capitulum, quibus perpenfis, munus erit EE. VV., resumpto supradictæ Congregationis Folio, definire.

- I. An sit standum, vel recedendum à decisis quoad præteritum in casu &c.
- II. An, & quomodo sit locus reductioni Missarum Conventualium quoad futurum in casu &c.

Ad I. Prævio recessu a decisis, pro absolute, facto verbo cum Sanctissimo. Ad II. Affirmativè juxta votum Episcopi.

VELITERNA REDUCTIONIS MISSARUM . Anno 1582. clar. mem. Card. Farnesius Episcopus Hostiensis, & Veliternus omnes Præbendas cum honoribus, & oneribus, quæ erant in collapsa Ecclesia Castri Nymphæ, transtulit in Parochialem Ecclesiam Oppidi Cister-næ ejusdem Veliternæ Diocesis, quam tunc erexit in Collegiatam sub titulo S. Mariæ compositam Archipræs-bytero cum Cura Animarum, nec non sex Canonicis, geminisque Beneficiatis, & ex translatis Præbendis unâ cum redditibus dictæ Parochialis Ecclesiæ in Collegiatam erectæ constituit Massam communem æqualiter dividendam anno quolibet in novem portiones, percipiendas nimirum ab Archipræsbytero pro duabus portionibus præter incerta Stolæ, rursus ab unoquoque Canonico pro una tantum respectivè portione, & a Beneficiatis pro dimidia portione pro quolibet, quæ Massa communis ut supra partienda nunc ad annua scuta octoginta circiter ascendit.

Post erectam Ecclesiam in Collegiatam, plurimi fuerunt pii Benefactores, qui diversis temporibus eidem Collegi-
tæ Ecclesiæ pecunias, & Domos, adjecto Missarum tum
lectarum, tum Solemniū onere respectivè, Legati titulo
reliquerunt. Missarum lectarum onera simul unita con-
stituebant numerum Missarum octingentarum quinqu-
aginta septem; Ast Legatorum redditus pro iis ce-
lebrandis erant annuorum scutorum centum se-
ptuaginta septem, & obulorum quinque: Illæ verò cum
cantu, sive Anniversaria conflabant numerum octogin-
ta duarum, redditus verò erant annuorum scutorum se-
ptuaginta duorum, & obulorum nonaginta. Nunc au-
tem si idem est Missarum lectarum, & cum cantu onus;
non ita tamen idem est Legatorum redditus; nam ii pro
octingentarum quinquaginta septem Missarum lectarum
celebratione non excedunt annuam summam scuto-
rum octoginta unius, & obulorum viginti quatuor,
& pro octoginta duabus Missis cum cantu redditus
modò sunt in scutis triginta quatuor, & obulis trigin-
ta sex.

Quamobrem Capitulum supplex adivit hanc Sacram Con-
gregationem pro aliqua earumdem Missarum reductione:
Remissisque precibus ad Eminentissimum Cardinalem
Episcopum, ut dignaretur *Sacram Congregationem in-*
stru-

fructum reddere, & votum suum aperire transmissa notula singulorum Legatorum, & reddituum pro unoquoque assignatorum, ac referre utrum, & an alicujus culpa redditus ipsi imminuti sint, aut demum aliquis teneatur ad supplementum, aut per contractum fuerint acceptata.

Respondit idem Eius Antistes his verbis = *compertum est, diminutionem (reddituum) non ex alicujus Administratoris, vel alterius particularis personæ culpa originem habuisse, sed ex ipsa reddituum indole, & ex ingenio Regionis, in qua decreverunt tum fructus Censuales, haud amplius investiri soliti ad rationem scutorum octo, vel decem in singula centum, sed in longe inferiori interusura, tum in pensionibus Domorum ob infrequentiam Inquilinorum, & Populi decrementum; Compertum itidem fuit, in acceptatione Legatorum, quotquot Capitulo Oratori imposita fuerunt, nullum intervenisse Contractum peculiarem, aut obligationem ex stipulatu de oneribus supportandis, quævis non obstante fortuita, aut culposa diminutione, cum omnia processerint ex causa Legati; & tandem compertum fuit, neminem judicari posse, qui vel jure hæreditario, vel alio nexu abstrictus merito renunciari possit ad præstandum supplementum debitum in casu sequutæ diminutionis, vel totalis defectus redditus rei legatæ, vel concessæ.*

A voto tamen ferendo se abstinuit laudatus Eius Cardinalis Episcopus, dum dixit = *Verum quidquid sibi postulet Capitulum, rectiorem methodum hujus ineundæ reductionis relinquimus prudentiori arbitrio EE. VV., quæ ex oblata notula singulorum Legatorum, quæ plus, minusque diminuta fuerunt, eam, & idam statuere poterunt reductionem, quæ singulis Legatis Missarum conveniat ex passa majori, vel minori diminutione, adjecta in singulis salubri expressione, quod si Fundi in meliorem umquam devenerint conditionem, augeri itidem debeant onera Missarum usque ad numerum à Testatoribus præscriptum, & prout alias expediens videbitur EE. VV.*

Et revera imminutis redditibus Censuum, vel Bonorum, quæ pro tot præscriptarum Missarum celebratione relicta fuerunt, diminuendum etiam esse Missarum celebrandarum numerum sæpissime definivit hæc Sacra Congregatio, & præsertim in *Vigilien. Decanatus 23. Julii 1729. ad II. Dubium, in Firmana Onerum Missarum 2. Junii 1764., & in Papien. Reductionis Missarum 2. Martii 1776.*

A Capitulo jura circumferuntur, Dubium est:

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Quoad Legata, quæ habent redditum sufficientem ferendo oneri a Testatore præscripto, negativè; quo vero ad cœtera Legata affirmativè, & reductionem faciendam esse pro intranti quantitate reddituum ad rationem taxæ manualis pro Missis lectis; juxta verò morem Regionis pro Missi. cantatis, demptis tamen semper Sacris utensilibus.

*Sess. 22. Cap. 6.
de Rest.*

FULGINATEN. APPLICATIONIS. Adest in Civitate Fulginatensi Conservatorium Convertitarum, quod pauperrimum est, nihilque possidet præter Domum ad usum Conservatorii, in qua inhabitant vigintiocto Mulieres ad christianam pænitentiam conversæ, quæ præmaxima laborant egestate. Adest etiam in eadem Fulginatensi Civitate Domus anno 1698. à Catharina quondam Simonis Nucerna empta pretio scutorum sexaginta, & donata Puellis nuncupatis Patris Cæsaris Presbyteri Sæcularis, quæ inibi in aliquali vivebant communione, absque tamen peculiari habitu, & sine votis, certoque Instituto Earum Puellarum numerus in ea Domo degentium ad tres, vel quatuor ascendere consuevit; Bona autem ipsarum sunt dicta Domus, ac duo Prædia valoris in totum scutorum centum octoginta quinque; redditus verò, qui ex dictis binis Prædiis percipiuntur, tenuissimi sunt.

Verùm cum anno 1778. ultima superstes Puella ad nuptias convolaverit, relicta in ea Domo ægrota muliere unà cum duabus Puellis vocatis ad præstandum eidem ægrotañti Mulieri famulatum, ideo Canonicus Aloysius Jacobilli Rector supradicti Conservatorii Convertitarum putans, extinctum esse nomen, & Institutum Puellarum Patris Cæsaris, preces porrexit Sanctissimo Domino Nostro, quæ ab eo delegatæ fuerunt Sacræ huic Congregationi, postulavitque, ut pauca Bona Puellarum
Patris

Patris Cæsaris tamquam vacantia applicarentur Conservatorio Convertitarum .

Requisitus Episcopus pro Informatione , & Voto , auditis , si qui sunt , interesse habentibus , ac transmissis dispositionibus , & ut referret præsertim , an spes supersit , quòd Conservatorium Patris Cæsaris nuncupatum Boni J-*esu* redintegretur , & an aliud extet æque indigens in Urbe Conservatorium , cui assignari Bona prædicti Conservatorii conformius sit voluntati Testatoris , retulit , quæ supra dicta fuerunt , additque Locum ipsum Patris Cæsaris simplex Hospitium potius esse , quàm Conservatorium , nullamque subesse spem , ut viribus subsistere possit . Quare concludit his verbis = *Quoniam verò congruens reddituum adeptio in magnam cederet Animarum utilitatem , cum in dies eveniat , ut Mulieres inhonestæ , malique exempli in eo receptæ à peccatis , ac perditionis via retrahantur , opportunissimam ducerem petitionem assignationem favore ejusdem Conservatorii Convertitarum , cum obligatione tamen erogandi Bonorum redditus in alimenta memoratæ Mulieris infirmæ quoad vixerit* = Dispositiones verò a Sacra Congregatione requisitas , nimirum Patris Cæsaris , nec non dictæ Catharinæ , quæ Domum emit , Puellisque donavit , nec Episcopus transmisit , nec aliquis fuit , qui eas exhibuerit .

At verò sub die 17. Julii 1779. Oratoris supplicationi rescriptum fuit ab hac Sacra Congregatione = *Supplices tempore habili* = Quapropter cum ægrota Mulier die 23. Februarii superioris anni 1780. ex hac vita decesserit , hinc antedictus Rector Conservatorii Convertitarum preces renovat pro applicatione Bonorum Puellarum Patris Cæsaris eidem Convertitarum Conservatorio facienda , cui petitioni Puellæ , quæ defunctæ Mulieri famulatum præstabant , & in eadem Domo actu degunt , contradicunt .

Sustinet Rector supradicti Conservatorii , quòd licet veritas sit de jure voluntatum piorum Testatorum commutatio , & applicatio reddituum , qui vel pro Missarum celebratione , vel pro aliis piis usibus relicti fuerunt ex traditis per *Pignatell. consult. canonic. 81. num. 78. tom. 9. , & Rot. coram Lancett. decis. 494. num. 22. ,* attamen piæ illorum voluntates , illorumque Legata , quæ nequeunt adimpleri modo voluto à Testatoribus propter impedimentum facti , prout illud est ex reddituum Bonorum ,

ut ait Episcopus, modicitate profiliens, in alios pios usus converti debent ad firmata per *Fagnan. in cap. Nos quidem num. 14. , & 24. de Testam. , Garz. de Benefic. part. 7. cap. 1. num. 108. , Barbos. de Offic. , & potest. Epif. alleg. 83. num. 3. , & 8. , & Amost. de Caus. piis lib. 1. cap. 14. num. 33.*

Sacra Congregatio urgente necessitate, voluntates Testatorum non raro commutavit in alios pios usus, qui proximi sint, congruantque illorum voluntati, ut in *Camerinen. , & Fabrianen. Commutationis Voluntatis 10. Septembris 1735. , in Nullius seu Terræ Pontiani Commutationis voluntatis 30. Januarii 1745. , & in Interamnen. Commutationis voluntatis 8. Maii 1756.*

An autem in subjecta hypothese adsit petita commutandi necessitas, munus erit Eminentiarum Vestrarum id cognoscere ex Dispositionibus à Partibus exhibendis, A' Rectore Conservatorii Convertitarum jura circumferuntur. A' Puellis nihil hætenus allatum est. Dubium proponitur.

An sit locus applicationi Bonorum Domus Puellarum nuncupate Patris Cæsaris favore Conservatorii Convertitarum, in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FERRARIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUUM. Sacerdos Marcus Antonius Treguglia Ferrariensis anno 1630. Testamentum credidit, in quo hæredem instituit Octavium Treguglia Nepotem suum, ejusque Descendentes. In Codicillaribus autem Tabulis ab eodem Marco Antonio subinde scriptis anno 1632. jussit hæredibus suis, ut quotannis ex redditibus plurium Locorum Monium ad ipsam pertinentium, & fundatorum in Sacro Monte Pietatis Ferrariæ distribuereur tribus pauperibus, honestisque Puellis ejusdem Civitatis subsidium dotale scutorum vigintiquinque pro unaquaque.

Ex dictorum reddituum imminutione factum inde est, ut etiam singula subsidia dotalia redacta fuerint ad scuta duo de viginti, & in hac summa ad hæc usque tempora Puellis Ferrariensibus collatæ iuerunt.

Qua-

Quatuor Ferrarienses Puellæ, Theresia nempe, Marianna, & Barbara filiæ defuncti Pauli Treguglia, & Elisabeth filia pariter defuncti Petri Treguglia omnes cum prædicto Testatore sanguine conjunctæ supellicem porrexerunt libellum SANCTISSIMO NOSTRO PRINCIPI postulantes fieri Dotium cumulum usque ad summam scutorum sexcentorum pro qualibet ex Oratricibus, quemadmodum sa: me: Clemens XIII. anno 1768. eandem gratiam, quam nunc ipsæ postulant, per organum hujus Sacræ Congregationis Puellæ Aloysiæ Tregugliæ concessit.

Ablegatis precibus huic Sacræ Congregationi, requisitus fuit Ferrariensis Archiepiscopus pro Informatione, & voto transmissa dispositione, auditis Collatoribus, cæterisque interesse habentibus, ac ut referret, an aliqua adsit Puella speciale jus habens, vel vocationem, cui expetita gratia præjudicium afferre possit, & quo gradu Oratrices conjunctæ sint Testatori.

Omnibus satisfecit Archiepiscopus. Is enim Testatoris dispositiones, testamentariam scilicet, & codicillarem transmissit, retulitque = *verissima in Facto esse, quæ exponuntur à memortais quatuor nubendis Oratricibus tam quoad Dotium fundationem, quàm quoad earum paupertatem ab honesta, civilique origine haud sejunctam, sicuti etiam quoad descendantiam ab eodem Dotium Institutore, à quo Oratrices istæ, Theresia nempe, Marianna, & Barbara sunt affines in quarto gradu, sicuti Elisabeth in quinto.*

Addit = *Verum quoque est, de anno 1768. consimili gratiæ applicationis sibi harum Dotium usque ad complementum summae scutorum 600., veluti petunt etiam Oratrices, elargitum fuisse a sa. mem. Clemente XIII. Aloysiam Treguglia uti dependentem ab eodem Testatore, enunciaturque in precibus (& constat ex lib. 118. decret. hujus Sacræ Congregationis fol. 261- tergo) quam summam integre assequuta fuit elapso anno 1781.*

Nullas autem adesse ait idem Archiepiscopus. Puellas = *quæ speciali potiuntur vocatione præter omnes hujus Civitatis, quæ conjunctim, ac de more concurrere possent dictis dotalibus subsidiis, ex quo evenit, ut indiscriminatum accidat quoque, si quod est, alteri præjudicium = fuit tandem ab eodem Archiepiscopo perquisitus Dotium Collator qui est Presbyter Franciscus Treguglia Supplicantiibus sanguine conjunctus, qui ut refert Archiepi-*

copus = non modo nan contradicit expetitæ gratiæ , imo summo opere id optaret apprime conscius valde Oratrices prædictas indigeræ his Subsidiis , sine quibus difficillimum eisdem erit ullum contrahere vel spirituale , vel temporale Conjugium = suumque votum pro gratia juxta petita favore Puellarum Oratricum aperuit .

Ponderandum tamen est , quod licet Testator nullam in suis Testamentariis , vel Codicillaribus Tabulis prælationem dederit suis Proximioribus in Dotium affectione , videtur tamen ; Theresiam , Mariannam , & Barbaram Oratrices petere iposse , ac assequi postulatum Dotium cumulum intuitu naturalis charitatis , ac propter præsumptam Testatoris affectionem erga suas Consanguineas , ut illæ sunt in quarto gradu cum Testatore conjunctæ , & summa præsertim egestate laborantes ex traditis per *Rot. decis. 898. num. 3. cor. Emerix jun. , & in Romana , seu Januen. Legati 5. Maii 1698. §. Similique cor. cl. me. Card. delle Tremoille* . Eo ipso modo , quo Aloysia Treguglia in quarto pariter gradu cum eodem Testatore conjuncta eundem Dotium cumulum à Sa. Me. Clemente XIII. habuit , fuitque assequuta . Illud tamen animadvertendum est , nunc tres esse Sorores , quæ cumulum dotium petunt , cum è contra unica esset , quæ petiit , & consecuta est gratiam a San. Mem. Clemente XIII. ex quo consequitur , per longum annorum curriculum alias pauperes Ferrariæ Puellas deiici a spe consequendæ Dotis .

Respectu verò ad aliam Oratricem Elisabeth Treguglia , quæ conjuncta est cum Testatore in quinto gradu , munus erit EE. VV. perpendere , an illa in sua petitione admittenda sit , vel reiicienda , quemadmodum Sacra Congregatio Puellas cum Testatore conjunctas ultra quartum gradum rejecit , ut in *Ferrarien. Subsidiarum Dotialium 11. Januarii 1755. , & in specie de consanguinea in quinto gradu in Perusina Subsidiarum Dotialium diei 20. Septembris ejusdem anni 1766. Quæritur .*

An , & in qua summa sit locus præstationi Subsidiarum dotialium in casu &c.

MELEVITANA . Juspatronatus Cappellæ ; Altarisque majoris siti in Ecclesia Patrum Carmelitarum excalceatorum Civitatis , quæ hodie nuncupatur *Cospicua* Diœcesis Melitensis ad duas pertinet ejusdem Civitatis Familias , Azupardo Castelletti scilicet , ac Testaferata . Anno 1715. has inter Familias exortis diffidiis super dicto Jurepatronatu , ea diremit Transactio ipsas inter celebrata, assentientibus , approbantibusque Patribus Carmelitis capitulariter congregatis . Inter pacta in eadem Transactione conventa , favore Azupardo Castelletti illud fuit , quòd licitum eidem esset = *nella facciata di detto Ven. Altare verso la mano destra mettere le armi gentilizie della sua Famiglia in lapide marmorea , o d'altra materia à lui ben vista coll' iscrizione , che li parerà , o nell' istessa arme , o in un altra lapide separata da pondersi in quel Luogo , più gl' aggraderà nella parte destra di detto Ven. Altare , potendo ancora sopra detta iscrizione ponere un' altra Lapide coll' armi gentilizie di sua Famiglia .*

Nunc Canonicus Joannes Maria , ejusque Frater Azzopardi Castelletti in executionem dictæ Transactionis apponere exoptantes marmoream inscriptionem cum Stemmate gentilitio Familix suæ superiori basi , cui binæ Columnæ dexteri Altaris lateris immediatè nituntur , voluntati Fratrum Castelletti sese opposuerunt Patres Carmelitæ obnitentes non appositioni marmorei lapidis cum gentilitio Stemmate , sed loco dumtaxat illius appositionis , sustinentes indecens esse , gentilitium Stemma, profanumque monumentum affigere in dicto loco à Patronis præscripto , qui in eadem linea maneret , in qua est Aræ Mensa , & Ciborium .

Quare Fratres Azzopardi Castelletti Patroni preces porrexerunt huic Sacræ Congregationi , postulantes , ut declaretur , ipsis licitum esse in præscripto loco marmoreum Lapidem cum gentilitio Stemmate collocandi .

Episcopus fuit pro Informatione , & voto requisitus . At Sede Episcopali tunc vacante, retulit Vicarius Capitularis , ipsum, instantibus Patribus Carmelitis, ad differentiam locum accessisse , Altarisque , & Cappellæ delineationem cum loco controverso fieri mandasse , ac demum votum suum aperuit Patronis conforme .

Causa proponitur . Fratres Azzopardi Castelletti sua jura deducunt , quibus , aliisque à Patribus Carmelitis dedu-

cendis, quæ hæcenus non habuimus, perpenfis, erit ab Eminentis Vestris definiendum.

An, & in qua parte lateris dexteri Altaris Majoris S. Therese apponendus sit lapis cum inscriptione, & Stemmate gentilitio Familiæ de Azzopardo Castelletti in casu &c.

F I N I S.

I N D E X

R E S O L U T I O N U M

*Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii
propositis anno 1781.*

A

A Bessendi a Choro ob servitium per quadraginta annos præstitum Canonico indultum fuit in *Avenion. Jubilationis 17. Martii pag. 33.*

A Bessendi a loco residentie ratione infirmitatis per annum concessum fuit Beneficiato in *Mediolanen. Benefic. 18. Augusti ad II. Dub. pag. 136.*

Reliqua vid. *Beneficiatus.*

Alternativè, revocando trimestrem vacationem, indulsi Canonici Cathedralis Civitatis Castellane, ob auctum eorum numerum ab octo ad sexdecim, ut in *Cronatis Castellane 12. Maii pag. 33.*

Absentia a loco residentie facit Canonico amittere medietatem fructuum a die præcepti Episcopi, ex resolutis in *Nebien. 28. Julii pag. 122., & plur. seqq.*

Absolutio gratiam ab Irregularitate incurta propter homicidium casuale a Clerico citra ullam culpam commissam, ad cautelam indulsi Sacra Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, ut in *Astren. Dispensationis ab Irregularitate 20. Januarii pag. 4., & seqq.*

Absolutionis gratiam ob applicationem non factam Missarum Conventualium pro Benefactoribus impetrari debet a Canonici juxta Decretum Visitatoris Abbatialis Lateranensis, quod approbavit Sacra Congregatio in *Nullius Termini Visitatoris Sacrorum Luminum 23. Aprilis ad I. Dubium pag. 78.*

Quoad autem illam ob neglectam pro Populo applicationem, commissam fuit R.P.D. Secretario, ut verbum faceret cum Sanctissimo *ibid. ad III. Dub.*

Absolutionis gratiam ob implementum piorum onerum vel Legatorum a Testatoribus ordinatorum, & a Cappellanis omnissum ablegavit Sacra Congregatio R.P.D. Secretario cum Sanctissimo, ut in *Nullius Termini Visitatoris Sacrorum Luminum 23. Aprilis ad II. Dub. pag. 78.*

Admittendi Jus. Vid. *Jus Admittendi.*

Adolescenti, qui casuale homicidium citra ul-

lam culpam commisit, ut promoveri posset ad Ordines tum Minores, tum Majores, absolutionis gratiam ab incurta irregularitate ad cautelam indulsi Sacra Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, ut in *Astren. Dispensationis ab Irregularitate 20. Januarii pag. 4., & seqq.*

Aegrotus, sive aeger Beneficiatus amittere non debet Beneficium suum, sicuti censuit Sacra Congregatio in *Mediolanen. Benefic. 18. Augusti ad I. Dub. pag. 136.*

Reliqua vid. *Beneficiatus.*

Aetas viginti annorum dispensata non fuit Clerico minoritatis ad effectum assequendi Parochialem Ecclesiam, quamvis præelecto ab Episcopo in Concursum, ut in *Libertina. Parochialis 24. Novembris pag. 157.*

Aetatis defectus reddit invalidam Professionem ex resolutis in *Pisauren. Nullitatis Professionis 16. Junii pag. 100., & seqq., & confirmatis in eadem 7. Julii pag. 111.*

Affixio Edictorum. Vid. *Edictorum affixio.*

Alieniandi causa portionem Bonorum inter Concanonicos divisorum, nec non ejusdem pretium investiendi, concessit Sacra Congregatio Beneplacitum Apostolicum, ut in *Sublacen. 18. Augusti pag. 36.*

Alimenta juxta Testatoris ejus Confanguineis præstanda per Archiconfraternitatem Sanctissime Annunciate Urbis, assignanda fore in mentibus scitis quinque inter duas Sorores equaliter distribuendis a die cessati assignamenti alteri Sorori facti, qua interea nupserat, præcepit Sacra Congregatio in *Romanæ Alimentorum 12. Maii pag. 84., & seqq.*

Non deberi Curatis, seu Vicariis Curatis in mensa Capituli Loco Congruæ recipienda censuit Sacra Congregatio in *Carpentoracen. 15. Septembris ad II. Dubium pagin. 149., & plur. seqq.*

Reliqua vid. sub verb. *Cathedralis Ecclesia.*

Aternati am concessit Sacra Congregatio, trimestrem vacationem a servitio Chori revocando, Canonici ob auctum eorum numerum ab octo ad sexdecim, ut in *Cronatis Castellane 12. Maii pag. 33.*

Anniversarium unum quolibet anno infra octavam omnium Defunctorum teneti Rectorem Beneficii sub titulo Assumptionis B. M. V. Ecclesie Collegiate Terrae Buxeti ad celebrandum prescripsit Sacra Congregatio in *Burgi S. Donini Beneficii 17. Martii pag. 46.*, & seqq.

Aperitio Oris. Vid. *Oris aperitio.*

Aperitioni novi Conventus cum obligatione manutenendi quinque Fratres, juxta Fundatoris vota, locum esse censuit Sacra Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, in *Anagnina 28. Julii pag. 120.*, & seqq.

Præfinito tamen tempore unius Anni ad conditiones prescriptas in Instrumento donationis implendas *ibid.*

Apostolica Literæ. Vid. *Literæ Apostolicæ.*
Apostolicum Beneficium. Vid. *Beneficium Apostolicum.*

Applicari debent pro Benefactoribus Missæ Conventuales, ex resolutis in *Nullius Ferventilli Visitationis Sacrorum Liminum 28. Aprilis ad I. Dub. pag. 78.*

Pro Populo Missam per turnum tam ab Archipresbytero quam a Canonicis ad rationem manualis ex massa distributionum constituenda ad rationem Concilii *ibid. ad II. Dub.*

Seminario indigenti aliqua fructuum rata, qui supersunt Hospitali, ut in *Eugubina Applicationis 15. Septembris pag. 148.*

Applicari non debent Missæ Conventuales diebus Dominicis, & Festis pro Benefactoribus in iis Ecclesiis, quæ non sunt Patriarchales, vel Cathedralis, ut in *Nullius Sublacen. 7. Julii ad I. Dub. pag. 110.*

Reliqua vid. sub verb. *Missæ Conventuales.*
Archidiaconum Camerinensis Cathedralis explere posse functiones omnes Episcopales privative quoad Præpositum, & alios Canonicos, si absit, vel impeditus sit Episcopus, resolvit Sacra Congregatio in *Camerinens. Præminentiarum 7. Aprilis ad I. Dub. pag. 55.*, & seqq.

Sicuti etiam munus Præfati in Choro *ibid. ad III. Dub.*

Propter quod resolutiones captæ a Capitulo abrogatæ fuere *ibid. ad IV. Dub.*

Thurificandum esse post Vicarium Generalem resolvit, *ibid. ad V. Dub.*

Coram eodem, vel eo absente, altero digniore fieri debere Fidei Professio, & eidem juramentum præstari a novo Canonico censuit *ibid. ad VI. Dub.*

Penes eundem privative quoad Episcopum, ejusque Vicarium Generalem residere auctoritatem convocandi Capitulum pro negociis ad ipsum Capitulum pertinentibus resolvit *ibid. ad VII. Dub.*

Resolutionem tamen convocandi Capitulum singulis secundis Dominicis cujuslibet mensis absque prævia ulla intimatione improbat *ibid. ad VIII. Dub.*

Itidemque denegavit, ut eidem Archidiacono denunciarentur necotia in Capitulo peragenda actu, quo intant Canonici pro illius convocazione *id. ad IX. Dub.*

Bo absentis distributiones deberi juxta Decretum R.P.D. Secretarii respondit *ibid. ad X. Dub.*

Archidiaconum non teneri celebrare Missam Conventualem per turnum cum Canonicis hebdomadariis, sicuti recedendo a decisis, definivit, iterumque confirmavit Sacra Congregatio in *eadem Fanen. 20. Januarii ad II. Dub. pag. 1.*

Eidem, si celebret Missam pro Populo, deberi elemosynam ex massa communi, & quidem a die motæ litis, resolvit, confirmavit, iterumque adprobavit *ibid. ad I. Dub.*

Archidiaconus dispensari nequit a residentia, ex resolutis in *Nebien. 28. Julii ad I. Dub. pag. 122.* & plur. seqq.

Taliter ut, eo non residente, privati debeat medietate fructuum a die præcepti Episcopi *ibid. ad II. Dub.*

Archipresbyterum infirmum cum Canonicis teneri impositum applicare Missas Conventuales pro Benefactoribus, & quoad præteritas impetrari debere absolutionem a Sancta Sede edixit Visitator Abbatialis Latravensis, cujus Decretum approbavit Sacra Congregatio in *Nullius reverentissimi Visitationis Sacrorum Liminum 28. Aprilis ad I. Dub. pag. 78.*

Insuper cum iis per Turnum applicare Missam pro Populo ad rationem manualis ex massa distributionum constituenda ad rationem Concilii *ibid. ad II. Dub.*

Quoad autem absolutionem ob neglectam dictam applicationem commisit R.P.D. Secretario, ut verbum taceret cum Sanctissimo *ibid. ad III. Dub.*

Archipresbyteratus dismembrationi pro novo Canonico Curato constituendo locum non esse resolvit Sacra Congregatio in *Terracinen. & Privaten. 17. Martii ad I. Dub. pag. 41.*, & seqq.

Injunxit tamen Episcopo, ut provideret ad formam Tridentini Concilii *ibid. ad II. Dub.*

Assignmentem elemosynæ pro celebratione Missæ Conventuales deberi tum Archidiacono, tum Canonicis hebdomadariis, recedendo a decisis, resolutum, & confirmatum fuit in *eadem Fanen. 20. Januarii ad I. Dub. pag. 1.*

Ideoque esse subducendam ex massa communi *ibid.*

Et sic detractam a dicta Massa non esse amplius eandem reintegrandam a die motæ litis *ibid.*

Affociandi causa Cadavera Religiosi vocati, an teneantur nec ne accedere ad Ecclesiam Parochialem, noluit quidquam resolvere Sacra Congregatio, sed prescripsit tantum: *quod inquis*

Inquiratur an intendant accedere duo , vel tres ad Ecclesiam Parochialem , aut Domum Defuncti , itaut alii in alio loco expectari possint sumus , & deinde se jungere : ut in Americana Associationis Funerum 28. Julii pag. 120.

• *Astensionum Canonicorum consuetudinibus indecernendis , utrum possint juxta illas interesse Choro per aliquos Anni menses , vel horas Canonicas pro lucrandis redditibus Massæ nuncupât. Grossæ , nihil resolvens Sacra Congregatio , injunxit Episcopo , ut audito utroque Capitulo , meliorem redderet informationem sicuti habetur in Asten. Visitationis Sacrorum Liminum 10. Februarii pag. 20. , & seqq.*

B

Baptismi collatio reiterata , etiamsi conditionarè , fecit incurtere Parochum in irregularitatem , a qua dispensationem eidem indulgens censuit Sacra Congregatio , facto verbo cum Sanctissimo , ut in Firmiana Dispensationis ab Irregularitate 28. Aprilis ad I. Dub. pag. 78.

Benefactoribus applicandæ sunt Missæ Conventuales ex resolutis in Nullius Ferentilli Visitationis Sacrorum Liminum 28. Aprilis ad I. Dub. pag. 78.

In iis Ecclesiis tantum , quæ vel Cathedrales , vel Patriarchales sunt , ut in Nullius Sublacen. 7. Julii ad I. Dub. pag. 110.

Vid. Missæ Conventualis .

Beneficiatus , cui deest visiva facultas , seu potentia , & infirmus sit privati non debet Beneficio , ut resolvit Sacra Congregatio in Mediolanen. Beneficii 18. Augusti ad I. Dub. pag. 136.

Eundemque non incurrisse in caducitatem , illiusque ammissionem *ibid.*

Residere tamen debet in loco , sed concessio indulto ad annum ratione infirmitatis *ibid.* ad II. Dub.

Et durante infirmitate tenetur per alium implere onus Missarum *ibid.* ad III. Dub.

Quo verò ad Missas non celebratas in præteritum remisit decisionem ad D. Secretarium cum Sanctissimo ; quo verò ad alias decursas interea , & non celebratas teneri adimplere intra terminum præfigendum , & in quantitate ab Eminentissimo Archiepiscopo liquidanda *ibid.* ad IV. Dub.

Remotionis Oeconomi interea delecti / cognitionem remisit arbitrio Eminentissimi Archiepiscopi *ibid.* ad V. Dub.

Anniversarium ex dispositione Fundatoris annuatim celebrandum esse voluit *ibid.* ad VI. Dub.

Beneficii sub titulo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis fundati in Collegiata Ecclesia Terræ Buxeti Rectorem teneri in futurum ad celebrandas duas Missas qualibet hebdomada ,

unam scilicet die Dominico , alteram die feriato , nec non unum Anniversarium quolibet anno infra octavam omnium Defunctorum ; non obitante allegata centenaria , ut potè a pluribus Visitationibus interrupta , præscripsit Sacra Congregatio in Burgi Sancti Domini Beneficii 17. Martii pag. 46. , & seqq.

Beneficio suo privari non debet ejus Possessor , seu Rector morbo laborans , & cæcus , uti resolutum fuit in Mediolanen. Beneficii 18. Augusti ad I. Dub. pag. 136.

Vid. Beneficiatus .

Beneplacitum Apostolicum pro venditione , & investimento pretii ratae unius Domus inter Concanonicos divitè tribuendum esse indulget Sacra Congregatio in Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici 18. Augusti pag. 136.

Pro confirmatione verò unionis bonorum , quæ Testator reliquerat cum onere celebrandi certum Missarum numerum denegando , mandavit Sacra Congregatio , quod scriberetur Episcopo , ut procederet ad taxationem congruæ mercedis favore eorum , qui bona Pii operis administrabant , ut in Camerinen. Beneplaciti Apostolici 22. Decembris pag. 179.

Bona Ecclesiæ in emphyteusim recipere anhelantibus , superventis novis oblatoribus , censuit Sacra Congregatio nova esse assignanda Edicta , non obstante quacumque præcedenti oblatione in Auximana Emphyteusis 12. Martii pag. 84.

Firmam tamen remanere voluit majorem oblationem , quam quidam Passerini fecerat *ibid.*

Bona , quæ vinculo hypothecæ sunt obnoxia pro dote , subici nequeant Legato pio per eum , qui debitor est dotis , uti definitum fuit in Nullius Lepignano Legatorum 7. Julii ad I. Dub. pag. 109.

Propter quod nec Litis expensas subduci possunt ex hisce bonis *ibid.* ad II. Dub.

Immo sequestra indicta super iisdem bonis revocari debent per viam nullitatis *ibid.* ad III. Dub.

Bonorum inter Concanonicos divitorum pro venditione , & investimento pretii unius rate Beneplacitum Apostolicum tribuit Sacra Congregatio in Nullius Sublacen. Beneplaciti 18. Augusti pag. 136.

Bonorum unionis pro confirmatione beneplacitum Apostolicum eorum , quæ Testator reliquerat cum onere celebrandi certum Missarum numerum denegando , mandavit Sacra Congregatio , quod scriberetur Episcopo , ut procederet ad taxationem congruæ mercedis favore eorum , qui bona Pii Operis administrabant , ut in Camerinen. Beneplaciti Apostolici 22. Decembris pag. 179.

C

Cadavera Parochianorum Capituli ad idem Capitulum pertinere statuit Sacra Congregatio in *Maceratione Jervis funerandi* 7. Julii ad I. Dub. pag. 109.

Emolumenta liquidem, quæ ex hisce funeribus retrahuntur eidem Capitulo adicienda fore demandavit *ibid.* ad II. Dub.

Caducitatem non incurrisse, nec removendum esse a suo Beneficio Beneficiarium, qui cæcitiens, & valetudinarius evasit, resolvit Sacra Congregatio in *Mediolanen. Beneficii* 18. Augusti ad I. Dub. pag. 136.

Reliqua vid. *Beneficiarius*.

Cæcus Rector Beneficii. Vid. *Rector Beneficii cæcus*.

Cæcinentorum translatio. Vid. *Translatio cæcinentorum*.

Campestres Coloni. Vid. *Coloni campestres*.

Campestris Oratoria. Vid. *Oratoria campestris*.

Canonicalis proventus noluit Sacra Congregatio, ut tanquam simplex Beneficium censeretur in *Colleen*. 10. Februarii pag. 13.

Canonici Cathedralis Civitatis Castellanae, trimestrem revocando, alternativam vacationem concessit a servitio Chori ob augmentum eorum numerum ab octo ad sexdecim, ut in *Civitatis Castellanae* 12. Martii pag. 32.

Canonici novis Cathedralis Camerinenfis dari debet possessio a Capitulo, juxta formam hætenus observatam; installatio verò a duobus Canonici ab eodem Capitulo deligendis, nisi alii exequutores non fuerint designati in Litteris Apostolicis, ut in *Camerinen. Præminentiarum* 7. Aprilis ad VI. Dub. pag. 55., & seqq.

Canonico concessit Sacra Congregatio indultum abscondendi a Choro ob servitium laudabiliter præstitum Ecclesie per quadraginta annos in *Avinionen. Jubilationis* 17. Martii pag. 33.

Canonicorum Assensum tam Cathedralis, quam Collegiatae consuetudinibus in decernendis, utrum possint illi interesse Choro per aliquos anni menses, & horas; nec non lucrare redditus massæ *Grosse* nuncupat., Sacra Congregatio nihil resolvens injunxit Episcopo, ut audito utroque Capitulo, meliorem redderet informationem, ut in *Assen. Visitationis Sacrorum Liminum* 10. Februarii pag. 20., & seqq.

Vid. *Consuetudines*.

Canonicorum Cathedralis Camerinenfis absque ulla pravia intimatione evocari nequit Capitulum, ut in *Camerinen. Præminentiarum* 7. Aprilis ad VIII. Dub. pag. 55., & seqq.

Canonicos applicare in posterum Missas Conventuales pro Benefactoribus, impetrare deinde debere absolutionem a Sancta Sede quoad præteritas, decretum editum a Visi-

tatore Abbati Lateranensi approbavit Sacra Congregatio in *Nullius Ferenilli Visitationis Sacrorum Liminum* 28. Aprilis ad I. Dub. pag. 78.

Insimul cum Archipresbytero per Turnum, ut applicentur Missam pro Populo ad rationem Concilii resolvit *ibid.* ad II. Dub.

Quoad absolutionem ob neglectam dictam applicationem commisit R.P.D. Secretario, ut verbum faceret cum Sanctissimo *ibid.* ad III. Dub.

Canonicos Camerinenfis Cathedralis explorare non posse functiones, quæ spectant ad Episcopum, etiamsi iste absens, vel impeditus sit, cum hoc munus pertineat ad Archidiaconum privative quoad eisdem, & Præpositum, sicuti censuit Sacra Congregatio in *Camerinen. Præminentiarum* 7. Aprilis ad I. Dub. pag. 55., & seqq.

Propter quod resolutiones captas a Capitulo abrogatae fuere *ibid.* ad IV. Dub.

Thurificandos esse ante alios, illos stantes in eadem parte ubi manet Vicarius Generalis, qui prius omnibus thurificari debet, dein Archidiaconus, vel Præpositus *ibid.* ad V. Dub.

Duos diligendos esse a Capitulo, ut installent novum Canonicum, dummodo alii Exequutores dati non fuerint in Litteris Apostolicis *ibid.* ad VI. Dub.

Instantes pro convocazione Capituli non teneri denunciare præventive Archidiacono negocia in eodem Capitulo tractanda *ibid.* ad IX. Dub.

Canonicos hebdomadarios non teneri celebrare Missam Conventualem per turnum insimul cum Archidiacono, sicuti recedendo a decisis, alias definit, & confirmavit Sacra Congregatio in *eadem Favent.* 20. Januarii ad II. Dub. pag. 1.

Assignata proinde eidem elemosyna ex massa communi subducenda *ibid.*

Adeo ut sic detracta, non esse eandem Massam reintegram a die motæ litis *ibid.*

Canonicus dispensari nequit a residentia ex resolutis in *Aebien.* 28. Julii ad I. Dub. pag. 122., & plur. seqq.

Taliter ut eo non residente, locus sit privationi medietatis fructuum a die præcepti Episcopi *ibid.* ad II. Dub.

Canonis cujusdam ratam redimendi facultatem petitam antequam Sacra Congregatio concederet, vel denegaret, rescripsit, ut exhiberentur Instrumenta tum transactionis, tum investituræ, ut in *Ferrariën.* 15. Septembris pag. 148.

Capitulares Tabellæ. Vid. *Tabellæ Capitulares*.

Capitularibus Cathedralis Camerinenfis in thurificatione faciendâ, hunc ordinem servandum esse iussit Sacra Congregatio, ut prius Vicario Generali, deinde Archidiacono, vel Præposito, caterisque aliis in eadem

- dem parte Capituli stantibus fieret, ut in *Camerinen. Præminentiarum 7. Aprilis ad V. Dub. pag. 55., & seqq.*
- Capitulo abnegata fuit custodia Librorum seu Codicum Parochialium currentium, & concessa Curatis, seu Vicariis Curatis, ut videre est in *Carpentoracen. 15. Septembris ad III. Dub. pag. 149., & plur. seqq.*
- Reliqua vid. sub verb. *Ecclesia Cathedralis.*
- Capitulo Cathedralis Camerinenfis spectare censuit Sacra Congregatio jus admittendi novos Canonicos ad possessionem Canoniciatum, juxta formam hætenus observatam, nec non duos Canonicos deligendi, ut Stallum in Choro novo Præbendato assignent *Camerinen. Præminentiarum 7. Aprilis ad VI. Dub. pag. 55., & seqq.*
- Intellige, nisi dati fuerint in Litteris Apostolicis alii Exequutores *ibid.*
- Pro negotiis ad Capitulum pertinentibus auctoritate illud convocandi residere penes Archidiaconum privatim quoad Episcopum, ejusque Vicarium generalem resolvit *ibid. ad VII. Dub.*
- Resolutionem tamen convocandi Capitulum singulis secundis Dominicis cujuslibet mensis absque intimatione improbat *ibid. ad VIII. Dub.*
- Itidemque denegavit, ut denunciarentur Archidiacono negotia in Capitulo peragenda actu, quo instant Canonici pro illius convocacione *ibid. ad IX. Dub.*
- Capitulo Cathedralis Civitatis Castellane, trimestreni revocando, alternativam vacacionem a servicio Chori indulgit Sacra Congregatio ob auctum Canonicoꝝ numerum ab octo ad sexdecim, ut in *Civitatis Castellane 12. Maii pag. 83.*
- Capitulum explere debere exequias, aliasque functiones Ecclesiasticas super Cadaveribus suorum Parochianorum resolvit Sacra Congregatio in *Maceraten. Juris funerandi 7. Julii ad I. Dub. pag. 109.*
- Nec non eidem deberi emolumenta onerata, quæ ex dictis funeribus retrahuntur *ibid. ad II. Dub.*
- Cappellani Curati, qui præsidio esset Parochia in lingua latina minus Perito deputationem petitam remisit Antistiti Sacra Congregatio, ut suo uteretur jure ad formam Concilii Tridentini, ut in *Firmana Dispensationis ab Irregularitate 28. Aprilis ad I. dub. pag. 78.*
- Cappellanæ dismembrationi locum esse censuit Sacra Congregatio efformandi causa duas Cappellanas modum adiciendo, nempe cum reservacione trium favore Capituli, juxta Fundatoris legem, & cum assignacione certæ summæ favore utriusque Cappellani, prævio tamen examine ab Episcopo adprobando, atque ut Cappellani coadjurent Parochum in iis, quæ curam Anima-
- rum respiciunt, onere iisdem injuncto celebrandi Missam per turnum in Aurora, & in meridie, firmis remanentibus aliis oneribus apud Canonicos, & præsertim Missæ Conventualis cum applicatione pro Benefactoribus, facto verbo cum Sanctissimo, & ad mentem, ut jam resolvit in *Massanen. 2. Decembris superioris anni, explicavit in eadem 15. Septembris pag. 147.*
- Cappellanus inadimplevisse pia onera a Testatore præscripta constare respondit Sacra Congregatio in *Nullius Ferenilli Visitationis Sacrorum Luminum 28. Aprilis ad I. dub. pag. 78.*
- Ideoque in futurum adimplenda esse prædicta Legata jussit, quoad præteritum absolutionem ablegavit R. P. D. Secretario cum Sanctissimo *ibid. ad II. dub.*
- Catechesis explicationem, & nonnullarum Missarum celebrationem a Testatore præscriptas, a Cappellanis inadimpletas esse censuit Sacra Congregatio in *Nullius Ferenilli Visitationis Sacrorum Luminum 28. Aprilis ad I. dub. pag. 78.*
- Ideoque absolutionem ablegavit R. P. D. Secretario cum Sanctissimo; quod verò ad futurum decrevit legatum cujusdam Bartolucci esse adimplendum cum celebratione unius Missæ diebus singulis Dominicis, & Festis; alterum a Perna Roscerri ordinatum esse implendum cum celebratione trium Missarum lectarum, & una cum Cantu prima die lunæ cujuslibet mensis *ibid. ad II. dub. Cathedralibus, vel Patriarchalibus Ecclesiis tantum applicari debent Missæ Conventuales pro Benefactoribus diebus Dominicis, ac Festivis, ut in Nullius Sublacen. 7. Julii ad I. dub. pag. 110.*
- Vid. *Missæ Conventualis.*
- Cathedralis, sive Parochialis Ecclesiæ Curatis, aut Vicariis Curatis deberi stipendium in pecunia numerata reso vit Sacra Congregatio in *Carpentoracen. 15. Septembris ad I. dub. pag. 149., & plur. seqq.*
- Non aliter verò alimenta in Mensa Capituli recipienda loco congruæ *ibid. ad II. dub.*
- Custodiam Librorum, seu Codicum Parochialium currentium retineri debere ab iisdem *ibid. ad III. dub.*
- Abnegata custodia sub duplici clavi, quarum unam contendebat retinere penes se Capitulum *ibid. ad 2. part. dist. III. dub.*
- Celebratio Missarum jam facta compensari nequit cum alia impostero facienda, ut in *Nullius Sublacen. 7. Julii ad II. dub. pag. 110.*
- Vid. sub verb. *Missæ Conventualis.*
- Celebrationem nonnullarum Missarum a Testatoribus præscriptam, inadimpletam fuisse a Cappellanis resolvit Sacra Congregatio in *Nullius Ferenilli Visitationis Sacrorum Luminum 28. Aprilis ad I. dub. pag. 78.*

- Propter quod abfolutionem quoad præteritum ablegavit R. P. D. Secretario cum Sanctissimo, quoad futurum impleri iussit *ibid.* ad II. *Dub.*
- Reliqua vid. sub verb. *Legata pia.*
- Celebranti pro Populo Missam deberi eleemosyna ex massa communi alias resolutum, & confirmatum, iterumque adprobatum fuit in *eadem Fanen.* 20. *Januarii ad I. Dub.* pag. 1.
- Centenariam allegantem, cujus vi ab implemento onerum esse exemptum ipse contendebatur, illa non obstante, utpote pluries interrupta, teneri in futurum ad onera adimplenda resolutum fuit in *Burgi S. Domini B. n. ficii* 17. *Martii pag. 46.*, & *seqq.*
- Vid. *B. officii Rector.*
- Chori Camerinenfis Præfæcti munus exercendi jus Sacra Congregatio concessit Archidiacono, absente Episcopo, ut in *Camerinen. Præminentiarum* 7. *Aprilis ad III. Dub.* pag. 55., & *seqq.*
- Reliqua vid. sub verb. *Functiones.*
- Chori Cathedralis Camerinenfis statio assignari debet novo Præbendato a duobus Canonicis a Capitulo deligendis, nisi alii Exequutores designati fuerint in litteris Apostolicis, resolutum Sacra Congregatio in *Camerinen. Præminentiarum* 7. *Aprilis ad V. Dub.* pag. 33., & *seqq.*
- Chori servitium ob diminutionem reddituum noluit Sacra Congregatio dispensatum certis anni temporibus, uti postulabatur, sed onus Missarum tantum redegit ad duas singulis hebdomadis celebrandas, ut in *Collen.* 10. *Februarii pag. 13.*
- Reductum fuit ad dies festos de præcepto, & per totam quadragesimam in *Feretrana. Revisionis Onerum* 16. *Junii pag. 97.*
- Choro interessendi per aliquos Anni Menses, vel hora Canonicis pro lucrands redditibus massæ *Grosse* nuncupat. in decernendis hiis consuetudinibus Canonicorum Attensium, nihil resolvens Sacra Congregatio, injunxit Episcopo, ut audito utroque Capitulo, meliorem redderet informationem, ut patet in *Assen. Visitationis Sacrorum Luminum* 10. *Februarii pag. 20.*, & *seqq.*
- Idemque utrum novi qui excipiuntur Canonici anno primo residentiali, quem Novitium appellant, participare nec ne debeant de redditibus Massæ *Grosse*, seu isti accrescant cæteris Canonicis *ibid.*
- Choro vacandi indultum fuit Canonico ob servitium laudabiliter Ecclesie præstitum per quadraginta annos *Avenionen. Jubilationis* 17. *Martii pag. 33.*
- Choro vacandi indultum per tres menses alias Canonicis Cathedralis Cavatatis Castellane concessum, revocavit Sacra Congregatio, eisque alternativam concessit ob numerum ab octo ad sexdecim auctum, ut in *Civitatibus Castellane* 12. *Maii pag. 33.*
- Claves Librorum, seu Codicum Parochialium currentium esse debere penes Curatos, seu Vicarios Curatos, non autem Capitulum resolutum Sacra Congregatio in *Carpentorassen.* 15. *Septembris ad III. Duo.* pag. 149. & *plur. seqq.*
- Clerico facicida dispensatio ab Irregularitate denegata fuit in *Senogallien. Dispensationis ab Irregularitate* 16. *Junii pag. 93.*
- Clerico promovendo ad Ordines tum minores, tum majores, qui casuale homicidium commisit citra ullam culpam, abfolutionis gratiam ab incurta irregularitate ad cautelam indulfit Sacra Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, ut in *Andrien. Dispensationis ab Irregularitate* 20. *Januarii pag. 4.* & *seqq.*
- Clericum annorum viginti, & in minoribus constitutum delectum ab Ordinario in Concurtu ad Ecclesiam Parochialem, rejecit Sacra Congregatio in *Tiburtina Parochialis* 24. *Novembris pag. 157.*
- Codices Parochiales currentes, seu Libri retinere debere a Curatis, seu Vicariis Curatis privative quoad Capitulum censuit Sacra Congregatio in *Carpentorassen.* 15. *Septembris ad III. Dub.* pag. 149., & *plur. seqq.*
- Propter quod abnegavit eorumdem custodiam sub duplici Clavi, quarum unam retinere penes se contendebat Capitulum *ibid.* ad 2. *part. dist. III. Dub.*
- Collatio Baptismi. Vid. *Baptismi collatio.*
- Collatio Parochialis Ecclesie fieri debet favore illius, quem magis idoneum, licet infscientia minus eruditum, compererit Episcopus ex resolutis in *Perusina Parochialis.* 28. *Julii pag. 126.*, & *seqq.*
- Collationem Parochie factam ab Ordinario favore illius, qui digniorem in Concurtu reputatus fuit, respuit Sacra Congregatio in *Asculana Parochialis* 22. *Decembris pag. 179.*
- Sicuti etiam supplicationem alterius, qui eandem Parochiam impetrare contendebat esse nullitatem Concurtus *ibid.*
- Propter quod novum Concursum indicendum fore præscripsit *ibid.*
- Collegiatæ Archidiacono celebranti Missam pro Populo deberi eleemosyna ex massa communi alias resolutum, & confirmatum, iterumque adprobatum fuit in *eadem Fanen.* 20. *Januarii ad I. Dub.* pag. 1.
- Coloni campestres, ut Sacrum commune audiant, censuit Sacra Congregatio, juxta votum Episcopi, transferri posse Missas quotidianas celebrandas in diversis Oratoriis longe distitis, & imperviis, ad aliud, nec non ad aliquam Civitatis Ecclesiam pro diebus festis tantum arbitrio ipsius Ordinarii, ut in *Lunen. Sarzanen.*, & *Parmen.* 10. *Februarii pag. 17.*, & *seqq.*

- Comitia Capitularia pro Negotiis ad idem Capitulum pertinentibus auctoritatem convocandi residere penes Archidiaconum private quoad Episcopum, ejusque Vicarium Generalem resolvit Sacra Congregatio in *Camerinor. Præminentiarum* 7. Aprilis ad VII. Dub. pag. 55., & seqq.
- Ineundi verò sagulis secundis Dominicis cujuslibet mensis absque ulla prævia intimatione denegavit *ibid.* ad VIII. Dub.
- Similiter, ut denunciarentur Archidiacono negotia in Capitulo peragenda actu, quò instant Canonici pro illius convocatione *ibid.* ad IX. Dub.
- Compensatio Missarum jam celebratarum cum aliis in perpetuum celebrandis fieri negavit Sacra Congregatio in *Nullitas Sublacen.* 7. Julii ad II. Dub. pag. 110.
- Concursum novum indicendum fore præscripsit Sacra Congregatio ad obtinendam Parochiam, reiiciendo & collationem factam ab Ordinario favore illius, qui dignitatem in Concursum reputatus fuerit, nec non supplicationem alterius, qui impetrare eandem contendebat ob nullitatem Concursum in *Asculana Parochialis* 22. Decembris pag. 79.
- Conditionata reiteratio Baptismi incurrere fecit Parochum in irregularitate, a qua dispensationem eidem indulgere censuit Sacra Congregatio facto verbo cum Sanctissimo, ut in *Firmana Dispensationis ab Irregularitate* 28. Aprilis ad I. Dub. pag. 78.
- Confirmandi causa unionem Bonorum, quæ Testator reliquerat cum onere celebrandi certum Missarum numerum denegando beneplacitum Apostolicum, mandavit quod scriberetur Episcopo, ut procederet ad taxationem congruæ mercedis favore eorum, qui bona piis operibus administrabant, ut in *Camerinen. Beneplacitum Apostolicum* 22. Decembris pag. 179.
- Confraternitas, quamvis in una Ecclesia erecta, attamen propter incommoda ad aliam transferri potest, iis vero cum pactis, & conditionibus ab Episcopo adprobandis, uti censuit, & confirmavit Sacra Congregatio in eadem *Surina Translationis* 20. Januarii pag. 3., & seqq.
- Idemque cum omnibus ejus redditibus, salvis tamen dispositionibus Testatorum *ibid.*
- Nec teneri Sociales dictæ Confraternitatis implere obligationes manutenendi Ecclesiam quam deserunt, eandemque providere de Sacris suppellectilibus *ibid.*
- Consanguineis duabus Testatoris alimentis, jussu ejusdem præstanda per Archiconfraternitatem Sanctissimæ Annuntiatæ Urbis assignanda fore in mensibus scilicet quinque inter eas æqualiter distribuendis a die cessati assignamenti alteri Sorori, quæ interea nupserat, facti, præcepit Sacra Congregatio in *Romana Alimentorum* 12. Martii pag. 84., & seqq.
- Consuetudinibus Canonice tam Cathedralis, quam Collegialis Astensis in decernendis, utrum sustineri debere, ita ut possint illi Choro interesse per aliquos annos menses, & horas, & sic lucrare redditus massæ *Grossæ* nuncupat., nihil resolvens Sacra Congregatio, injunxit Episcopo, ut audito utroque Capitulo, meliorem redderet informationem, sicuti patet in *Astensis Visitationis Sacrorum Luminum* 10. Februarii pag. 20., & seqq.
- Nec non utrum novi, qui excipiuntur Canonici primo anno residentiali participare, nec ne debeant de redditibus Massæ *Grossæ* nuncupat., seu isti cæteris Canonice accrescant *ibid.*
- Conventualis Missa. Vid. *Missæ Conventualis*.
- Conventum novum aperiendum esse cum obligatione manutenendi quinque Fratres, juxta Fundatoris vota, facto verbo cum Sanctissimo, censuit Sacra Congregatio in *Anagnina* 28. Julii pag. 120., & seqq.
- Præfinito tamen tempore unius anni ad conditiones præscriptas in Instrumento donationis implendas *ibid.*
- Convocandi Capitulum Cathedralis Camerinenensis auctoritatem penes Archidiaconum residere censuit Sacra Congregatio private quoad Episcopum, ejusque Vicarium Generalem, ut in *Camerinen. Præminentiarum* 7. Aprilis ad VII. Dub. pag. 55., & seqq.
- Singulis Dominicis cujuslibet mensis convocandi absque prævia ulla intimatione, resolutionem improbavit *ibid.* ad VIII. Dubium.
- Idemque denegavit, ut denunciarentur Archidiacono negotia in Capitulo peragenda actu, quo instant Canonici pro illius convocatione *ibid.* ad IX. Dub.
- Corpora Parochianorum Capituli, ad idem Capitulum pertinere statuit Sacra Congregatio in *Maceraten. Juris funerandi* 7. Julii ad I. Dub. pag. 109.
- Sicuti etiam omnia emolumenta, quæ ex illorum funeribus retrahuntur *ibid.* ad II. Dub.
- Curatis, seu Vicariis Curatis deberi stipendium in pecunia numerata resolvit Sacra Congregatio in *Carpenteracen.* 15. Septembris ad I. Dubium pag. 149., & pluribus seqq.
- Curatus Cappellanus. Vid. *Cappellanus Curatus*.
- Custodiam Librorum, seu Codicum Parochialium currentium spectare ad Curatos, vel Vicarios Curatos private quoad Capitulum censuit Sacra Congregatio in *Carpenteracen.* 15. Septembris ad III. Dub. pag.

pag. 149. , & plur. seqq.

Adeout abnegavit eam sub duplici clavi, quarum unam retinere penes se contendebat Capitulum *ibid.* ad 2. partem dist. III. *Dubium.*

D

- D**ebitor dotis. Vid. *Dotis debitor.*
- Decedens si elegerit Sepulturam sibi in Ecclesia jus sepeliendi habente, tunc non debetur Parochio integrum funeris emolumentum, ex resolutis in *Ravennaten. Funerum* 15. *Septembris* pag. 148.
- Decimæ in natura, sive in specie solvendæ veniunt, non obstantæ earum locatione facta cum Parochianis, qui illas in pecunias solvere promiserunt ob inadimplementum pacti resolutivi in eadem adjecti censuit Sacra Congregatio in *Constantien. Decimarum* 28. *Julii* ad 1. *Dub.* pag. 119.
- Eosdemque coegit ad præstandas Decimas in specie, sive in natura a die motæ litis pro summa liquidanda *ibid.* ad II. *Dub.*
- Declaratio Testamenti ; Vid. *Testamentum.*
- Decretum in vísitatione Sacrorum Liminum latum, quo edictum fuit ut Conventuales Missas imposterum pro Benefactoribus applicentur, & quoad præteritum Canonici impetrarent absolutionem a Sancta Sede, approbavit Sacra Congregatio in *Nullius Ferenullis Vísitationis Sacrorum Liminum* 23. *Aprilis* ad I. *dub.* pag. 78.
- E' contra abrogavit aliud simillimum, quia Ecclesia nec Patriarchalis, nec Cathedralis est, ut in *Nullius Sublacen. 7. Julii* ad I. *Dub.* pag. 110.
- Vid. sub verb. *Missæ Conventualis.*
- Defectus ætatis causa fuit, ut Sacra Congregatio reiiceret Clericum Minoritam viginti annorum ad assequendam Parochialem Ecclesiam, quamvis præelectum ab Antistite in concursu, ut in *Tiburтина Parochialis* 24. *Novembris* pag. 157.
- Defectus ætatis reddit invalidam Professionem ex resolutis in *Pisauren. Nullitatis Professionis* 16. *Junii* pag. 100, & seqq., & confirmatis in eadem 7. *Julii* pag. 111.
- Deficientia. Vid. *Diminutio.*
- Defunctorum corpora, qui sunt de Parochia Capituli ad idem Capitulum pertinent, ut in *Alaceraten. Juris funerandi* 7. *Julii* ad I. *dub.* pag. 109.
- Sicut etiam emolumenta, quæ ex hisce funeribus retrahuntur *ibid.* ad II. *dub.*
- Demolitioni, seu dejectioni Ecclesiæ ruinam minantis, nec non translationi cæmentorum, oneris Missarum, & utensilium locum esse præscripsit Sacra Congregatio, facta tamen per Moniales obligatione in for-

- ma juris valida celebrandi facere Missas in earum Ecclesia, atque implendi cuncta, quæ Testator præsumiverat, servata tamen cautela a Sacro Concilio præscripta in demolitione, & aliis solitis, ac consuetis, in *Lucana Demolitionis, & Translationis Onerum Missarum* 18. *Augusti* pag. 135.
- Deputatio Oeconomi delecti pro administratione Beneficii causa infirmitatis Beneficiarii, an sustineatur, seu potius sit locus ejus remotiori, remisit Sacra Congregatio cognitionem Eminentissimo Archiepiscopo in *Mediolanen.* 18. *Augusti* ad V. *dubium* pag. 136.
- Reliqua vid. *Beneficiarius.*
- Deputationem petitam Cappellani Curati, qui præsidio esset Parochio in lingua latina minus perito, remisit Sacra Congregatio Antistiti, ut suo uteretur jure ad formam Concilii Tridentini, ut in *Firmana Dispensationis ab Irregularitate* 28. *Aprilis* ad I. *dub.* pag. 78.
- Diebus festivis de præcepto tantum Sacra Congregatio redegit Missas Conventuales ob tenuitatem fructuum, *Faventina Missæ Conventualis* 10. *Februarii* pag. 14., & seqq.
- Difficultates Oratoriorum Campesrium. Vid. *Oratoriorum Campesrium difficultates.*
- Diminutio fructuum Centus, & deficientia unius Prædii, seu fundi Cappellano assignati pro celebratione Missarum, & inventu Choralis causæ sufficientes fuerunt reductioni tum pro Missis descriptis in Laterculo Ecclesiæ, tum servitio Chori ad dies festos de præcepto, & per totam quadragesimam, *Feretrana Reductionis Onerum* 16. *Junii* pag. 97.
- Diminutionem quantitatis Missarum ab hærede, vigore facultatis a Testatore impetitæ, factam admisit Sacra Congregatio, declarando unam tantum Missam lectam quotidie esse celebrandam pro Anima Fundatoris, præter Missam Conventualem in *Anagnina* 15. *Septembris* pag. 148.
- Diminutis redditibus, redacta fuere Missarum onera, integris remanentibus cæteris aliis a Fundatore præscriptis, ut in *Campostellana Reductionis* 10. *Februarii* pag. 13.
- Similiter, & ob eandem causam redactum fuit onus Missarum ad duas singulis hebdomadis celebrandas, non autem servitium Chori, uti postulabatur, sicuti in *Collen.* 10. *Februarii* pag. 13.
- Quoad Missas Conventuales, redegit ad dies festos de præcepto tantum, ut in *Faventina Missæ Conventualis* 10. *Februarii* pag. 14., & seqq.
- Diruendam esse Ecclesiam ruinam minantem, nec non transferenda cæmentia, onus Missarum, & utensilia, facta per Moniales obligatione in juris valida celebrandi facere Missas in earum Ecclesia, atque implendi cuncta, quæ præsumerat Testator, servata

- zamen cautela a Sacro Concilio præscripta in demolitione, aliisque solitis, & consuetis, resoluit Sacra Congregatio in *Lucana Demolitionis, ac Translationis oneris Missarum* 18. Augusti pag. 135.
- Dismembrationi Archipresbyteratus pro novo Canonico Curato constituendo locum non esse resoluit Sacra Congregatio in *Terracinen.*, & *Privernen.* 17. Martii ad I. *Dubium* pag. 41., & seqq.
- Ideo injunxit Episcopo, ut provideret ad formam Tridentinæ Synodi *Seff. 21. cap. 4. de reform. ibid. ad II. dub.*
- Dismembrationi Cappellanæ unius efformandi causa duas locum esse censuit Sacra Congregatio, quæ insuper modum adjecit, nempe cum reservatione jurium favore Capituli juxta foundationis legem, & cum assignatione certæ summx favore utriusque Cappellani, prævio tamen examine ab Episcopo adprobando, atque ut Cappellani coadjuvent Parochum in iis, quæ curam Animarum respiciunt, onere itidem injuncto celebrandi Missam per Turnum in Aurora, & in meridie, firmis remanentibus aliis oneribus apud Canonicos, & notanter Missæ Conventualis cum applicatione pro Benefactoribus, facta verbo cum Sanctissimo, & ad mentem, uti jam resoluit in *Massanen. 2. Decembris superioris anni*, quam nunc explicavit in *eadem* 15. Septembris pag. 147.
- Dispensari a residentia nequit Canonicus ex resolutis in *Nebien. 28. Julii ad I. Dubium* pag. 122., & plur. seqq.
- Taliter ut, eo non residente, locus sit privationi medietatis fructuum a die præcepti Episcopi *ibid. ad II. dub.*
- Dispensatio a loco residentia per annum concessa fuit Beneficiario ratione infirmitatis in *Mediolanen. Beneficii* 18. Augusti ad II. *dub.* pag. 136.
- Reliqua vid. *Beneficiatus.*
- Dispensatio a servitio Chori certis anni temporibus ob diminutionem reddituum denegata fuit in *Collen. 10. Februarii* pag. 13.
- Concessa vero in *Feretrana Reductionis Onerum* 16. Junii pag. 97.
- Dispensatio super defectu ætatis ad assequendam Parochialem Ecclesiam denegata fuit Clerico viginti annorum, & minoris, quamvis ab Ordinario in Concursu prælecto, *Libertina Parochialis* 24. Novembris pag. 157.
- Dispensationem ab Irregularitate denegavit Sacra Congregatio fratricidæ Præsbytero in *Senogallien. Dispensationis ab Irregularitate* 16. Junii pag. 93.
- Dispensationem ab irregularitate incurta ob reiteratum a Parocho sub conditione Baptismum Infanti, cui præ timore mortis lustrales aquas Obstetrix jam præbuerat, indulgere eidem Parocho facta verbo cum
- Sanctissimo, censuit Sacra Congregatio in *Firmana Dispensationis ab Irregularitate* 28. Aprilis ad I. *dub. pag. 78.*
- Demandavit autem Episcopo, ut suo meretur Jure super deputacione Cappellani Curati, qui præsidio esset dicto Parocho in lingua latina minus Perito *ibid. ad II. dubium.*
- Dispensationem ab irregularitate incurta, propter homicidium casuale à Clerico citra ullam culpam patratum, ad cautelam indulsit Sacra Congregatio, ut in *Andren. Dispensationis ab Irregularitate* 20. Januarii pag. 4., & seqq.
- Distantiæ Oratoriorum Campestrium. Vid. *Oratoriorum Campestrium distantie.*
- Distributiones deberi Archidiacono Cathedralis Camerinentis pro tempore ejus absentia, juxta decretum R. P. D. Secretarii, respondit Sacra Congregatio in *Camerunen. Præeminentiarum* 7. Aprilis ad X. *dub. pag. 55.*, & seqq.
- Diversitates Oratoriorum Campestrium Vid. *Oratoriorum Campestrium diversitates.*
- Domus inter Concanonicos divitæ Beneplacitum Apostolicum pro venditione, & pro investimento pretii unius ratæ tribuendum esse censuit Sacra Congregatio in *Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici* 18. Augusti pag. 136.
- Dotem Puellis quotannis assignandam, ut eam tutiorem redderet Sacra Congregatio mandavit Ordinario, quod referet super annuo reddito Prædii in hanc causam legati, ducto calculo per decennium, nec non si adesse possit periculum futuræ imminutionis fundi, vel fructuum, & qui dotem ex illius fructibus tradere tenebatur, vellet illud in Emphyteusim, seu alio titulo recipere, in *Auximana Subsidiarum dotalium* 28. Aprilis pag. 77.
- Reproposita autem causa, & superventa relatione Episcopi, censuit Sacra Congregatio retrocedi posse Prædium favore Possessoris hereditatis, facta obligatione dotis quotannis eisdem Puellis in numerata pecunia conferendi, juxta Fundatoris legem, & prædictum Prædium retrocessum stare debere pro fundo dotali, ut in *eadem* 24. Novembris pag. 159., & plur. seqq.
- Dotis debitor subici nequit legato pio bona, quæ jam ipse habet obnoxia vinculo hypothecæ pro dote, definitum fuit in *Nullius Lepignani Lgatorum* 7. Julii ad I. *dub. pag. 109.*
- Reliqua vid. *Bona.*

E

Ecclesia Cathedralis. Vid. *Cathedralis Ecclesia.*

Ecclesia Parochialis. Vid. *Parochialis Ecclesia.*

- Ecclesiæ bona.** Vid. *Bona Ecclesiæ.*
- Ecclesiæ ruinam minantis demolitio.** Vid. *Demolitio Ecclesiæ.*
- Ecclesiæ servitium a Canonico laudabiliter præstitum per quadraginta annos promeruit ei jubilacionem in *Avenionen. Jubilationis* 17. *Maii* pag. 33.**
- Ecclesiis in Cathedralibus, vel Patriarchalibus tantum applicari debent Missæ Conventuales pro Benefactoribus diebus Dominicis, & Festivis, ut in *Nullius Sublacen.* 7. *Julii* pag. 110.**
Vid. *Missæ Conventuales.*
- Edificiorum affixionem novam ad alliciendos alios Oblatores pro altitudo Bonorum Ecclesiæ jussit Sacra Congregatio in *Auximana. Emphyteusis* 12. *Maii* pag. 84.**
- Electio novi Parochi, seu Rectoris fieri debet ab Episcopo favore illius ex concurrentibus, quem magis idoneum, licet in scientia minus eruditum, comperit, uti censuit Sacra Congregatio in *Perusina Parochialis* 28. *Julii* pag. 126., & *seqq.***
- Eleemosyna ex massa communi deberi celebranti Missam pro Populo resolvit, confirmavit, iterumque adprobavit Sacra Congregatio in *eadem Fanen.* 20. *Januarii* ad I. *Dub.* pag. 1.**
- Eleemosyna Missæ quotidianæ redacta est ad rationem manualis, computatis etiam fructibus excedentibus expensis utensilium in *Vigevanen. Reductionis Missarum* 28. *Aprilis* pag. 77.**
- Eleemosyna Missarum ex fructibus locorum Montium percipienda, redacta fuit ad rationem taxæ perpetuæ in *Romana Reductionis Oneris Missarum* 12. *Maii* pag. 86., & *seqq.***
- Eleemosynæ assignatio pro celebratione Missæ Conventualis deberi tum Archidiacono, tum Canonicis hebdomadæ triis, recedendo a decisis, statuit, & confirmavit Sac. Congreg. in *eadem Fanen.* 20. *Januarii* ad II. *Dub.* pag. 1.**
Ideoque esse subducenda ex massa communi *ibid.*
- Detractam vero a dicta Massa reintegrandam non esse a die mortæ litis *ibid.***
- Eleemosynam Missæ Conventualis cum stipendio tarenorum trium, & granorum decem, præter legem a Testatore præscriptam, in duobus tarenis & decem granis solutam, ratam non habuit Sacra Congregatio in *Melevisana* 16. *Junii* pag. 97.**
Recedendo dein a Decisis, impetrandam esse abolutionem a Sanctissimo quoad præteritum, censuit in *eadem* 22. *Decembris* ad I. *Dub.* pag. 180., & *seqq.*
- Quo verò ad Missas impofterum celebrandas præscripsit, stipendium assignandum esse in tarenis tribus, & granis decem, juxta votum Episcopi *ibid.* ad II. *Dub.***
- Eligens Sepulturam sibi in aliqua Ecclesia jus sepeliendi habente, non deberi integrum**
- funerale Parocho resolvit in *Ravennaten. Funerum* 15. *Septembris* pag. 143.**
- Emolumenta retrahenda ex funeribus eorum, qui sunt de Parochia Capituli, eidem Capitulo adicienda esse mandavit Sacra Congregatio in *Maceraten. Juris funerandi* 7. *Julii* ad I. *Dub.* pag. 109.**
Sicuti etiam Cadavera illorum eidem spectare *ibid.* ad II. *Dub.*
- Integra non debentur Parocho, si decedens Sepulturam sibi elegerit in aliqua Ecclesia jus sepeliendi habente. ut in *Ravennaten. Funerum* 15. *Septembris* pag. 143.**
- Emphyteusim bonorum Ecclesiæ suspendendo, mandavit Sacra Congregatio nova affigenda esse Edicta ob supervenientiam novarum oblationum in *Auximana Emphyteusis* 12. *Maii* pag. 84.**
- Episcopo Camerinese vel absente, vel impedito, functiones ad ipsum pertinentes expleri debent ab Archidiacono privativè quoad Præpositum, aliosque Canonicos, censuit Sacra Congregatio in *Camerinen. Præeminentiarum* 7. *Aprilis* ad I. *Dub.* pag. 55., & *seqq.***
Sicuti etiam munus Præfecti in Choro, *ibid.* ad III. *Dub.*
- Propter quod Resolutiones captas a Capitulo abrogavit *ibid.* ad IV. *Dub.***
- Episcopo indultum est ex duobus ad Parochialem Ecclesiam vacantem concurrentibus seligere quem magis idoneum comperit, licet in scientia minus eruditum, ut in *Perusina Parochialis* 28. *Julii* pag. 126., & *sequen.***
- Episcopus Camerinenfis, vel ejusdem Vicarius Generalis nequeunt convocare Capitulum pro negotiis ad eundem Capitulum pertinentibus, quia talem auctoritatem privative quoad eosdem residere penes Archidiaconum resolvit Sacra Congregatio in *Camerinen. Præeminentiarum* 7. *Aprilis* ad VII. *Dub.* pag. 55., & *seqq.***
- Erectioni novi Conventus cum obligatione manutenendi quinque Fratres juxta Fundatoris vota, facto verbo cum Sanctissimo, locum esse censuit Sacra Congregatio in *Anagnina* 18. *Julii* pag. 120., & *seqq.***
Præfinito tamen tempore unius anni ad conditiones præscriptas in Instrumento donationis implenda *ibid.*
- Excidium minantis Ecclesiæ demolitio, & respectivè translationi cæmetozum, oneris Missarum, & utensilium locum esse censuit Sacra Congregatio, facta per Moniales obligatione in juris valida celebrandi facere Missas in earum Ecclesia, atque implendi, quæ Testator præfiverat, servata tamen cautela a Sacro Concilio præscripta in demolitio, ac aliis solitis, & consuetis in *Lucana Demolitionis, & Translationis oneris Missarum* 18. *Augusti* pag. 135.**
- Exequi mandavit Sacra Congregatio Missarum**

reductionem ab haerede factam ob facultatem a Testatore eidem impartitam, nempe unam tantum Missam lectam quotidie celebrandam esse pro Anima Fundatoris, praeter Missam Conventualem in *Anagnina* 15. *Septembris* pag. 148.

Executrix, aliaque functiones ecclesiasticae super Cadaveribus eorum, qui sunt de Parochia Capituli explendae veniunt ab eodem Capitulo, ut in *Maceraten. Juris fuerandi* 7. *Julii ad I. Dub.* pag. 109.

Sicuti eidem pertinent omnia emolumenta funeralia *ibid.* ad II. *dub.*

Expensas litis subduci nequeunt ex bonis jam pro dote hypothecatis, ex resolutis in *Nulius Leprignani Legatorum* 7. *Julii ad II. Dub.* pag. 109.

Explicatio Catechismi. Vid. *Catechesis explicatio*.

F

Facultas visita. Vid. *Visita facultas*.

Facultatem redimendi cujusdam Canonis ratam, antequam Sacra Congregatio concederet, vel denegaret, rescripsit, ut exhiberentur Instrumenta tum transactionis, tum investiturae, ut in *Ferraten.* 19. *Septembris* pag. 148.

Facultatis praeservationis vigore diminuendi, vel augendi Legata pia, alter ex Testatoribus declarationem diminutionis eorundem fecerit, cum contendebatur istam esse executandam, mandavit Sacra Congregatio, antequam super porrectis precibus aliquid decerneret, ut exhiberentur Testamenta utriusque Testatoris, nec non firmaretur status utriusque haereditatis, deque redditibus, & oneribus doceretur, ut in *Anagnina* 10. *Februarii* pag. 27., & *seqq.*

Facultatis virtute a Testatore haeredi impartitae augendi, vel diminuendi Missarum quantitatem, Sacra Congregatio mandavit executi illarum reductionem ab haerede factam, nempe unam tantum Missam lectam quotidie celebrandam esse pro Anima Fundatoris, praeter Missam Conventualem in *Anagnina* 15. *Septembris* pag. 148.

Festis diebus de praeepto tantum redegit Sacra Congregatio Missas Conventuales ob tenuitatem fructuum, in *Faventina Missae Conventualis* 10. *Februarii* pag. 14., & *seqq.*

Et per totam quadragesimam redegit Chori servitium non solum ob eandem causam, sed etiam per deficientiam Praedii, seu fundi, ut in *Feretrana Reductionis Onerum* 16. *Junii* pag. 97.

Formam Constitutionum S. M. Benedicti XIV. ob non servatam in efformando Processu super nullitate Professionis, contentente illius Defensore omnia acta desuper

gesta invalida fore, Sacra Congregatio hujus cognitionem remisit R. P. D. Secretario cum Sanctissimo, juxta mentem in *Pejauren. Nullitatis Professionis* 12. *Maii* pag. 84.

Fratres Reformati Terrae Jovis, occasione associationis funerum, an teneantur nec ne accedere ad Ecclesiam Parochialem, nil Sacra Congregatio resolvit, sed praescripsit tantum, quod inquiratur an praedicti Religiosi intendant accedere duo, aut tres ad Ecclesiam Parochialem, vel Domum Defuncti, itaut alii in alio loco expectari possint funus, & deinde se jungere = ut in *Constantien. Decimarum* 28. *Julii* pag. 120.

Fratricidae Praesbytero dispensationem ab Irregularitate denegavit Sacra Congregatio in *Senogallien. Dispensationis ab Irregularitate* 16. *Junii* pag. 98.

Fructibus, seu redditibus fundi, vel praedii in causam dotis legati, ut ipsam dotem quotannis Puellis distribuendam tutiorem redderet, Sacra Congregatio mandavit Ordinatio, quod de eis referat ducto calculo per decennium, nec non si adest periculum futurae imminutionis, vel de eis, vel de ipsomet Praedio, & denique si qui dotem ex illius fructibus tradere tenebatur, vellet illud in emphyteusim, seu alio titulo recipere in *Auximana subsidiorum dotalium* 28. *Aprilis* pag. 77.

Fructus superextantes Hospitali applicari posse Seminario indigenti pro aliqua rata censuit Sacra Congregatio in *Eugubina Applicationis* 15. *Septembris* pag. 148.

Fructuum Censu ob diminutionem, & per deficientiam unius fundi pro Missarum celebratione, & Chori interventu assignati, censuit Sacra Congregatio locum esse reductioni tum Missarum quae descriptae erant in Laterculo Ecclesiae, tum servitii Chori ad dies festos de praeepto, & per totam quadragesimam, ut in *Feretrana Reductionis onerum* 16. *Junii* pag. 97.

Fructuum medietate privari debet Canonicus, qui non residet, a die praeepti Episcopi, ex resolutis in *Nebien.* 28. *Julii* pag. 122., & *plur. seqq.*

Fructuum ob tenuitatem Sacra Congregatio redegit Missas Conventuales ad dies festos de praeepto tantum, ut in *Faventina Missae Conventualis* 10. *Februarii* pag. 14., & *seqq.*

Sicuti etiam pro tempore antea facta, facto verbo cum Sanctissimo redegit in *Ilcien. Missae Conventualis* 23. *Julii* pag. 120.

Quo vero ad futura tempora injunxit Episcopo, ut referat de annua quantitate uniuscujusque praebendae, earum oneribus, & illarum qualitate *ibid.*

Nec non ob eandem causam prorogavit gratiam reductionis Missarum ad aliud Triennium in *Spoletanz* 24. *Novembris* pag. 157.

Functiones, quæ spectant ad Episcopum Camerinensem, & impedito, vel absente, expleri posse per Archidiaconum privative quoad Præpositum, aliosque Canonicos resolvit Sacra Congregatio in *Camerinen. Præminentiarum* 7. Aprilis ad I. dub. pag. 55. & seqq.

Quæ assignatæ sunt in Tabellis Capitularibus, & a Capitularibus explendæ, quæque non advertebantur Caeremoniali Episcoporum confirmavit *ibid.* ad II. Dub.

Sicuti eidem Archidiacono competere jus exercendi munus Præfæcti in Choro, absente Episcopo, concessit *ibid.* ad III. dub.

Propter quod, abrogavit resolutiones captae a Capitulo *ibid.* ad IV. Dub.

In thurificatione faciendâ Capitularibus hunc ordinem servandum esse voluit, nempe prius Vicario Generali, deinde Archidiacono; vel Præposito, ac denique aliis in eadem parte Capituli stantibus *ibid.* ad V. Dubium.

Jus autem admittendi novos Canonicos ad possessionem Canonicatum spectare censuit Capitulo, juxta formam hactenus observatam, atque per duos Canonicos a Capitulo deligendos Stallum in Choro eidem assignandum esse ordinavit, nisi in Litteris Apostolicis alii Exequutores dati fuerint *ibid.* ad VI. Dub.

Pro negociis ad Capitulum pertinentibus auctoritatem illud convocandi residere penes Archidiaconum privative ad Episcopum, ejusque Vicarium Generalem resolvit *ibid.* ad VII. Dub.

Resolutionem tamen convocandi Capitulum singulis Secundis Dominicis cujuslibet mensis absque ulla prævia intimatione improbavit *ibid.* ad VIII. Dub.

Itidemque denegavit, ut denunciarentur Archidiacono negocia in Capitulo peragenda actû, quò instant Canonicis pro illius convocazione *ibid.* ad IX. Dub.

Archidiacono absenti distributiones deberi juxta decretum R. P. D. Secretarii *ibid.* ad X. Dub.

Functionibus Ecclesiasticis, & cultui Divino, ut decentius consuli posset, petita unio Cappellaniæ, & translatio ad Ecclesiam Cathedralè jam denegata, confirmata fuit in *eadem Massanen.* 15. Septembris pag. 147.

In quâ confirmatione insuper adjecit modum *ibid.*

Vid. *Dismembratio Cappellaniæ.*

Fundi, sive Prædii pro dotibus distribuendis assignati fructibus, seu redditibus, ut eas tutiores redderet, mandavit Sacra Congregatio Ordinario, quod de eis annuis referret, ducto calculo per decennium, nec non si adesset periculum futuræ imminutionis, & qui dotem ex illius fructibus tradere tenebatur, veller illud in Emphyteusim, seu alio titulo recipere, *Auximana subsidiorum De-*

talium 28. Aprilis pag. 77.

Reproposita autem Causa, & superven-
ta relatione Episcopi, censuit Sacra Congregatio retrocedi posse Prædium favore possessoris hæreditatis, facta obligatione dotes quotannis eidem Puellis in pecunia numerata conferendi, juxta Testatoris legem, & prædictum prædium retrocellum stare debere profundo dotali, ut in *eadem* 24. Novembris pag. 159. & plur. seqq.

Fundi unius ob deficientiam, & fructuum Census ob diminutionem pro celebratione Missarum assignari Cappellano, censuit Sacra Congregatio locum esse reductioni tum Missarum, quæ descriptæ erant in Laterculo Ecclesiæ, tum Servitii Chori ad dies festos de præcepto, & per totam quadragesimam in *Feretrana Reductionis onerum* 16. Junii pag. 97.

Funebres functiones, & exequiæ super Cadaveribus eorum, qui sunt de Parochia Capituli, explendæ veniunt ab eodem Capitulo, ut in *Maceraten. Juris funerandi* 7. Julii ad I. Dub. pag. 109.

Sicuti eidem pertinent omnia emolumenta funeralia *ibid.* ad II. Dub.

Funerale non deberi integrum Parocho, si decedens Sepulturam elegerit in Ecclesia aliqua jus sepeliendi habente, resolvit in *Ravennaten. Fuverum* 15. Septembris pag. 143.

Funeraria jus Cadavera eorum qui sunt de Parochia Capituli eidem Capitulo pertinere statutum fuit in *Maceraten. Juris funerandi* 7. Julii ad I. Dub. pag. 106.

Sicuti etiam emolumenta, quæ ex funeribus prædictis retrahuntur *ibid.* ad II. Dubium.

G

Gratia abessendi a Choro ob servitium præstitum Ecclesiæ per quadraginta annos. Canonico concessa fuit in *Avemonen. Jubilationis* 17. Martii pag. 33.

A loco residentiae ob infirmitatem indulta fuit Beneficiato, postea, quam decrevit Sacra Congregatio ipse teneri ad residentiam in *Mediolanen. Benefici* 18. Augusti ad II. Dub. pag. 136.

Vid. *Beneficiatus.*

Gratiam absolutionis ab incurta irregularitate propter homicidium casuale a Clerico patratum citra ullam culpam, ad cautelam indulsit Sacra Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, ut in *Andrien. Dispensationis ab Irregularitate* 20. Januarii pag. 4. & seqq.

Gratiam perpetuam reductionis Missarum ob tenuitatem reddituum Canonicalium denegando, temporaneam tantum indulsit Sacra Congregatio, eam prorogando ad aliquid trienn-

criennium, ut in *Spoletana* 24. *Novembris* pag. 157.

H

Habitatores, & incolæ Locorum Campetrium, ut Sacrum ommode audiant, Sacra Congregatio juxta votum Episcopi censuit transferri posse Missas quotidianas e diversis Oratoriis longe distitis, & imperviis, in quibus celebrandæ erant, ad aliud, nec non ad aliquam Civitatis Ecclesiam pro diebus tantum festivis a iudicio ipsius Ordinarii *Lunen. Sarzanen., & Parmen.* 10. *Februarii* pag. 17., & seqq.

Haeredi ob facultatem a Testatore impetratam augendi, vel diminuendi Missarum quantitatem, istarum reductionem ab eodem factam exequi mandavit Sacra Congregatio, declarando unam tantum Missam lectam celebrandam esse quotidie pro Anima Fundatoris, præter Missam Conventualem in *Anagnina* 15. *Septembris* pag. 243.

Hebdomadales Missæ. Vid. *Missæ hebdomadales*.

Homicidium casuale ab Adolescente patratum citrà ullam culpam meruit ei ad cautelam dispensationem ab irregularitate incurta, suscipiendi causa Ordines tum Minores, tum Sacros, facto verbo cum Sanctissimo, ut in *Andrien. Dispensationis ab Irregularitate* 20. *Januarii* pag. 4., & seqq.

Commisium a Sacerdote adversus Germanum non meruit ei dispensationem ab Irregularitate in *Senzgallien. Dispensationis ab Irregularitate* 16. *Juni* pag. 93.

Hospitalis fructus qui superflue applicati valent Seminario pro aliqua rata, ut censuit Sacra Congregatio in *Eugubina Applicationis* 15. *Septembris* pag. 143.

Humandi jus Cadavera eorum, qui sunt de Parochia Capitali, ad idem Capitulum spectare resolvit Sacra Congregatio in *Maceraten. Juris funerandi* 7. *Julii ad I. Dubium* pag. 109.

Sicuti etiam emolumenta, quæ ex hisce funeribus retrahuntur *ibid.* ad II. *Dubium*.

Hypothecæ vinculo pro dote quæ sunt obnoxia, immunita evadunt a successivo onere, etiam pio, ex resolutis in *Nullius Lepriagnani Legatorum* 7. *Julii ad I. Dubium* pag. 109.

Reliqua vid. *Bona*.

I

Impedito Parocho in litteris latinis mandavit Sacra Congregatio Antistiti, ut jure uteretur suo ad formam Concilii Tridentini pro deputatione Cappellani Curati, qui præsidio esset, ut in *Firmana Dispensationis*

Tom. L

ab Irregularitate 28. *Aprilis ad II. Dubium* pag. 78.

Impetrandam esse Oris aperitionem rescripsit Sacra Congregatio antequam definiret, an reportandum sit onus Missarum ad primam Ecclesiam, a qua in aliam translatum fuit vigore Pontificii rescripti, ut in *Firmana reportationis oneris Missarum* 22. *Decembris* pag. 180.

Impetrationis Parochiæ supplicationem ob nullitatem Concursum reiiciendo Sacra Congregatio, novum indicendum fore præscripsit in *Ajulana Parochialis* 22. *Decembris* pag. 179.

Nisi probetur originaria illius insufficientia, aut subsequenta imminutio *ibid.*

Scripturæ Sacræ explicatio, quæ fit a Canonico Theologo post Vesperas, supplere nequit Evangelii Dei explicationem a Parocho tantum faciendam inter Missam Parochialem pag. 24. §. *Videtur.*

Sedes Apostolica tribuere valet cuicumque Ecclesie privilegium, seu jus tumulandi Cadavera pag. 39. §. *Licet.*

Reliqua vid. *Privilegium.*

Seminario indigenti frequenter applicatur redditus Hospitalis superextantes pag. 145., & *seqq.* §. *Preces.*

Sepeliendi jus, seu funerandi promiscue accipitur pag. 39. §. *Licet.*

Reliqua vid. sub verb. *Ecclesia*.
 Sepulchrum. Vid. *Sepultura*.
 Sepulturam eligens in aliqua Ecclesia habente quomocumque jus tumulandi, solvi debet Parocho tantum quarta funeralis ex omnibus cereis, & intorriciis pag. 39. & seqq. §. *Præterea*.
 E' contra si elegerit in Ecclesia vel non Parochiali, vel non habente dictum privilegium tunc debetur Parocho non tantum quarta funeralis, sed etiam emolumenta omnia pag. 40. §. *Quod secus*.
 Ratio est, quia ad Parochum spectat persolvere exequias super Cadaver *ibid.*
 Sequestrum ab Episcopo impositum ob inadimplementum onerum Missarum Beneficio cuiusdam in Episcopali visitatione adnexorum validum habetur, & illius remotio denegatur pag. 49. §. *Huic*.
 Reliqua vid. sub verb. *Onera Missarum*.
 Sermo cum idem sit tam in ordinatione, quam in præscriptione, tunc eadem fieri debet interpretatio de eadem re, eademque voluntate pag. 88. §. *Et quamvis*.
 Servari religiose debent quæ Beneficiis injuncta sunt pag. 27. §. *Consuetudines*.
 Sicuti etiam pacta, conventiones, vel promissiones inter contrahentes conventa, & scripta pag. 105. §. *Quare*.
 Servitium Chori. Vid. *Chori servitium*.
 Servitium Ecclesiæ. Vid. *Ecclesiæ servitium*.
 Servitium personale. Vid. *Residentia*.
 Simoniam tamquam redolentia Consuetudines, & Statuta Ecclesiarum tradendi aliquid Canonice per Præbendam noviter admissum, improbantur a Constitutionibus Apostolicis, ac Conciliari dispositione pag. 22. §. *Quod attinet*, & §. *Quinimo*.
 Reliqua vid. *Constitutiones Apostolicæ*.
 Stipendium. Vid. *Salarium*.
 Subingressus in juribus dimissi Creditoris tunc acquiritur, quando dimittens doceat hoc pacto solvisse, & pecunias suas ad manus Creditoris pervenisse in causam expressam pag. 93. §. *Quæritur*.
 Hicce concomitantibus extremis, jura Creditoris dimissi transeunt in solventem *ibid.*, & pag. 99. §. *Quibus*.
 Subsidia dotalia tribuenda veniunt Puellis in quarto gradu cum Testatore conjunctis pag. 187. §. *Ponderandum*.
 Licet Testator nullam assignaverit prælationem *ibid.*
 Sed ex intuitu naturalis charitatis, atque præsumpta Testatoris affectione erga ejus Consanguineas *ibid.*
 Præsertim si summa ægestate laborent *ibid.*
 Rejctis Consanguineis ultra prædictum gradum extantibus *ibid.*, & seqq. §. *Respectu*.
 Suffragii ratione Missarum onera reducenda non sunt, sed potius reliqua onera pag. 94. §. *Quo posito*.
 Nisi aliter constet ex Testatoris voluntate *ibid.*, & pag. 3. §. *Regula*.

ctus, & obligatorius tria debet copulative contiueri, nempe mutua & voluntaria futuri Matrimonii inter Contrahentes promissio, istius acceptatio, ac aliquo externo signo ejusdem manifestatio *ibid.* §. *Quo posito*.
 Unum ex dictis requisitis probare non valet singularis Testis pagin. 166. §. *Promissio*.
 Sed omnia aut ex Syngrapha, aut ex concordia responsione Testium omni exceptione majorum verificari debent *ibid.* §. *Examinandum*.
 Cum ex dictis Requisite copularivis vis obligatoria contractus insurgat *ibid.*
 Petitio, promissio, & repositio simplex non dicitur futuri Matrimonii mutua promissio *ibid.*
 Ideoque non dicitur verus contractus Sponsalium, nec obligat ad nubendum *ibid.*
 Insuper præter recensita requisita, firmari debet contractus juramento, quod si deficiat, licitum est alicui ex contrahentibus resilire, ac cum alia Persona de novo contrahere *ibid.*, & seqq. §. *At verò*.
 Nec ex defectu juramenti cogi potest ad exequendum primum contractum *ibid.*
 Statuta, & Constitutiones Cathedralium vel Collegiarum, vel Parochialium, ob quæ Præbendati noviter admissi cæteris Canonicis aliquid præstare tenentur, tamquam de labæ Simonie improbate sunt a Constitutionibus Apostolicis, & Conciliari dispositione pag. 22. §. *Quod attinet*, & §. *Quinimo*.
 Reliqua vid. *Constitutiones Apostolicæ*.
 Stipendium. Vid. *Salarium*.
 Subingressus in juribus dimissi Creditoris tunc acquiritur, quando dimittens doceat hoc pacto solvisse, & pecunias suas ad manus Creditoris pervenisse in causam expressam pag. 93. §. *Quæritur*.
 Hicce concomitantibus extremis, jura Creditoris dimissi transeunt in solventem *ibid.*, & pag. 99. §. *Quibus*.
 Subsidia dotalia tribuenda veniunt Puellis in quarto gradu cum Testatore conjunctis pag. 187. §. *Ponderandum*.
 Licet Testator nullam assignaverit prælationem *ibid.*
 Sed ex intuitu naturalis charitatis, atque præsumpta Testatoris affectione erga ejus Consanguineas *ibid.*
 Præsertim si summa ægestate laborent *ibid.*
 Rejctis Consanguineis ultra prædictum gradum extantibus *ibid.*, & seqq. §. *Respectu*.
 Suffragii ratione Missarum onera reducenda non sunt, sed potius reliqua onera pag. 94. §. *Quo posito*.
 Nisi aliter constet ex Testatoris voluntate *ibid.*, & pag. 3. §. *Regula*.

- Reliqua vid. *Missarum onera*.
 Superfluum reddituum Hospitalis frequenter applicatur Seminario indigenti pag. 145. & seqq. §. *Preces*.
 Superior Religionis conficiens Processum super nullitate Professionis alicujus sui Religiosi, nisi seruet formam Constitutionum S. M. Benedicti XIV. nullum reddere idem processum probant allegati in pag. 81. §. *Ani-madvertit*.
 Reliqua vid. *Processus*.
 Suspendio Missarum. Vid. *Missarum suspensio*.
 Suspendio Missarum celebrationis tunc fit locus, cum ultra quantitatem a Testatore præfinitam celebratas fuisse deprehendatur pag. 35. §. *Ponderandum*.

T

- T**AXA Missarum eleemosynæ fit a Sacra Congregatione ad rationem *perpetue*, juxta morem Regionis ante acceptationem Legati cum onere Missarum pag. 176. & seqq. §. *Sacri*.
Taxative assignasse dicitur Testator Bona pro adimplemento alicujus Legati, quando incipit dispositio ejus ab assignatione quantitatis, vel fundi, & deinde onus subsequitur pag. 88. §. *Neque*.
 Sicuti *taxative* etiam habetur, si taxata fuerit a Testatore eleemosyna *ibid.* §. *Et quamvis*.
 Tenuitate reddituum, vel Præbendarum concurrente, fit locus reductioni Missæ Conventualis pag. 141. §. *Sacra Congregatio*.
 Testator si designaverit certam Ecclesiam, tunc translatio non conceditur pag. 130. §. *Prout*.
 Maxime si designaverit pro celebratione Missarum *ibid.* §. *Maximè*.
 Testator tunc dicitur *taxative* reliquisse Bona pro adimplemento alicujus Legati, quando incipit ab assignatione quantitatis, vel fundi, & deinde onus subsequatur pagin. 88. §. *Neque*.
 Sicuti *taxative* etiam habetur si taxata fuerit ab ipso Testatore eleemosyna *ibid.* §. *Et quamvis*.
 Testatoris affectio erga suos Consanguineos præsumi nequit ultra quartum gradum pagin. 187. & seqq. §. *Respectu*.
 Reliqua vid. sub verb. *Subsidia Dotalia*.
 Testatoris Missas, quarum numerum ipse non stabilierit, præfinitur solet a Sacra Congregatione pag. 176. & seqq. §. *Præoculis*.
 Spectata quantitate reddituum, ducto calculo per decennium *ibid.*
 Testatoris voluntas, quæ aliquo modo sit anceps, non aliunde melius interpretatur, quam a subsequente observantia, & longa consuetudine pag. 67. §. *Cæterum*.
 Quæ interpretatio congrua esse debet naturalis affectionis principiis, & rationi, nec non benigna, & verisimilis, & tandem suppletoria cuicumque per errorem, aut non bene scriptum, aut minus dictum sit *ibid.*
 De jure semper fieri oportet contra eum, qui apertius explicare se poterat *ibid.*
 Utque minus onus impositum fuerit, cum in obscuris minimum sequendum veniat *ibid.*
 Eadem fieri debet de eadem re, eademque voluntate pag. 88. §. *Et quamvis*.
 Maxime quando una eademque orationis periodus est tam in ordinatione, quam in præscriptione *ibid.*
 Testatoris voluntas si obstat, Missarum onera reducenda non sunt, sed potius reliqua pia onera pag. 8. §. *Regula*, & pagin. 94. §. *Quo posito*.
 Et hoc ratione Suffragii pag. 94. §. *Quo posito*.
 Reliqua vid. *Missarum onera*.
 Testatorum piæ voluntatis commutatio de jure prohibita est pag. 184. §. *Sustinet*.
 Intellige, quando aliquo modo adimpleri potest *ibid.*
 Sin autem adimpleri nequeat modo a Testatoribus optato ob impedimentum facti, veluti ex modicitate reddituum proficiens, tunc in alios pios usus converti potest *ibid.*
 Vera autem urgente necessitate, commutavit Sacra Congregatio in alios pios usus proximos, vel congruentes Testatorum voluntati pag. 185. §. *Sacra Congregatio*.
 Testes, qui sine necessariis requisitis deponunt, non attenduntur pag. 26. §. *Prior*.
 Testis unicus nullam facit probationem p. 166. §. *Promissio*.
 Titularis consensus non sufficit ad gravandas Parochiales Ecclesias onere pensionis, seu reservationis fructuum, nisi excedant summam ducatorum centum pag. 171. §. *Disponit*.
 Vid. *Parochiales Ecclesia*.
 Titulo Beneficii provitus adimplere tenetur onera Missarum in Episcopali visitatione eadem adnexa pag. 49. §. *Huic*.
 Reliqua vid. sub verb. *Missarum onera*.
 Translatio onerum, & Missarum, deficiente justa & necessaria causa, denegatur p. 130. §. *Prout*.
 Maxime, quando Testator pro Missarum celebratione certam Ecclesiam designaverit *ibid.* §. *Maximè*.
 Impensæ hoc casu repetitionis necessariae remitti solent arbitrio Episcopi *ibid.*, & seqq. §. *Ponderandum*.
 Triginta annorum lapsu etiam cum observantia non sufficit, ut præsumatur intervenisse Beneplacitum Apostolicum in contractu de Bonis Ecclesiæ, sed requiritur centenaria pag. 114. §. *Adrique*.
 Tumulandi jus. Vid. *Ecclesiæ*.
 Tutelæ inculpatæ moderamen. Vid. *Moderamen inculpatæ tutelle*.

V

Vacandi a Choro, & residentia indultum diversum est a decreto, ne ultra trimesse Præbendati absint pag.74. §. *Opinio*.

Adeo ut si vacent, eorum muneri non satisfaciunt, quum opinio contraria, quæ inolevit, nusquam amplexata fuerit a Sacra Congregatione *ibid.*

Vacandi a Choro indultum conceditur Canonico ætate gravi, & morbo laboranti, qui continuo, & laudabiliter deservivit Ecclesiæ per quadraginta annos pag.30. §. *Quoties*.

Vacandi a loco Residentiæ non licet Canonico cuiuscumque Ecclesiæ, alias mulctandus venit pœnis a Tridentina Synodo præscriptis pag.123. §. *Non ambigitur*.

Reliqua vid. *Residentia*.

Validitas contractus emphyteutici bonorum Ecclesiæ oritur ex interventu Beneplaciti Apostolici, expeditione Literarum Apostolicarum, Instrumenti contestatione, ac rei possessione pag.76. §. *De mandato*.

Uno ex hisce requisitis deficiente, nulla est emphyteusis *ibid.*

Proindeque fit locus novarum oblationum receptioni *ibid.*

Validus est concursus si aliquis ex Comparentibus neque descriptus fuerit in albo Concurrentium, neque examini admittus pag.169. §. *Secus*.

Reliqua vid. sub verb. *Parochialis Concursus*.

Vicariis perpetuis habentibus in titulum curam Animarum, congrua quæ debetur, taxa reperitur in annuis scutis quinquaginta p.150., & seqq. §. *Causa*.

Victi colligantes tenentur pro rata reficere expensas litis pag.71. §. *Ex primi*.

Unicus Testis nullam facit probationem pag.166. §. *Promissio*.

Unio reddituum superextantium Hospitalis frequenter fit favore Seminarii indigentis pag.145., & seqq. §. *Preces*.

Vocem præptii Pastoris audire est de jure Divino p.24. §. *Videtur*.

Voluntaria, & mutua promissio futuri matrimonii est unum ex requisitis, quod copulative cum aliis intervenire debet in Sponsalibus, ut contractus dicatur perfectus & obligatorius pag.164. §. *Quo posito*.

Vid. *Sponsalia*.

Voluntas Testatoris. Vid. *Testatoris voluntas*.

Urgente necessitate applicari possunt ad alios pios usus bona, quæ jam alicui oneri sunt obnoxia p.134., & seqq. §. *Sustinet*.


Reliqua vid. *Commutatio*.

Utilitatem Ecclesiæ, vel Ecclesiasticorum contractui respicienti denegari non debet Beneplacium Apostolicum p.105. §. *Quare*.

X

Xenodochii redditus superextantes frequenter applicantur Seminario indigenti pag.145., & seqq. §. *Preces*.

F I N I S



THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta,
aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. CARRARA

Prodierunt in Causis sub annum 1782.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis,
ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus
apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LI.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLXXXII.

THESE ARE THE

REASONS WHY

YOU SHOULD BUY

CONCERN

CONCERN IS THE ONLY...
...THAT...

PROPERTY OF...

R. V. D. ...
...A. H. A.

...
...
...

...
...

...
...



...
...

...

I N D E X

ALPHABETICUS CAUSARUM,

*Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt
anno 1782. per Diœceses dispositus.*

A

Anconitana 8. Junii pag. 86., & seqq., ac 13. Julii pag. 96.
Anconitana Missarum 16. Martii pag. 41.
& seqq., ac 20. Aprilis pag. 48.

B

Beneventana Distributionum 26. Januarii pag. 9., & seqq. 23. Februarii pag. 15., ac 20. Aprilis pag. 49., & seqq.

Bricinoriën. Conguæ 14. Decembris pag. 182., & seqq.

Bricinoriën. Translationis Ecclesiæ Parochialis 14. Decembris pag. 187., & seqq.

C

Cervien. 16. Martii pag. 31., & seqq.

Civitatis Plebis Jubilationis 23. Novembris pag. 170., ac plur. seqq.

D

Derthonen. 3. Augusti pag. 114., & seqq.

E

Eugubina Applicationis 20. Aprilis pag. 48., & seqq.

F

Ferentina Servitii Chori 3. Augusti pag. 117., & pluribus seqq.

Ferentina Visitationis Sacrorum Liminum 16. Martii pag. 34., & seqq., ac 20. Aprilis pag. 47.

Ferrariën. Confraternitatis 14. Septembris pag. 130., & pluribus seqq.

Ferrariën. Subsidiorum Dotantium 26. Januarii pag. 1.

Firmana 11. Maii pag. 76., & seqq., ac 8. Junii pag. 81., & seqq.

Firmana Cappellanix 23. Februarii pag. 20., & seqq., 16. Martii pag. 29. 8. Junii pag. 94., ac 13. Julii pag. 98.

Firmana Reportationis Oneris Missarum 14. Septembris pag. 151., & seqq., 23. Novembris pag. 161., ac 14. Decembris pag. 195. & seqq.

Firmana Servitutis 8. Junii pag. 83., & seqq.

Firmana Suspensionis Oneris Missarum 23. Novembris pag. 177., & seqq., ac 14. Decembris pag. 181.

Firmana Translationis Oneris Missarum 3. Augusti pag. 110., & plur. seqq., ac 14. Decembris pag. 192. & seqq.

Firmana Unionis 23. Februarii pag. 4., & seqq., ac 16. Martii pag. 29., 14. Septembris pag. 153., & seqq., ac 23. Novembris pag. 162.

Fulden. Visitationis Sacrorum Liminum 3. Augusti pag. 106., & plur. seqq.

Fulginaten. Applicationis 26. Januarii pag. 1.

Fulginaten. Præminentiarum 14. Decembris pag. 192., & seqq.

Fulginaten. Translationis Parochiæ 16. Martii pag. 38., & seqq., ac 20. Aprilis pag. 47.

I

Ilcinen. 3. Augusti pag. 122., & seqq., ac 14. Septembris pag. 129.

L

Lauretana Horarii 11. Maii pag. 78. & seqq., ac 8. Junii pag. 82.

M

Melevitana 26. Januarii pag. 2. Melevitana Missæ Conventualis 11. Maii pag. 72., & seqq.

Montis Alti Dispensationis 3. Augusti pag. 123., & plur. seqq., ac 14. Septembris pag. 129.

N

Narnien. Jubilationis 13. Julii pag. 98., & seqq., ac 3. Augusti pag. 105.

Nepefina Dispensationis ab Irregularitate 13. Julii pag. 103. , & seqq. ac 3. Augusti pag. 106.
 Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici 11. Maii pag. 71. , 8. Junii pag. 94. , ac 13. Julii pag. 97.

P

PArmen. 26. Januarii pag. 4. , & seqq.
 Perusina Montis Pietatis 23. Novembris pag. 174. , & seqq. , ac 14. Decembris pag. 181.
 Pisaren. Massæ Communis 14. Decembris pag. 196. , & seqq.
 Placentina 26. Januarii pag. 7. , & seqq. ac 23. Februarii pag. 15.
 Placentina Legati Pii 14. Septembris pag. 138. , & seqq. , ac 23. Novembris pag. 169. , & seqq.
 Posnanien. 20. Aprilis pag. 50. , & seqq. , 11. Maii pag. 63. , ac 13. Julii pag. 95.

R

Romana , seu Comen. Sponsalium 16. Martii pag. 30. , & seqq.

S

Savonen. 14. Septembris pag. 143. & seqq.
 Senogallien. Reductionis Missarum 11. Maii pag. 74. , & seqq. , ac 8. Junii pag. 81.
 Sutrina 23. Februarii pag. 27. , & seqq. , ac 16. Martii pag. 30.
 Sutrina Officiaturæ 23. Februarii p. 16.

Terracinen. , & Privernen. 13. Julii pag. 101. , & seqq. , ac 3. Augusti pag. 105.
 Terracinen. , & Setina Servitii Chori , & Missæ Conventualis 14. Septembris pag. 147. , & seqq. , ac 23. Novembris pag. 161.
 Theanen. Restitutionis in integrum 23. Novembris pag. 164. , & pluribus seqq. , ac 14. Decembris pag. 182.
 Tiburtina Parochialis 26. Januarii p. 3. , ac 23. Februarii pag. 17.
 Tirafonen. Ordinum 26. Januarii p. 2.
 Tirafonen. Visitationis Sacrorum Limitum 20. Aprilis pag. 53. & plur. seqq. , ac 11. Maii pag. 63. , & seqq.
 Tirafonen. Visitationis Sacrorum Limitum 20. Aprilis pag. 58. , & plur. seqq. , ac 11. Maii pag. 64.
 Tirafonen. Visitationis Sacrorum Limitum 11. Maii pag. 64. , & pluribus seqq. , 8. Junii pag. 89. , ac 13. Julii pag. 96. , & seqq.

V

Veliterna Cappellanæ 26. Januarii pag. 12. , & seqq. , ac 23. Februarii pag. 16.
 Ventimilien. Cognationis Spiritualis 8. Junii pag. 90. , & seqq. , ac 13. Julii pag. 97.
 Viglevanen. 23. Februarii pag. 17. , & seqq.
 Viterbien. Dotium 16. Martii pag. 44. , & seqq. , ac 20. Aprilis pag. 48.
 Viterbien. , seu Tuscanen. 14. Septembris pag. 154. , & plur. seqq. , ac 23. Novembris pag. 162. , & seqq.

Die Sabbathi 26. Januarii 1782. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

T Res, quæ priori loco subiiciuntur, Causæ, quæque ob angustiam temporis discuti non potuerunt in Congregatione habita die 22. nuper elapsi mensis Decembris, hodiernam expectant decisionem.

FULGINATEN. APPLICATIONIS, in qua quæritur. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*
An sit locus applicationi Bonorum Domus Puellarum nuncupatæ Patris Cæsaris favore Conservatorii Convertitarum in casu &c.

Dilata, & exhibeantur dispositiones tam P. Cæsaris, quam Catharinæ quondam Simonis.

FERRARIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUUM, cuius est Dubium. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*
An, & in qua summa sit locus præstationi Subsidiorum Dotalium in casu &c.

Affirmative quoad Theresiam, nempe Mariannam, & Barbaram pro scutis tercentum pro unaquaque, Elisabeth verò supplicet suis loco, & tempore.

Sess. 25. cap. 9.
de Reform.

MELEVITANA, in qua Dubium proponitur :
An, & in qua parte lateris dexteri Altaris Majoris S. Therese apponendus sit lapis cum inscriptione, & Stemma-
te gentilitio Familiæ de Azzopardo Castelletti in casu &c.

Dilata.

Sess. 22. cap. 4.
& Sess. 23. cap.
16. de Reform.

TIRASONEN. ORDINUM. Causa hæc, quæ data
fuit primo loco in Folio Congregationis habitæ die 30.
Maii 1778., quod publici iuris factum est Vol. XLVII.
Thes. Resol. Sac. Congreg. Concil. pag. 132., & seqq.,
secundo loco in Folio Congregationis diei 16. Junii anni
nuper transacti, iterumque in Folio Congregationis habi-
tæ die 24. Novembris ejusdem elapsi anni responsum ac-
cepit = Dilata ad primam post Reges = Obsequimur ita-
que imperiõ Eminentissimorum Patrum, eamque hic da-
mus, ut, dictis tribus resumptis Foliis, IV. ejus Capita
expediantur.

- I. An sustineatur Decretum Episcopi diei 6. Junii 1774. in casu &c., & quatenus negative.
- II. An sit locus Ordinationi in casu &c.
- III. An, & à quo tempore sint restituendæ distributiones quotidianæ in casu &c.
- IV. An Canoncus Calvo reintegrandus sit ad Stallum in Choro prius quæsitum in casu &c.

Ad I. Affirmative, & amplius.

Ad II. Arbitrio, & conscientiæ Episcopi.

Ad III., & IV. Dilata, & scribatur Episcopo, juxta mentem.

TIBURTINA PAROCHIALIS. Hujus Causæ Spe- *Sess. 24. cap. 13. de Reform.*

nticiem dedimus in Fōlio Congregationis diei 15. Septembris mox elapsi anni 1781. , à quo repetenda est. Quatuor erant pro obtinenda vacante Parochiali Ecclesia Terræ Poli Contradictores, primus scilicet Clericus in Minoribus Dominicus Carboni annorum viginti, qui tamquam à Tiburtino Antistite præelectus in Concursu sub spe obtinendæ dispensationis à Sancta Sede super defectu ætatis, pro ea impetranda supplicationem S. S. N. Domino Nostra obtulerat; Secundus Sacerdos Carolus Rosci, qui cum eidem collata fuisset à Sancta Sede provisio dictæ Parochialis Ecclesiæ, supplicationem porrexerat pro Litterarum Apostolicarum expeditione; Tertius Sacerdos Lauretus Carboni, qui ab irrationabili judicio Episcopi appellaverat ad hanc Sacram Congregationem; Quartus demum erat Sacerdos Joannes Angelus Carboni, qui Parochialem impetrans suæ impetrationis dederat supplicationem, & qui post extensionem diei Fōlii fascis submiserat, ut mihi subinde innotuit; & revera non amplius comparuit, nec libellum suorum jurium circumferre curavit. Dubio itaque, quod tunc erat = An, & quæ supplicatio sit signanda, seu potius sit adjudicanda Parochialis Sacerdoti Laureto Antonio Carboni in casu &c. =, eoque proposito in Congregatione diei 24. superioris mensis Novembris, responsum fuit = Quoad Supplicationem Dominici Carboni Negative; In reliquis iterum proponatur.

Causa reproponitur: Et sicuti rejecta fuerit Supplicatio Clerici Dominici Carboni, nullaque ratio habenda est de Supplicatione Joannis Angeli Carboni Impetrantis, quia is à Judicio recessit, ita Sacerdotibus Carolo Rosci, & Laureto Antonio Carboni inter se modò certantibus, sequens erit desigendum Dubium.

An sit signanda supplicatio Sacerdotis Caroli Rosci, seu potius sit adjudicanda Parochialis Sacerdoti Laureto Antonio Carboni in casu &c.

Affirmative ad I. partem, negativè ad secundam.

4
PARMEN. Sacerdos Georgeus de Panizzis e Civitate
 Parmæ anno 1458. in parva Ecclesia, sive Oratorio
 S. Bernardino dicato, quod ipse propriis sumptibus e-
 fundamentis extruxerat intra fines Parochialis Ecclesiæ
 S. Cæcilie ejuldem Civitatis, Beneficium fundavit, assi-
 gnatis pro dote plurimis ejus Bonis. Onus adjecit Be-
 neficiato pro tempore existenti celebrandi in eodem Ora-
 torio qualibet hebdomada quatuor Missas præscriptis
 diebus, compræhensio die Dominico, nec non aliam ce-
 lebrandi Missam quolibet die festo SS. Apostolorum,
 aliisque festivis diebus de præcepto. Jussit etiam, quod
 singulis annis in die ejus obitus celebraretur in dicto Ora-
 torio Anniversarium sex Præbyterorum Sacrum cele-
 brantium pro ejus animæ expiatione. Jus autem patro-
 natus tam Oratorii, quam Beneficii, & jus nominandi
 Beneficiatum reliquit geminis ejus Fratribus, & Nepo-
 ti ex altero prædefuncto Fratre, & subinde majori natu
 ex eorum Descendentibus Masculis per rectam lineam
 Masculinam in perpetuum.

Anno 1580. cum in eodem Oratorio jam erecta reperire-
 tur Confraternitas S. Spiritus nuncupata, hæc propriis
 sumptibus Domum emit, & hortum, utrumque Orato-
 rio conterminum, iisque emptis, in domo fundavit
 Orphanotrophium, & in orto propriis pariter expensis
 e fundamentis ampliavit partem posteriorem Oratorii,
 nec non istius integrum pavementum, Fornicem, Tur-
 rimque construxit, apposuitque in novo laterali pariete
 fixum marmoreum Lapidem his verbis inscriptum = *Pars
 istius Oratorii incipiendo ab hoc L. p. id. usque ad mura-
 leam, in qua infixæ est Imago Beatæ Virginis Mariæ est
 juris Hospitalis S. Spiritus.*

Hujus Beneficii, & Oratorii dum Rector erat Sacerdos
 Rutilius della Vetera, is anno 1598. conventionem sti-
 pulavit cum Confraternitate, in qua Rector pro se, &
 Beneficiatis pro tempore existentibus promisit annuatim
 Confraternitati persolvere scuta septem monetæ Roma-
 næ hac lege, quod eadem Confraternitas teneatur adim-
 plere omnia onera in supradicta Beneficii fundatione
 præscripta, addita etiam celebratione festivitatis S. Ber-
 nardini.

At verò anno 1672. Paulus de Vertariis tunc Beneficii Re-
 ctor cupiens omnes sui Beneficii redditus exemptos red-
 dere à quovis onere in Fundatione præfinito, extrajudi-
 cialem promovit quæstionem contra Confraternitatem,

aut humans, omnes expensas, omniaque ædificia per ipsam in Oratorio extructa eidem Oratorio, & Beneficio cedere debere. Hanc quæstionem diremit Transactio ipsos inter celebrata, & ordinaria auctoritate confirmata, in qua Rector cessit Confraternitati omnia, & quæcumque jura quomodolibet sibi competentia super dicto Oratorio, Confraternitas autem de proprio promisit adimplere onera omnia, quorum adimplementum ad ipsum Rectorem pertinebat.

Pluries Confraternitas de hac Transactione conquesta est. Nunc verò cum eadem Confraternitas onera Beneficij Panizzi amplius ferre non possit, attenta diminutione, exiguorum ejus reddituum, ac obligatione manutenendi Orphanotrophium, adimplendique alia onera ad ipsam pertinentia, supplex est pro aliqua provisione, seu pro aliqua Missarum Beneficij Panizzi reductione.

Auditus Parmensis Antistes retulit quæ mox relata fuerunt, additque, quod Beneficij Rector, = *qui in præsentiarum est Sacerdos Santini, ex Monte Alboddo Diæcesis Senogalliensis redditus omnes Beneficij percipit sine ullo gravamine; qui tamen redditus de præsentibus scuta septuaginta novem monetæ Parmensis, seu scuta viginti septem cum dimidio alterius Romanæ non excedunt.*

Itemque retulit = *Redditus autem Societatis Oratricis ita tenues sunt, ut vix sufficiant pro adimplendis aliis piis Legatis, quibus gravatur, & pro sustinendis sumptibus, quæ occurrunt in manutentione dicti Oratorii, ut comperit habui ex libris mihi exhibitis per dictos Confratres.*

Addit, quòd in prædicta Transactione anni 1672. = *neque fortasse medietatem moderni Oratorii cessam fuisse à Beneficij Sodalitati, quæ pars perpensa separatim à Fornice, & pavimento modici omnino esse poterat valoris = ideoque = usque ab initio in hoc Contractu passa fuisse videtur Societas haud levem læsionem, quæ evidenter, & major hisce temporibus evasit, cum nunc ad prædicta onera adimplenda requirerentur saltem octoginta duo scuta monetæ Parmen., seu viginti octo cum dimidio alterius monetæ Romanæ = Quare concludit = Hinc congruum, æquumque omnino videtur indemnitati dictæ Sodalitatis consulendum fore eo tamen modo, & conditionibus, quas huic vestro sapientissimo, atque amplissimo consessui statuere placuerit.*

Contendit Confraternitas, non ipsam, sed Beneficium, qui possidet frugifera Bona pro dote Beneficij assignata, per-

percipitque illorum redditus, onera quoque à Fundatore Beneficii præscripta, assignatisque Bonis infixa, & Personæ Beneficiati inhærentia subire debere *Fagnan. in Cap. Cum venissent num. 22. & seqq. de Infit*, & *Rota in Barchinonens. Exemptionis 4. Julii 1755. §. 3. cor. cl. me. Card. Elephantutio*.

Nec obstat aut Transactio inita anno 1672. Beneficiatum inter, & Confraternitatem tamquam ab initio nullam, quia caret necessario Patroni consensu, & Beneficij Apostolico ex notissima *Extrav. Ambitiose de Reb. Eccles. non alien.*, *L. Jubemus C. de Sacrosanct. Eccles.*, & *Rot. in Ferrarien. Contractuum 26. Junii 1778. §. 4. cor. Eino D. Card. Herzan*, ac tamquam etiam ab initio tenerrime læsivam, quia Confraternitas vi Transactionis in seipsam assumpsit perpetuum Missarum onus, cujus in corresponsivitate Beneficiatus cessit eidem Confraternitati Oratori in partem, quæ sua non erat, modici valoris, nulliusque redditus, quibus in terminis habetur Transactio, ac si nunquam celebrata fuisset *Rot. in Comaclan. Legitimæ 16. Februarii 1759. §. 16. & seq. cor. Rno Olivatio*, nec ullo indigere rescissionis remedio, firmat eadem *Rota in Narnien. Legitimæ 13. Maii 1774. §. 8. cor. R. P. D. Riminaldo*, & *diei 10. Junii 1776. §. 9. cor. Rno P. D. Ratta Decano*.

Petit insuper Confraternitas Missarum reductionem, sive illarum onus ab ipsa, sive à Beneficiato adimpleri debeat, quia Bona, quæ possidet Beneficiatus, sunt annui redditus scutorum viginti septem cum dimidio monetæ Romanæ, cum quibus, ut ait Episcopus, onera Beneficii adimpleri non possunt, pro quibus annua scuta viginti octo cum dimidio ejusdem monetæ requiruntur.

A Confraternitate S. Spiritus jura circumferuntur. Beneficiatus autem utcumque monitus ab Episcopo de mandato hujus Sacræ Congregationis usque à mense Augusti 1780. non adhuc comparuit. Gemina proponuntur definienda Dubia.

- I. An, & quomodo Rector, seu Beneficiatus teneatur pro adimplemento onerum Beneficii, seu potius obstat Transactio in casu &c. = & quatenus negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.
- II. An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.

Ad II. Supplicet Beneficiatus.

PLACENTINA. Joannes Antonius de Dominicis Sandrini Placentinus anno 1607. ad ejus Altare dicatum S. Francisco Affisiensi situm in Ecclesia S. Mariæ Burginovi Placentinæ Diæcesis Sacerdotalem erexit Præbendam sub invocatione prædicti S. Francisci: *Tria onera* imposuit Præbendato ab hæredibus suis nominando, *primum* celebrandi quotidianum Sacrum in dicto Altari, *secundum* residendi in loco Præbendæ, & *tertium* interessendi Divinis Officiis ab aliis Præbendatis in eadem Ecclesia celebrandis, voluitque, quòd ab ejus Hæredibus anno quolibet traderentur Ecclesiæ Libræ biscentum Imperiales pro manutentione Cappellæ, sacrorumque Utenfilium. Præbendato vero quotannis præstarentur Libræ quadringentæ Imperiales, assignavitque pro aliis annis Libris octuaginta circiter tot Affictus, seu Canones debitos à quibusdam habitantibus in Loco Furnelli, ejusque Territorio Diæcesis Placentinæ, quæ summæ simul unitæ conflant annua scuta viginquinque circiter monetæ Romanæ.

Subinde præfata Præbenda cum aliis Præbendis in supra dicta Ecclesia existentibus Canonicatus titulo condecorata fuit. Vèrum cum antedictæ summæ à Joanne Antonio Fundatore assignatæ pro dote Præbendæ suæ satis non essent pro manuali eleemosyna Missæ quotidianæ, hanc proinde prædecessor Placentinus Episcopus sub die 3. Augusti 1745. legitima auctoritate reduxit ad quantitatem annuarum Missarum biscentum septuaginta octo, ad rationem nimirum julii unius circiter pro qualibet Missa. Hodiernus Præbendatus est Sacerdos Carolus Gherardus Sandrini, qui cum Missarum onera, aliaque in Fundatione scripta nec per se, nec per alium amplius ferre possit, attenta modicitate reddituum, hinc ipse unà cum Francisco Sandrini Patre, & Præbendæ Patrono supplex est pro ulteriori Missarum reductione usque ad annum numerum centum quadraginta.

Placentinus Antistes pro informatione, & voto requisitus retulit quæ supra in facto narrata fuerunt, prosequiturque *Hinc certissimè reperietur nemo, qui cum præfato onere memoratum Beneficium acceptet; imò nec inveniri potest, qui Missas in loco celebret cum eleemosyna in reductione præfinita, cum in Loco Burginovi, attento celebrandarum ibi Missarum numero, & respectiva Sacerdotum paucitate, nemo etiam absque Altaris designatione celebret cum eleemosyna minori obulis nostratibus quadra-*

ginta, hoc est uno julio, & septima simul ejusdem julii parte: Cum itaque in casu nostro agatur de Missis certo Altari alligatis vix sufficerent pro eleemosyna unius Missæ obuli nostrates quadraginta quinque, hoc est julius unus, & duæ septimæ partes ejusdem, nec certè aderit Sacerdos, qui etiam cum tali eleemosyna Beneficium acceptet, & illud præfens ejus Rector resignasset, si Resignatarium invenisset.

Retulit etiam, quòd = Orator Franciscus est mediatu Fundatoris hæres, & ab ipso causam habet, nec Ego alium super memoratis precibus audivi, cum nemo alius circa ipsas habeat interesse = Quocirca concludit = Rebus igitur ita comparatis, benignè annuendum censeo pro petita reductione ad annuas Missas Centum quadraginta circiter, adjecto tamen in gratia onere residendi, quod ex inveterata jam consuetudine longissima à Canonicis illius Ecclesiæ parum curatur. Hoc enim pacto consultum erit servitio Ecclesiæ, cultui Altaris, & prout fieri potest, suffragio Fundatoris, quorum duo priora secus omnino deficerent absque postulata reductione, & postcæmum in discrimen vocabitur saltem procedente tempore ex defectu Sacerdotis, qui Beneficium regat, jura tueatur, & onera adimpleat. Quamvis enim praxis sit hujus Sacræ Congregationis alia potius minuendi onera, servitii, & residentia, quàm reducendi Missarum numerum Fagnan. in cap. Ex parte 24. de Constit. , & san. mem. Benedictus XIV. de Synod. Diæces. lib. 13. cap. ultim. num. 23. , ponderandum tamen est, quòd cum reditibus annuorum scutorum viginti quinque circiter, quæ habet Beneficiatus, onus dumtaxat celebrandi quotidianum Sacrum adimpleri potest, maxime cum, ut ait Episcopus, vix sufficerent pro eleemosyna unius Missæ obuli nostrates quadraginta quinque, hoc est julius unus, & duæ septimæ partes ejusdem. Videant nunc Eminentissimi Patres.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

BENEVENTANA DISTRIBUTIONUM. Ut exora-
 retur quotidie Patrocinium Beatæ Mariæ Virginis
 pro liberanda Metropolitana Ecclesia Beneventi à flagello
 Terremotus, sa. mem. Benedictus XIII tempore, quo
 erat Archiepiscopus Beneventanus, mandavit, ut a Ca-
 nonicis dictæ Ecclesiæ per Turnum, ac inter horas Ca-
 nonicas recitaretur Officium parvum Beatæ Mariæ Vir-
 ginis, quod appellant = *Officio Mariano* =: Pro dote
 autem hujus adjecti oneris piissimus Archiepiscopus tan-
 tas pluribus vicibus pecuniarum summas in Censu inve-
 stiendas Capitulo donavit, ut unusquisque Canonicus
 pro hoc adjecto pio opere annua Ducata triginta sex ti-
 tulo Distributionum quotidianarum, Mansionarii verò
 annua Ducata octodecim eodem distributionum titulo
 assequi deberent.

*Seff. 24. cap. 12.
 de Reform.*

Legem autem imposuit prælaudatus Archiepiscopus, quòd
 hujusmodi quotidianis Distributionibus participes essent
 illi dumtaxat, qui revera personaliter Choro interfuis-
 sent, semper, & generaliter per modum regulæ absen-
 tibus etiam ratione malæ valetudinis; aut alias legitimè
 impeditis à consecutione hujusmodi Distributionum ex-
 clusis, prohibuitque præterea, nè quis alium in sui lo-
 cum substituere posset, demumque mandavit, ut omnes
 indistinctè subjecti essent punctaturis applicandis non-
 quidem beneficio aliorum, qui interfuisent, sed Sa-
 crarii Ecclesiæ prædictæ.

Ad Pontificatus apicem subinde evehctus idem Beneventa-
 nus Archiepiscopus in augmentum stipendii Canonicis,
 Mansionariisque assignati pro recitatione Officii Maria-
 ni anno 1726. privato nomine irrevocabiliter donavit
 inter vivos eidem Capitulo aliam conspicuam summam
 Ducatorum viginti millium erogandorum in emptionem
 aliorum fructiferorum Censuum, ut impostero quilibet
 ex Dignitatibus, & Canonicis annum stipendium Du-
 catorum sexaginta unius, & quilibet ex Mansionariis an-
 nua Ducata triginta sex assequi posset eisdem tamen sub
 legibus, oneribus, & conditionibus in fundatione re-
 citandi Officium Marianum præscriptis.

Hæc, onera, attenta præsertim diminutione reddituum, cum
 gravia visa fuissent Capitulo, & Canonicis dictæ Metro-
 politanæ Ecclesiæ, supplices adiverunt san. mem. Cle-
 mentem XIII. pro eorundem onerum moderatione in ea
 tantum parte, qua statuitur, ut absentes etiam causa
 infirmitatis nedum hisce Distributionibus frui non de-

beant, sed etiam punctaturis subjiciantur; ac simul in alia parte, qua præscribitur, ne unus etiam si legitime impeditus alium in sui locum substituere possit. Supplicationibus annuit Summus Pontifex, mandavitque per Apostolicum Breve sub datum 5. Februarii 1768., ut Archiepiscopus Beneventanus, cui Litteræ Apostolicæ fuerant pro executione commissæ, eisdem Canonicis, & Mansionariis nunc; & pro tempore existentibus legitime impeditis secundum dispositionem *textus in cap. Consuetudinem de Cleric. non resident., & Sac. Concil. Trident. Sess. 24. cap. 12. de Reform.* potestatem percipiendi emolumentum Officii Mariani auctoritate Apostolica concederet, atque indulgeret, eisdemque petitam facultatem substituendi alium ejusdem tamen ordinis, dummodo tamen Substitutus non teneatur pro se ipso interesse Officio Mariano.

Nuper Franciscus de Simone Archidiaconus dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ, attento ipsius assiduo, & laudabili servitio per lapsum quadraginta annorum eidem Ecclesiæ præstito, obtinuit ab hac Sacra Congregatione Indultum Jubilationis abessendi à Choro; Ille nunc anceps est, utrum enunciatas Distributiones pro Officio Mariano, ex quibus major pars reddituum suæ Dignitatis constat, percipere nec ne possit, ideoque supplicavit hanc Sacram Congregationem, ut benignè declararet, ipsum virtute dicti obtenti Jubilationis Indulti læpeditas quotidianas Distributiones, ac si præsens esset, & legitime impeditus, lucrari posse.

Super precibus auditis Eminentissimus Archiepiscopus cum Capitulo, & præsertim rogatus, an adsint alia exempla hujusmodi perceptionis Distributionum favore Jubilati absque præsentia, retulit, = *neminem à dicto tempore jubilationem à servitio Chori impetrasse, proindeque nullum extare exemplum perceptionis dictarum Distributionum pro aliquo Jubilato absque præsentia* = Subditque = *Dignitates, & Canonicos Capituli de petitione prædicti Archidiaconi certiores reddidi, ut mihi exponerent quid quid deducere vellent, at ipsi prævia Capitulari Resolutione mihi in scriptis exhibita, hoc negotium arbitrio meo remiserunt, quamobrem (ut in votis est) attento præfato Apostolico Breve Clementis XIII., Indulto Jubilationis à servitio Chori à dicto Archidiacono de Simone jam obtento, ac Resolutione Capituli prædicti, extensionem In-*
dul-

Indulti à prædicto Archidiacono petitam pro perceptione Distributionum, ut supra, concedi posse arbitror.

Quamvis enim Canonicus Jubilatus lucrifaciat integras quotidianas Distributiones, cæteraque emolumenta inter præsentem distribuenda, perinde ac si ipse quoque præfens esset in Choro *san. mem. Benedic. XIV. de Synod. Diæces. lib. 3. cap. 4. §. 6., & lib. 13. cap. 9. §. 15.; Pignatell. tom. 3. consult. 19. Sac. Congregatio in Laurentana Jubilationis 2. Decembris 1775. ad II. Dubium, illas tamen non lucratur, quæ ex Testatoris voluntate, vel ex peculiari Ecclesiæ Statuto, vel ex consuetudine sunt inter Canonicos dumtaxat Choro præsentem distribuendæ, quibus non fruitur Canonicus Jubilatus, ut definit hæc Sacra Congregatio in Aquipendien. Indulti ad II. Dubium 1. Aprilis 1719., & in Mantuana Jubilationis 16. Martii 1737.*

Verumtamen an Breve Clementinum extendi possit pro perceptione Distributionum Officii Mariani favore Archidiaconi Francisci de Simone cum Indulto Sacræ Congregationis Jubilati, qui, ut asseritur, senex est, mala affectus valetudine, & qui aliter obtento Jubilationis Indulto pœnam potius retulisset, quàm premium sui assidui, & laudabilis servitii Metropolitanæ Ecclesiæ præstiti cum recitatione Officii Mariani lapsu quadraginta annorum, hoc erit ab Eminentissimis Vestris examinandum, perpensis juribus ab eodem Archidiacono de more circumferendis, quæ adhuc non habuimus, subindeque definiendum.

An Archidiaconus Franciscus de Simone vigore Indulti Jubilationis debeat participare ex Distributionibus Officii Mariani in casu &c.

VELITERNA CAPPELLANIÆ. Anna Maria Strozzi Michaelis Angeii Gaetani Ducis Sermonetæ Uxor in suo ultimo, cum quo decessit, elogio mandavit, quòd cum certis ejus assignatis Bonis erigeretur Cappellania, seu Legatum pium cum onere Missarum, & ex redditibus eorundem Bonorum tot essent annualiter, & in perpetuum celebranda Sacra in Ecclesia ab hærede designanda, quot fuissent à Veliterno Episcopo taxata, quæ idem subinde in numero Sacrorum biscentum quinquaginta præscripsit. Pro primo Cappellano ipsa Testatrix nominavit Præbyterum Josephum Zelloni, & post ejus obitum jus nominandi Cappellanum reliquit Duci Michaeli Angelo ejus Viro, quem hæredem instituerat, ea sub lege, quòd Cappellania, sive Legatum pium Missarum = *sempre resti collocato in persona di un Sacerdote Vassallo, e non altrimenti &c.*

Nuper vacata Cappellania, Sermonetæ Dux Patronus in novum illius Cappellanum nominavit Sacerdotem Josephum Marini Pistoriensem, quem inter Familiæ domus suæ adlegit in munere Præceptoris Filii sui, & vî hujus nominationis Sacerdos Marinus Cappellanix possessionem, quam adhuc retinet, adeptus est.

Putans autem Sacerdos Petrus Favali natus Oppido Cisterne Veliternæ Diocesis, & originarius Subditus Sermonetæ Ducis, & uti hac qualitate pollens à Testatrice passivè vocatus, nullam esse præfatam nominationem tamquam factam contra Legem à Testatrice indictam, proindeque Ducem Patronum pro hac vice tantum à jurè suo nominandi cecidisse, preces potrexit Summo Pontifici feliciter regnanti postulans, ut eidem adjudicaretur Cappellania, remoto Sacerdote Josepho Marini tamquam injusto illius detentore.

Sacra Congregatio, ad quam preces remissæ fuerunt, mandavit, ut Eminentissimus Veliternus Antistes dignaretur eam instructam reddere, votumque suum aperire, audito Patrono. Is retulit quæ in Facto supra narrata fuerunt, transmittitque Epistolam Ducis Patroni ab eo requisiti, qui authumat ad alteram progredi posse nominationem, si quando frustranea judicaretur facta in personam Sacerdotis Marini, cui ipse Dux Cappellaniam contulerat, postquam ille fuerat in album suorum Domesticorum cooptatus, ac in numero Civium suorum Subditorum adscriptus.

Prosequitur Eminentissimus Episcopus, & ait, hodiernam controversiam pendere à geminis examinandis quæstionibus, prima scilicet = *an Ducissa Testatrix, quæ legem inje-*

injecit suo hæredi , & Patrono valde dilecto de nominatione collocanda in personam Sacerdotis ejus Vassalli strictè loqui intellexerit de Cive nativo , & originario , Subdito , & commorante in Feudis nobilis Domus Cajetanæ , ac verius latius loquendo , ut plerumque interpretari contingit in materia indifferenti , & favorabili Juris Patronatus complecti maluerit etiam Subditos cives , & Vassallos ex privilegio quæsito ratione meritorum , & ex affectione , qualis est Sacerdos Marini = & à secunda nempe = nùm admissa etiam inhabilitate hodierni possessoris Cappellani ob resistantiam voluntatis Testatricis , Dux illius hæres , & Patronus scienter , & ferè per fraudem contra illam deliquerit , in quo demum casu Patronus privationem incurrit Jurispatronatus , an verius ad novam præsentationem admittendus sit favore alterius habilis , & capacis = ab ejus tamen ferendo voto se abstinuit .

Adversus has geminas promotas quæstiones insurgit Sacerdos Petrus Favali Orator , sustinetque , Ducissam Annam Mariam Testatricem mandantem , Cappellaniam , seu Legatum pium = *che sempre resti collocato in persona di un Sacerdote Vassallo , e non altrimenti &c.* = de vero fuisse , nativo , & originario Ducis Sermonetæ Subdito , ut est Sacerdos Orator , non autem de ficto , & alienigena in Subditum per simplex privilegium assumpto , ut est Sacerdos Marini . Ait enim hic agi de Testamento Mulieris , quæ licèt ex nobili genere nata , attamen juris communis dispositionis , ac Doctorum sententiæ prorsus ignara verbum *Vassallo* in sua propria , & naturali significatione intellexisse præsumitur , ut per *Text. in L. Assumptio in princ. , & §. Filius ff. ad Municip. , in genere firmavit Faber. in Col. lib. 6. tit. 18. definit. 17. , Rot. cor. Molin. decis. 982. num. 15. , & 19. , & cor. Rezzonico decis. 328. num. 7. & 8. cum plur. seqq.*

Maximè quia ipsa Testatrix in primum Cappellanum nominavit Sacerdotem Josephum Zelloni , qui non fictus erat , sed verus , & originarius Ducis Sermonetæ Subditus , utpote qui natus erat in Oppido Cisternæ , & in eo habitabat , ibique suos fixos domicilii lares habebat . Non enim , ut inquit Orator , jura sinunt , ut in materia Jurispatronatus utcumque indifferenti , & favorabili interpretetur verbum *Vassallo* in sua ampliori , & generali significatione , quando eadem Fundatrix illud in sensu præciso , & rigoroso accipiendum esse factò , & verbo ostendit . Et quamvis Subditus ex privilegio habeatur pro vero , & originario Subdito , adhuc tamen ii , quæ Subditorum sunt , & quæ Subditis sive ex Statuto , sive

ex Testamento competunt, frui non posse Sacerdotem Marini, nisi probet, se præter civilitatem acquisitam ex Privilegio morari, & domicilium habere in aliquo ex Feudis Cajetanæ Familiæ cum onerum supportatione *Gratian. discept. forens. cap. 709. n. 25. & seqq.*, *Gob. consult. 45. num. 27.*, & *seq.*, *Campell. ad Constit. Ducat. Urbina. decret. 23. num. 3931. & seqq. tom. 1.*, & *Rot. post Merlin. de Legit. decis. 24. num. 11.*, in *Recent. decis. 228. num. 50. & seq.*, & hinc sequi, quod dictus Sacerdos Marini, privilegio non obstante, habendus sit tamquam forensis, & Alienigena, ut firmannt iidem Doctores locis mox citatis, nimirum *Gratian. num. 6.*, *Gob. numer. 22.*, *Campell. num. 390. & seqq.*, *Rota post Merlin. num. 6.*, & *cor. Otthobon. decis. 227. num. 7. & seq.*

Addit Orator, Ducem Patronum nominando Forenses, inhabilem, & ex lege Foundationis non qualificatum cecidisse pro hac vice à jure suo, & à commodo juris nominandi *Pax Jordan. tom. 2. Lucubrat. lib. 10. tit. 7. numer. 368.*, & *Piton. de Controv. Patron. alleg. 81. n. 7.*, nec ipsum excusari ab ignorantia legis Foundationis, quia illam scire tenebatur uti ex eodem Testamento scivit ad se pertinere ex illius dispositione jus nominandi Cappellanum ex traditis per *Tondut. quæst. benefic. part. 1. cap. 118. num. 32.*, *Marant. respons. 28. num. 8.*, & *seqq. part. 3.*, *Piton. de Controv. Patron. alleg. 81. num. 13.*, *Rot. cor. Cavalier. decis. 231. num. 2.*, & *seq.*, *coram Crispo decis. 150. num. 14. & seq.*, & in *Parmen. Benefic. 16 Junii 1750. §. 17. cor. bon. mem. Canilliac.*

Multoque minus Ducem admitti posse ad faciendam iterum nominationem favore Personæ idoneæ, & qualificatæ, quoniam id prederet intra quadrimestre Patronis Laicis ad præsentandum concessum, dummodo tamen defectus factæ nominationis non fuerit super idoneitate in Fundatione requisita: Ast cum lapsum sit quadrimestre, & non idoneus fuerit nominatus, sustinet Orator, devolutionem juris nominandi assequi Superiorem, *Vivian. de Jurepatron. lib. 6. cap. 7. num. 70.*, *Rota coram Crispo decis. 150. num. 4.*, & *5.*, in *Parmen. Benefic. 16 Junii 1750. §. 6. coram Canilliac*, & in ejus confirmatoria diei 5. Februarii 1751. §. 3. cor. Eod.

Hæc sunt jura Sacerdotis Petri Favali, quæ latius legi poterunt in ejus circumferendo libello. Nihil autem habuimus tum à Sermonetæ Duce, tum à Sacerdote Josepho Marini. Dubium est.

An sustineatur nominatio Sacerdotis Marini, seu potius Cappellania sit adjudicanda Sacerdoti Favali in casu &c.

15

Die Sabbathi 23. Februarii 1782. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRES priores mox describendæ Causæ, quæ in ultima Congregatione diei 26. nuper elapsi mensis Januarii proponi non potuerunt, illius resumpto Folio, nunc erunt ab Emissis Patribus expediendæ.

PLACENTINA, in qua respondendum est:
An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

*Sess. 25. cap. 4.
de Reform.*

Pro gratia juxta votum Episcopi.

BENEVENTANA DISTRIBUTIONUM, in qua disquiritur.

*Sess. 24. cap. 12.
de Reform.*

An Archidiaconus Franciscus de Simone vigore Indulti Jubilationis debeat participare ex distributionibus Officii Mariani in casu &c.

Dilata.

Sess. 25. cap. 5.
de Reform.

16
23. Februarii 1782.
VELITERNA CAPPELLANIÆ , in qua ambigi-
tur .
An sustineatur nominatio Sacerdotis Marini , seu potius Cap-
pellania sit adjudicanda Sacerdoti Favali in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.

Sess. 23. cap. 1.
de Reform.

SUTRINA OFFICIATURÆ . Præfens Causa data fuit
in Folio Congregationis habitæ die 18. Septembris 1779.,
quod publici juris factum est in *Thesaur. Resol. Sac. Congreg. Concilii Tom. XLVIII. pag. 119.* : Dubioque , quod
erat = *An , & quibus diebus Canonici Ecclesie S. Mariæ in Cælum Assumptæ Terræ Anguillaræ teneantur Choro in-
servire in casu &c.* = Amplissimi Patres in sequenti Congre-
gatione diei 27. Novembris ejusdem anni 1779. responde-
runt = *Teneri omnibus diebus = veluti habetur ex eodem.
Tom. XLVIII. Thesaur. Resol. pag. 122.*

Huic tamen responso non acquiescunt Canonici , quinimo
additum etiam voluerunt alterum dubium peculiari qui-
dem discussione dignum, attenta tenuitate reddituum Præ-
bendarum . Quapropter cum nunc reproponatur Causa,
rogamus Eminentissimos Patres , ut ea, qua præstant
humanitate prædictum folium diei 18. Septembris 1779.,
quod editum fuit *Tom. 48. Thesaur. Resol. Sac. Congreg.
pag. 119.* repetant , ut ad memoriam revocata hujus Cau-
sæ specie , perpensisque juribus , rationibusque novis ,
quæ in Libello proponuntur , gemina , quæ hic damus,
Dubia definire possint .

- I. *An sit standum , vel recedendum à decisis in casu &c.*
- II. *An , & ad quos dies sit locus reductioni Servitii Chori in casu &c.*

Reducendum esse Servitium Chori pro omnibus Cano-
nicis ad recitationem Officii tam matutini , quam
vespertini ad omnes dies festos de præcepto , Ad-
ventus , & Quadragesimæ cum tota Octava Pascha-
tis , atque etiam ad totas Octavas Festivitatis SSm̃i
Corporis Christi , & festi Assumptionis B. M. V. ,
salvis aliis functionibus , juxta elenchum exhibitum.

TIBURTINA PAROCHIALIS. Hanc dedimus Causam in postrema Congregatione habita die 26. proxime præteriti mensis Januarii, ejusque Dubio ita concepto = *An sit signanda supplicatio Sacerdotis Caroli Rosci, seu potius sit adjudicanda Parochialis Sacerdoti Laureto Antonio Carboni in casu &c.* = fuit ea die responsum = *Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam* = Novum suorum jurium periculum facere cupiens Sacerdos Lauretus Antonius, facultatem iterum deducendi jura sua postulavit, & obtinuit.

Sess. 24. cap. 18. de Reform.

Verùm cum maxime expediat, finem imponi controversiis, quæ non sine Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento, & spiritualis gregis incommodo, ac periculo protrahuntur, hinc Causam nunc iterum damus, ut Eminentissimi Patres ea, qua solent, juris scientia decernant.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

VIGLEVANEN. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Viglevanensis in tres Classes dividitur, quarum in prima sunt Dignitates, & Canonici, qui Chorum superiorem, seu Capitulum constituunt, in secunda verò numerantur illi, qui generali vocabulo Residentes nuncupantur, & hi sunt Parochi, Cappellani, Levitæ, & Mansionarii, qui Clerum inferiorem constituunt: In tertia demum Classe continentur Sacristæ, & Clerici Ecclesiæ inservientes. Ex lege Statutaria Viglevanensis Ecclesiæ à San. Mem. Clemente Papa VII. confirmata, jus habent omnes de Capitulo vacandi à Choro per duos menses: Cum autem in hac vacationis concessione nulla mentio facta fuerit de lucrandis distributionibus quotidianis, hinc Canonici superiorem Clerum constituentes anno 1593. supplicarunt, & obtinuerunt à Summo Pontifice Clemente VIII. jus percipiendi quotidianas distributiones etiam tempore ipsorum absentiaë duorum mensium.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

Hanc ipsam facultatem lucrandi quotidianas distributiones tempore vacationis à residentia per aliquot dies infra annum nuperrimè petierunt etiam illi, qui Clerum inferiorem constituunt, gemini duo nempe Mansionarii, duo Levitæ, duo Parochi, novem Cappellani, & octo Sacristæ ea innixi ratione, quia iidem, attento quotidiano Chori servitio, incumbere non possunt culturæ Prædiorum unicuique ex eis assignatorum, ob idque Prædia in deterius abeunt, & fructus imminuuntur.

Super his auditus Episcopus retulit, petitam gratiam necessariam esse pro Cappellanis, quibus certè necessarij sũnt aliqui saltem dies absentia, ut melius, diligentiusque incumbant curæ Bonorum Beneficii = Ast quoad cæteros, nimirum Mansionarios, Parochos, & Levitas, licet quoad ipsos nulla urgeat positiva necessitas pro cura, & administratione Bonorum, quæ non possident, nam omnia Prædia per Canonicos administrantur, diciturque Massa communis; Verumtamen, ut subdit Episcopus, cum rationabile, & congruum sit, vel saltem esse videatur, ut ex necessaria aliqua animi relaxatione etiam ad ipsos vacatio aliqua extendatur absque amissione Distributionum, dummodo tamen moderata sit, pluribusque subiecta conditionibus tum de tempore, tum de numero, ne unà simul omnes, ita tamen ut quinque saltem ex Cappellanis Choro semper intersint, etiamsi aliqui ex iis essent infirmitate detenti, unus de duobus semper ex Mansionariis, & unus ex Levitis, cui onus sit substituere aliquem ex Cappellanis, qui ejus vices gerat eo die, quo abest: Sacristæ vero nunquam, cum eorum officium sit merè mercenarium, licet, & ipsi participant de Massa residentiali. In hanc feror Sententiam, quòd si gratia istis limitata sit conditionibus; servitium Chori parum, ve nihil detrimenti capiet =

Auditoque Capitulo, prosequitur Episcopus, = licet se remiserit ad Episcopi votum, hisce tamen conditionibus se præstitit, videlicet, quòd servitium Ecclesiæ, & Choro præstandum à Clero inferiori firmum ita maneat, uti præstitum fuit usque modò, & ita fruatur dictus Clerus petita indulgentia, ut nullum resultet gravamen in damnum Capituli ullo unquam tempore, circumstantia, & occasione.

Quapropter proposita Cleri inferioris instantia per Summaria Precum in Congregatione diei 17. Martii superioris anni 1781., prodiit Rescriptum = Quoad Sacristas Lectum. Quoad novem Cappellanos = Pro gratia ad quadraginta dies unicuique ita concessos, ut quinque saltem ex ipsis

ipsis Choro semper intersint etiam si aliquis ex ipsis infirmitate, aliove legitimo detineretur impedimento. Quoad Mansionarios, & Levitas ad triginta dies, salvis etiam distributionibus, a Choro vacare licebit, ita tamen ut alteruter ex illis tam Mansionariis, quam Levitis Choro semper personaliter intersit, absens verò idoneum substituat Sacerdotem, qui vices suas absentiae tempore rite peragere valeat. Quoad Parochos denique per idem spatium triginta dierum Choralibus vacantibus tantum frui liceat, firma tamen manente quoad residentiam Parochialem Concilii Tridentini dispositione, aut Diæcesis consuetudine, cui per præsens Rescriptum nullatenus derogetur.

Dubium nunc oritur super clausula salvis etiam distributionibus favore Mansionariorum, & Levitarum apposita, an scilicet distributiones salvæ etiam intelligendæ sint pro Cappellanis, & Parochis, super cujus Dubii dilucidatione, & declaratione præfati Rescripti Cappellani, & Parochi supplicem huic Sacræ Congregationi porrexerunt libellum.

Atque hinc ponderandum est, Clerum inferiorem ex Statutaria Capituli lege à sa. mem. Clemente VII. approbata, confirmataque jam frui beneficio Vacationum per duos menses, solumque petitam ab eò nuperrimè fuisse facultatem, sive Indultum lucrandi quotidianas distributiones tempore absentiae per aliquos saltem dies infra annum. Quemadmodum enim huiusmodi Indultum fuit ab hac Sacra Congregatione concessum Mansionariis, & Levitis propter quamdam rationabilitatem, & congruitatem, velut innuit Episcopus *jure ex necessaria aliqua animi relaxatione etiam ad ipsos vacatio aliqua extendatur absque amissione distributionum*, adjecta in dicto Rescripto clausula = *salvis etiam distributionibus* = ita examinandum erit, an hæc clausula intelligenda sit pro appositâ quoque in eodem Rescripto nedum favore Cappellanorum, qui petunt Indultum, ut retulit Episcopus, ex necessitate, sed etiam favore Parochorum, quibus idem Indultum competere videtur ex eadem rationabilitate, & congruitate, prout in voto fuit Episcopus. Dubium est.

An Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 7. cap. 4.,
& Sess. 25. cap.
5. de Reform.

20

23. Februarii 1782.

FIRMANA CAPPELLANIÆ : Bernardus , & Mag-
dalena Caponetti Conjuges cum nulla essent ditati so-
bole Testamentum condiderunt anno 1732., in quo man-
darunt , ut post eorum obitum ex omnibus Bonis , quæ
possidebant , Cappellania mere laicalis sub titulo S. Ber-
nardi Abbatis erigeretur ad Altare S. Venerandæ Col-
legiatæ Ecclesiæ Oppidi S. Elpidii ad Mare Firmanæ
Diocesis , cum onere Cappellano adjecto quatuor *per
se ipsum* inibi celebrandi Sacra qualibet Hebdomada ,
nec non unam canendi Missam solemnem singulis an-
nis , nisi fuerit legitimè impeditus : Itemque voluerunt
Testatores , quòd in nominatione Cappellani faciendæ
præferri deberent eorum Consanguinei , & Affines ,
donec existerent , iisque defectis , nominandus esset pau-
per Oppidanus : Rursus præceperunt , quòd si Cappel-
lanus aliquam obtineret Dignitatem Ecclesiasticam Da-
tariæ Apostolicæ , & Cancellariæ Regulis subjectam ,
tunc Cappellania eo ipso vacaret .

Jus autem nominandi Cappellanum reliquerunt quin-
que Familiis Testatoribus affinitate conjunctis , nimirum
Alexandri Trincia , Antonii Brunetti , Petri Caponet-
ti , Josephi Mostacci , & Josephi Bracalenti , eorumque
respective filiis , & descendantibus prius Masculis , &
deinde fæminis , & quatenus aliqua ex eisdem lineis de-
ficeret , tunc in ea extinctæ Familiæ Patronatus voce
substituerunt Confalonarium cum Prioribus Communi-
tatis S. Elpidii , in quos collatum etiam voluerunt inte-
grum Patronatum in unam redactum vocem , quoties
omnes Familiæ vocatæ deficerent .

Cappellaniam obtinebat Reverendissimus Bartholomeus
Bacher subinde ad regendam Ripanam Ecclesiam eve-
ctus die 13. Decembris 1779. Quare Confalonarius si-
mul cum uno tantum Priore dictæ Communitatis , cæ-
teris despectis duobus Prioribus , nec interessentibus
Dominico Brunetti , ac Josepho Bracalanti , qui adhuc
superfunt ex dictis quinque Familiis ad Patronatum vo-
catis , die 16. ejusdem mensis Decembris , & sic ante-
quam Episcopi Bacher consecratio fieret , & prius quàm
ipse Episcopatus possessionem nactus fuisset , idem Con-
falonarius in Cappellanum nominavit Sacerdotem Ludo-
vicum Moretti alibi degentem , qui etiam Cappellaniæ
possessionem adeptus est .

Capta vero a Reverendissimo Bacher sui Episcopatus pos-
sessione , dicti Patroni Brunetti scilicet , & Bracalenti

ad

ad Cappellaniam nominarunt Aloysium Perucci Præbiterum Oratorii S. Philippi Neri eiusdem Oppidi S. Elpidii, in quo moram trahit, ejusque nominationem confirmarunt, citatis Confalonerio, & Prioribus dicti Oppidi.

Prænoscens Dominicus Brunetti alter ex Patronis, Sacerdotem Morettum à Confalonerio nominatum petere velle Indultum abessendi à residentia, celebrandique Sacra per alium Sacerdotem, preces porrexit Summo Regnanti Pontifici postulans, quòd si hoc peteret Indultum Morettus, ei denegaretur tamquam contrarium voluntati Fundatorum, ablegatisque precibus huic Sacræ Congregationi, auditus fuit Firmanus Archiepiscopus, qui retulit, vera esse in precibus exposita, eaque intempestivè Oratorem obtrudere Sacræ Congregationi; = *Sacerdos namque [sunt illius verba] Ludovicus Moretti licet fuerit nuper electus in Cappellanum, ac possessionem Cappellaniæ fuerit adeptus, evandam tamen hanc electionem, & illegitimum subsequenti possessionis actum contendit præcedens Cappellanus (nimirum Ripanus Episcopus Bacher), qui adhuc vivit, redditus Cappellaniæ percipit, ac onera absolvit Sacrificiorum. Instantiam itaque Supplicantis loco animadversionis excipiendam dumtaxat arbitror ab EE. VV., in casu, quo vel novus, vel alter Cappellanus, qui pariter modò extra locum residet, ac per alium onera absolvit, à Sacra ista Congregatione gratiam expostularet pro adimplendis per alium Sacrificiis, de quibus agitur.*

Contra hæc urget Brunettus Patronus, Causaque modò proponitur. Sacrosancta Tridentina Synodus antiquioribus Ecclesiasticæ Disciplinæ Institutis pluralitatem Beneficiorum improbantibus, de quibus in *Can. Sanctorum dist. 70. cap. 13. num. 15. 18. 28., & 30. de Præben., in cap. de Multa eodem tit., & in cap. Nonnulli de Cler. non resid., cum aliis copiose relatis per Tomasin. de vet., & nov. Eccles. discipl. tom. 2. lib. 3. cap. 5. ad 10., hanc saluberrimam constituit sanctionem Sess. 7. cap. 4. de Reform. ibi = *Quicumque de cætero plurà curata, aut alia incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titulo contra formam Sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis Innocentii III., quæ incipit De Multa, recipere, ac simul retinere præsumpserit; beneficiis ipsis, juxta ipsius Constitutionis dispositionem, ipso jure**

jure, etiam presentis Canonis vigore privatus existat = consonatque pariter cap. 17. Sess. 24. de Reform.

Atque hinc constitutum esse sustinet Patronus, Cappellaniam, quam Episcopus Bacher obtinebat, per assecutionem Episcopalis Dignitatis vacasse, ad firmata per *Gonzal. in Decretal. lib. 1. tit. 6. Cap. Cum in Cunctis 7. §. 1. de Electione, Barbos. vot. 43. num. 3., & seqq., Rigant. ad Regul. Cancellor. regul. 1. §. 7. num. 3., De Nigris de vacat. Benefic. lib. 1. cap. 12. n. 2., & Rot. cor. Lancett. dec. 221. n. 1.*

Verumtamen memorati Sacri Canones, atque Tridentini Patres, & Canonistæ mox enunciatis loquuntur de Beneficiis Ecclesiasticis, eorumque duntaxat pluralitatem prohibent, non autem de laicali Cappellania, quæ tamquam non comprehensa sub Decreto Sacri Concilii Tridentini posse licite, valideque retineri tradit *Lambertin. de Jurèpatr. part. 1. lib. 2. quæst. 7. artic. 15. num. 15., Massobr. in præx. habent. Concurf. requisit. 7. dub. 17., & seqq. Barbos. ad Conzil. Trident. Sess. 24. cap. 19. sub numer. 8., declaravit Sacra Congregatio, ut habetur apud Garz. de Benefic. part. 1. cap. 5. num. 318., & in Biter. Ten. 6. Decembris 1721. in qua Ill. proposito Dubio = An id, quod procedit in retentione Beneficiorum, procedere etiam debeat in Legatis piis, & Cappellanis de jurè patronatus Laicorum in casu &c. = responsum fuit = Negative.*

Hanc tamen sententiam limitant iidem Doctores, dummodo scilicet Cappellania nullam requirat personalem residentiam, & non sit incompatibilis cum obtenta Dignitate, Parochia, vel alio residentiali Beneficio, quo casu Cappellania ab Episcopo Bacher retineri non possit. Porro ex duplici circumstantia conjici putat Patronus, Cappellaniam residentialem esse, & incompatibilem cum quocumque Beneficio, vel Dignitate residentiali, vimirum prima, quia Cappellanix Fundatores expressam imposuerunt Cappellano Legem per se ipsum celebrandi Sacra ad Altare S. Venerandæ Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi S. Elpidii ad Mare, quod præcisam residentiam importare definivit Sacra Congregatio in *Tudertina Cappellaniarum 25. Januarii 1738.*, cujus proposito Dubio = An Cappellanix, de quibus agitur, sint residentiales, ita ut Cappellani teneantur adimplere per seipsos onera à Fundatore præscripta in casu &c. = responsum fuit = Affirmative.

Incompatibilem ideo esse cum alia residentiali Cappellania decrevit Sacra Congregatio in *Senogallien. Cappellaniae* 6. Junii 1739., in qua proposito Dubio = *An constet de incompatibilitate duarum Cappellaniarum, de quibus agitur, ita ut sit factus locus vacationi utriusque, seu potius alterius, & quæ vacaverit in casu &c.* = fuit responsum = *Affirmativè ad primam partem, & alterutram ex Cappellaniis esse dimittendam = nec non cum Parochiali Ecclesia in Neapolitana Cappellaniarum quoad 1. Dubium* 14. Aprilis 1725., in *Aquilana Cappellaniae* 16. Maii 1733., & in *Lunen. Sarzanen. Cappellaniae* 23. Novembris 1743., cujus Dubio, quod erat = *An Cappellania Hospitalis Misericordiae Civitatis Carreriae sit incompatibilis cum Parochiali Ecclesia Loci de Fontina, & per Parochum retineri valeat in casu &c.* data fuit resolutio = *Affirmativè quoad primam partem, & negativè quoad secundam, & amplius = ac demum cum Episcopatu definitum fuit in Romana* 27. Januarii 1728., in qua proposito Dubio = *An Cappellania ad Scalas Sanctas sit incompatibilis cum Episcopatu Venusino in casu &c.* = prodiit responsum = *Affirmativè, & amplius.*

Et altera circumstantia est, quod mandarunt Fundatores, Cappellaniam vacare eo ipso, quoties Cappellanus Dignitatem Ecclesiasticam obtinuerit, cui innixus Patronus contendit, per promotionem Episcopi Bacher ad Episcopalem Dignitatem Cappellaniam vacasse juxta Fundatorum voluntatem non cummutandam *Consil. Trident. Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Quo posito, propugnat etiam Patronus, sustineri non posse nominationem novi Cappellani Sacerdotis Moretti factam à Confalonerio ex duobus rationum momentis; primo quia Sacerdos Moretti non residet in Oppido S. Elpidii, nec Sacra celebrat per se ipsum; & secundo, quia fuit à Confalonerio, cæteris neglectis Patronis, nominatus sub die 16. Decembris 1779.; & sic antequam vacaret Cappellania, nam illa vacare dicitur de jure communi non per simplicem Cappellani promotionem ad Episcopalem Dignitatem; sed per illius consecrationem, quæ fuit die 19. ejusdem mensis Decembris, & per Episcopatus possessionem adeptam die 24. dicti mensis, veluti firmant *Reinfestuel. jus Canonic. lib. 3. tit. 5. §. 11. num. 323.*, *De Nigr. de vacat. Benefic. lib. 1. cap. 12. num. 5.*, *Garz. de Benefic. part. 11. cap. 6. num. 5.*, & *Piton. discept. Ecclesiast. 135. num. 2. tom. 4.*; Proindeque Cappellaniam

niam esse adjudicandam Sacerdoti Peruccio, qui, ea verè vacata, & servatis omnibus tam de jure, quam ex voluntate Fundatorum, fuit nominatus, ut definivit Sacra Congregatio in *Maceraten.* 10. Julii 1728.

Hæc, & alia sunt in Libello à Sacerdote Perucci circumferendo. A suis Contradictoribus nihil habuimus. Gemina sunt Dubia ab Eminentissimis Patribus, perpensis juribus hinc inde dandis, definienda.

- I. *An per promotionem R. P. D. Bacher ad dignitatem Episcopalem vacaverit Cappellania Laicalis S. Bernardi Terræ S. Elpidii in casu &c. = & quatenus affirmativè.*
- II. *An sustineatur nominatio Sacerdotis Moretti, seu potius sit adjudicanda Cappellania Sacerdoti Peruccio in casu &c.*

*Sess. 7. cap. 6.
de Reform.*

FIRMANA UNIONIS. In Oppido Montis Fortini Firmanæ Diæcesis erat olim Conventus Patrum Ordinis S. Augustini cum adnexa Ecclesia eidem Sancto dicata, cujus erant onera celebrandi novem Missas qualibet Hebdomada, nec non annua quinque Officia Missarum quinque pro unoquoque Officio. Vigore Constitutionis san. mem. Innocentii X., quæ incipit *Instauranda*, plures in Firmana Diæcesi suppressi fuerunt Conventus, quos inter fuit etiam præfatus S. Augustini. Putavit tunc Firmanus Archiepiscopus, loco Patrum eligendum esse Cappellanum amovibilem, qui fructus omnes suppressi Conventus perciperet, adjectis oneribus, nimirum manutenedi Ecclesiam, & Conventum, audiendique Sacramentales Confessiones, nec non sex ex dictis novem qualibet hebdomada celebrandi Sacra, & adimplendi prædicta Anniversaria, seu quinque Missarum Officia, ac demum annuam solvendi pensionem scutorum viginti pauperrimæ Parochiæ S. Joannis ejusdem Oppidi cum onere Parocho adjecto reliqua tria celebrandi Sacra qualibet hebdomada.

Hanc Bonorum, reddituum, onerumque partitionem ab Archiepiscopo factam idem Summus Pontifex die 18. Aprilis 1653. approbavit, eamque exequendam esse, atque in Cancellariam Archiepiscopalem referri præcepit ad perpetuam rei memoriam. Cessata deinceps dicta pensione annuorum scutorum viginti, alter ab eodem Archiepiscopo nominatus fuit Cappellanus pro ejusdem
Eccle-

Ecclesiæ S. Augustini servitio, ita tamen ut à geminis Cappellanis ab Archiepiscopo nominatis simul cum Confratribus Confraternitatis sub invocatione S. Francisci de Paula ibi canonicè erectæ ab Archiepiscopo Borgia moxdictæ Ecclesiæ onera cum incremento Divini cultus, summaque Populis devotione, & concursu absolventur, & adimpleta fuerunt usque ad diem 11. Junii anni 1776., quo tempore cl. me. Cardinalis Paraccianus Archiepiscopus, instante Parochus, & Plebano Parochialis Ecclesiæ Plebanæ S. Angeli ejusdem Oppidi Montis Fortini dictam Ecclesiam cum suppresso Conventu S. Augustini cum omnibus illius fructibus, redditibus, & oneribus, remotis Cappellanis, univit moxdictæ Parochiali, & Plebanæ Ecclesiæ S. Angeli.

De hac unione conquesta fuit Communitas Montis Fortini, & de illius nullitate solemniter protestata est. Defuncto verò Archiepiscopo Paracciani sub die 12. Januarii sequentis anni 1777., eadem Communitas nomine totius Cleri, & Populi preces porrexit Sanctissimo Domino Nostro, postulavitque, ut, revocata Unione, Ecclesia S. Augustini ad suum pristinum Statum redintegretur.

Communitatis preces remissæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem. Fuit auditus modernus Archiepiscopus, qui retulit, vera esse in precibus exposita, retulitque, per factam Unionem maximum irrogatum esse præjudicium Divino cultui, Ecclesiæque decori, nec non Præsbyteris, Populo, ipsique Archiepiscopo, ideoque omnia esse in pristinum reducenda, utcumque Plebanus totis viribus validitatem Unionis sustineat.

Præ oculis habenda est Sacri Concilii Tridentini dispositio *Sess. 7. cap. 6. de Reform.*, in qua sancitur, quod Uniones = *quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitima, aut aliàs rationabilibus causis, coram Loci Ordinario, vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur, ac propterea, nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.*

Atque hinc contendit Communitas, unicam Unionis causam, quæ fuit ob angustiam ipsius Plebanæ Ecclesiæ, nec fuisse legitimam, nec rationabilem, dum justa, & rationabilis Unionis causa consistere debet in necessitate, aut utilitate Ecclesiæ ad *Textum in Cap. Exposuisti de Præben.*; in *cap. 1. de Reb. Eccl. non alien. lib. 6.*, *Barbof. ad Conc. Trid. Sess. 7. de Reform. cap. 6. num. 11.*,

& *Rebuff. tit. de Union. num. 38.*, proindeque iusta, & rationali causa deficiente, unio facta viribus subsistere non potest *Barbos. loc. cit. num. 12.*

Contendit pariter Communitas, unionem, de qua agitur, ad instantiam solius Plebani factam fuisse ab Archiepiscopo Paracciani, nulla servata forma Sacrosancti Concilii Tridentini *cit. Sess. 7. cap. 6. de Reform.*, in qua præcipitur, uniones faciendas esse ex legitimis, & rationalibus causis = *coram Loci Ordinario, vocatis quorum interest, verificandis* =, aliter = *per subreptionem obtentæ præsumantur* = & = *viribus omnino careant* =, nam unionis causa, nimirum ob angustiam Plebanæ Ecclesiæ nedum verificata non fuit, sed nec verificari potuisse sustinet Communitas, quia in omnibus Sacris Visitationibus illius ab Archiepiscopis factis ne verbum quidem de ejus angustia adnotatum fuit, quinimo in Sacra Visitatione expleta anno 1768. ab ipso met Archiepiscopo Paracciano mandatum fuit, in eadem Plebana Ecclesia = *expositionem SSñi Sacramenti in die Corporis Domini ibidem esse faciendam, & ab eadem Ecclesia, non vero ab aliâ inchoandam esse Processionem.*

Ulterius nec fuerunt vocati ideoque, nec consensum præstiterunt Cappellani, & Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ, cujus interest nominare Cappellanos, Sede Archiepiscopali vacante. Quibus requisitis, vel eorum aliquo, deficientibus, unio habenda est pro prorsus irrita, & invalida, uti per Textus expressos *in d. cap. Exposuisti 32. de Præb.*, & *in cap. Pastoralis 7. de Donat.*, tradunt *Reiffenstuel. in Jus Canon. lib. 3. tit. 10. §. 3. num. 71.*, & *74.*, *Piring. eod. loc. num. 211.*, *Garz. de Benef. part. 12. cap. 2. num. 202.*, *Barbos. de Offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 56. num. 16.*, maxime si per Unionem Tertio præjudicium illatum fuit, Sacra Congregatio *in Legionem Unionis 24. Aprilis 1723.*, *in Frisigen. Permutationis, seu Unionis 18. Junii 1735.*, *in Sabinen. Unionis 18. Septembris 1745.*, & *in Firmana Translationis, & Unionis 17. Julii 1779.*

Cætera legi poterunt in Libello Communitatis, & in Informatione Archiepiscopi in Summario Communitatis circumferenda. A' Plebano nihil hæcenus deductum fuit. Dubium est.

An sit servanda unio, de qua agitur, in casu &c.

SUTRINA : In Castro Triboniani Sutrinæ Diæcesis *Sess. 22. cap. 9. de Reform.*

quatuor existunt Loca Pia, quorum redditus cum inexactos invenisset cl. mem. Cardinalis Pamphilius tamquam visitator Apostolicus totius Sutrinæ Diæcesis, die 5. Decembris 1772. in Præfectum, Ratiocinatorem, & Exactorem dictorum quatuor Locorum Piorum pro illorum creditis inexactis tantum elegit Sacerdotem Bartholomæum Berti cum onere inter cætera reddendi rationem sui muneris anno quolibet Vicario Generali dictæ Sutrinæ Diæcesis. Verùm cum à Synodalibus Constitutionibus præscribatur, ut quidquid pecuniarum ex redditibus Locorum piorum exigitur in communi Arca deponatur, excepta summa scutorum quinque pro ipsorum usu ab illorum Officialibus retinenda, & non ultra sub pæna privationis ab Officio, ideoque Capsa constructa triplici Clave obserata fuit, una scilicet retinenda à Vicario Foraneo, altera ab Archipræsbytero dicti Castri, tertia demùm à memorato Locorum Piorum Præfecto.

Quamvis Sacerdos Berti onus haberet reddendi rationem suæ administrationis anno quolibet, hoc tamen onus numquam, ut asseritur, adimplevit, ita ut post plures annos eo vocato ad eam reddendam, exhibuerit tandem aliquando computum dati, & accepti suis cum juribus, & documentis, pro quorum examine, ac revisione deputati fuerunt gemini Canonici Cathedralis Sutrinæ Ecclesiæ, qui hanc rationum redditionem informem, illegalem, atque dolosam agnoverunt.

Recursum habuit Sacerdos Berti ad hanc Sacram Congregationem, ut sibi restituerentur libri, & documenta, quæ Curiæ Episcopali Sutrinæ exhibuerat, pro nova facienda redditione rationis jactans, se creditorem esse, non debitorem. Auditoque Sutrino Episcopo, retulit, Loca pia redacta esse in miserrimum statum, retulitque triccas, quibus usus fuit, ac utitur Sacerdos Berti pro effugienda redditione rationis gestæ ab eo Administrationis, attenda pecuniarum dispersione, fuitque in voto illum multandi suspensionis, & deinde privationis pæna, simul & condemnandi ad deponendum in Capsa quantum ex pecuniis exactis sibi condixerit.

Iterum rediit Bertus ad hanc Sacram Congregationem pro restitutione librorum, & documentorum pro reddenda ratione, rescriptumque fuit sub die 15. Januarii 1780. =

Citetur Pars = vi cuius in Contradictorio coram me habi-

to decrevi = *Salvis exceptionibus*, & sine præjudicio *jurium Partium* mandavit præstari Instanti commodum, & *patientiam per Curiam Episcopalem* inspiciendi *Libros gestæ administrationis Locorum piorum*, & *alia documenta ad rem facientia cum assistentia tamen Personæ per Rñum Episcopum*, seu ejus *Vicarium deputandæ*, & præfixit *terminum Instanti mensis unius ad effectum incipiendi redditionem rationis*, & *admisit instantiam loco protestationis hinc inde*.

Hoc non obstante Decreto, adhuc ratio à Berto reddenda est. Interea per Episcopum referata Capsa, nihil in ea depositum repertum fuit. Congregatis autem Confratribus Locorum piorum, ii per secreta suffragia ab administratione removerunt Sacerdotem Berti, eidemque Sacerdotem Josephum Parisium subrogarunt.

De hac Administratoris subrogatione conquestus est Bertus, porrexitque preces huic Sacræ Congregationi contendens, se à munere removeri non posse reddita nondum ratione, neque declarata dolosè gesta. Iterum requisitus Episcopus super novis precibus, præfixo termino unicuique Parti ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione.

Hæc etiam postrema Episcopi relatio datur in Summario Locorum Piorum, à quibus libellum habuimus, non autem à Sacerdote Berti. Ne itaque folium in volumen excrescat, neve fastidio simus Amplissimis Patribus, satis erit lectio libelli ab utraque Parte circumferendi, ut IV., quibus complexa hæc Causa est, hic subjecta controversiæ capita definiant.

- I. *An constet de legitima deputatione Præfecti, & Collectoris reddituum in exactorum quatuor Locorum piorum Terræ Triboniani in personam Sacerdotis Bartholomæi Berti in casu &c. = & quatenus affirmativè.*
- II: *An sit præservandus in collato munere dictus Sacerdos Berti, iia ut sint abroganda omnia, & singula acta gesta in præjudiciùm dictæ deputationis, & signanter nuperrima substitutio Sacerdotis Josephi Parisi in casu &c.*
- III. *An constet de redditione rationis actæ administrationis per ipsum Berti in casu &c.*
- IV. *An sit locus traditioni Syndicatoriæ, & restitutioni Librorum, ac Documentorum per Curiam Episcopalem rectorum in casu &c.*

Die Sabbathi 16. Martii 1782. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

D Ignabuntur Amplissimi Patres *Folium* postremæ Congregationis habitæ die 23. nuper elapsi mensis Februarii iterum consulere, ut tres, quæ in dicta Congregatione proponi non potuerunt, Causas nunc expediant.

- F** IRMANA CAPPELLANIÆ, cujus duo sunt Capita. *Sess. 7. cap. 4., & Sess. 25. cap. 5*
- I. *An per promotionem R. P. D. Bacher ad dignitatem Episcopalem vacaverit Cappellania Laicalis S. Bernardi Terræ S. Elpidii in casu &c. = & quatenus affirmativè.*
 - II. *An sustineatur nominatio Sacerdotis Moretti, seu potius sit adjudicanda Cappellania Sacerdoti Peruccio in casu &c.*

Ad I. Affirmativè: Ad II. affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & ad mentem, & mens est quod præfigatur Sacerdoti Moretti terminus duorum mentium, ut accedat ad S. Elpidium ad celebrandum per se ipsum.

F IRMANA UNIONIS, cujus dubium est.
An sit servanda unio, de qua agitur in casu &c.

Sess. 7. cap. 6. de Reform.

Negativè, & Archiepiscopus utatur jure suo contra Parochum pro refectione damnorum Ecclesiæ illatorum.

Sess. 22. cap. 9.
de Reform.

- S**UTRINA, casus IV. Dubia sunt.
- I. *An constet de legitima deputatione Præfetti, & Collectoris reddituum inexactorum quatuor Locorum piorum Terræ Triboniani in personam Sacerdotis Bartholomæi Berti in casu &c. = & quatenus affirmativè.*
 - II. *An sit præservandus in collato munere dictus Sacerdos Berti, itaut sint abroganda omnia, & singula acta gesta in præjudicium dictæ deputationis, & signanter nuperima substitutio Sacerdotis Josephi Parissi in casu &c.*
 - III. *An constet de redditione rationis actæ administrationis per ipsum Berti in casu &c.*
 - IV. *An sit locus traditioni Syndicatoriæ, & restitutioni Librorum, ac Documentorum per Curiam Episcopalem retentorum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè : Ad II. Negative : Ad III. Negativè : Ad IV. Vicarius Capitularis præfigat terminum Berto ad reddendam rationem, eique præstet commodum inspiciendi documenta juxta decretum D. Secretarii, & successive pronunciet Sententiam Syndicatoriam.

Sess. 24. cap. 3.
de Reform. Ma-
rim.

ROMANA, SEU COMEN. SPONSALIMUM. Speciem hujus Causæ, ejusque jura luculenter dedimus in Folio Congregationis diei 24. Novembris superioris anni 1781., quod fuit impressum Tom. L. Theſ. Resol. Sac. Cong. Concil. pag. 162., & seqq., à quo illa repetenda sunt. Gemina ea die proposita fuerunt Dubia, I. *An constet de Sponsalibus, ita ut sustineatur impedimentum appositum libertati Jacobi Antonii Camanù in casu &c. = & quatenus affirmativè.* II. *An sit locus coactioni in casu &c. = quibus Eminentissimi Patres responderunt = Ad I. Affirmativè. Ad II. Affirmativè arbitrio Episcopi, quem admodum habetur ex dicto Tom. 50. pag. 167.*

Interim nunc duo hæc Capita in quæstionem revocantur; poteruntque Patres Amplissimi, perspectis rationibus datis in dicto Folio Congregationis diei 24. Novembris, atque

atque iis, quæ à Partibus in Libellis proponentur, respondere.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

Ad I. Indecisis, & amplius: Ad II. Indecisis & amplius, & ad mentem.

CERVIEN. A Civitate Cerviæ quatuor circiter milliaribus distat Villa Castilionis, in qua unica tantum adest Parochialis Ecclesia certis limitibus circumscripta Divo Antonio Abbati dicata, cui Populus dictæ Villæ subjicitur. Jus autem nominandi ad nutum amovibilem Parochum dictæ Ecclesiæ habet Archidiaconus Cathedralis Cervienfis Ecclesiæ, eoque ad Episcopum præsentato, ad illius favorem, prævio examine, expediuntur collationis Bullæ, adjecta clausula, ut ille, inconsulto Episcopo, amoveri non possit; Parochus verò plenariam Animarum curam, omniaque Parochialia munia, ut cæteri Parochi, semper exercuit, & exercet adhuc independentem tum à Cathedrali Ecclesia, tum ab illius Archidiacono.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

Parochialem hanc Ecclesiam nunc possidet Sacerdos Joseph Rogonesi, quem laudat Episcopus, & de ejus moribus, doctrina, pietate, & idoneitate ad gerendam Animarum curam summo perè gratulatur. Geminis retro annis rumor per Populum dictæ Villæ serpere cæpit, quòd esset Paschale præceptum adimplendum in Cathedrali, non autem in propria Parochiali Ecclesia S. Antonii Abbatis ejusdem Villæ, eo innixus supposito, quòd hæc Ecclesia adnexa sit Cathedrali, ipsiusque Archidiaconus verus sit Parochus Ecclesiæ sæpeditæ Villæ, & reapse plures fuerunt Parochiani, qui Paschali tempore duorum præterlapforum annorum, propria derelicta Parochia, ad Cathedrali accèsserunt. Verum cum is rumor adeo increverit penes Populum dictæ Villæ, ut Parochus valde timeat, omnes, vel fere omnes Parochianos suos ad Sacram sumendam Synaxim hoc imminente Paschali tempore accessuros esse ad Cathedrali, ideo preces porrexit huic Sacræ Congregationi, ut. quod expediens sit pro Animarum salute, ac pro securitate propriæ Conscientiæ, declaretur.

Litteræ pro informatione, & voto datæ fuerunt Cervienfi Episcopo.

Episcopo, qui retulit, vera esse, quæ in precibus Parochus exposuit: Putat autem, authorem præfati rumoris esse ipsum met Archidiaconum simul cum aliis, quibus invisus est Parochus, itaut nec etiam Paschali tempore eum agnoscere vellent = quia admodum sollicitum in vitiis arguendis, & divino cultui promovendo nimis studiosum vident.

Votumque suum aperuit his verbis = Ego in eo sum sensu, ut nihil innovetur, & à Sacra Congregatione declaretur, non satisfacere Paschali præcepto illos, qui ad Ecclesiam Parochialem Castilionis non accedunt. Plures ex hoc utilitates procederent. Nam animositas contra Parochum cessaret, omnis fraudibus occluderetur aditus, ne quis requisitus an Sacra Synaxi in Paschate refectus sit prætexere valeat, id à se Cervicæ factum esse. Nec satis huic malo occurrere quis possit, si reponat Schedulam adimpleti Præcepti exhibendam esse, nam ut aliquis alicui gratum faceret, posset Cervicæ, & in Ecclesia sua Parochiali communionem sumere, ac utrobique Schedulam accipere, & ex iis unam alteri non communicanti tradere. Quod sane contingere non poterit, si omnes à suo Parocho Eucharistiam sumant, schedulamque ab ipso recipiant. Id præteritis temporibus semper factum est, & nunc secundus est annus, ex quo secus fieri cæptum est.

Contra jus agere videtur Archidiaconus contendens Homines Villæ Castilionis Paschali tempore ad Cathedralē Ecclesiam accedere debere; Nam dispositione cognitissimi Textus in Cap. Omnis utriusque sexus de Peniten., & Remis. quam confirmavit Tridentini Decretum, statutum est, ut recurrente singulis annis Paschali tempore, teneantur omnes propriam Parochiam adire, ibique manu Pastoris sui Sanctissimum Christi Corpus sumere, ut ita propriam recognoscant Matrem, nec ad ullam aliam Ecclesiam divertere possint.

Quinimo Parocho vetitum est, ne Sacramenta ministrare præsumat Parochianis alterius Paræciæ ex Can. Ecclesias 13. quæst. 1., cui cohæret Anaclet. in jus Canon. lib. 3. tit. 29. num. 3. in fin., Franch. de Eccles. Cathedr. cap. 19. num. 118., Scarfant. ad Ceccoper. tom. 3. Addit. 39. n. 56. & Ricciardel. in Licæo Eccles. cap. 13. §. 2. num. 88., in fin.; ubi etiam refert Resolutionem Sacræ Congregationis Rituum in Novarien. 12. Junii 1627.

Atque hinc licet nonnulli ex Canonistis afferant, Cathedralē Ecclesiam esse Parochiam totius Civitatis universalem; itaut

ita ut quilibet adire possit Cathedralē pro Præcepti Paschalis satisfactione etiam absque proprii Parochi licentia, communis tamen sententia est, id locum habere in ipsa met Civitate, non autem à contermina Terra, vel Oppido, vel Villa ad Cathedralē, ac ubi nulla in Civitate, vel Terra, vel Oppido facta fuerit Parochiarum separatio, & divisio, quam fieri præscripsit relatus *Can. Ecclesias*, secus autem res procedere videtur in Villa Castilionis, quæ suam habet Parochialem Ecclesiam, cui assignati fuerunt certi fines, certus Populus, certusque Parochus, qui Parochialia munia semper exercuit private quoad Cathedralē, & Archidiaconum, & semper etiam Villæ Parochiani pro Præcepti Paschalis adimplimento accedentes ad Parochialem Ecclesiam dictæ Villæ Sacram Synaxim è manibus Parochi sumpserunt, ac ita, & non aliter fieri, & observari debere sancivit Sacrum Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 13. de Reform. versus fin. vers. In iis quoque Civitatibus, Fagnan. lib. 5. Decretal. ad idem. cap. Omnis num. 55. & seq., latissimè Pignatel. tom. 7. consult. 89. per tot., & in specie à n. 12. ad fin., & Paninol. tom. 3. decis. 161. à n. 1. ad 15.* Sacra Congregatio quoties super hac re fuit interrogata, toties respondit, pro adimplendo Paschali Præcepto in propria Parochia, non autem in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, prout in *Neapolitana Decretorum 29. Februarii 1744. al I. Dubium, in Avenionen. 12. Septemb. 1750. ad III. Dubium, & in Faventina 29. Novembris 1777.*, in qua proposito Dubio = *An liceat Centum Pacificis Civitatis Faventinæ sine licentia proprii respectivè Parochi, adimplere Præceptum Paschale in Cathedrali Ecclesia dictæ Civitatis, seu potius dictum Præceptum Paschale sit ab eis adimplendum in eorum propria respectivè Parochia in casu &c.* = responsum fuit = *Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.*

A Sacerdote Josepho Rogonesi Villæ Castilionis Parocho jura circumferuntur. Ab Archidiacono Cathedralis Cerviæ nihil habuimus. Quæritur.

An Parochiani Villæ Castilionis teneantur adimplere Præceptum Paschale in Parochiali Ecclesia S. Antonii Abbatis dictæ Villæ, seu potius in Ecclesia Cathedrali Cerviæ in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.

FERENTINA VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Litteris datis Sac. Congregationi occasione Visitationis Sac. Liminum R^mus Episcopus Ferentinus narrat EE. VV. inmemorabilem in sua Diœcesi morem invaluisse = *Ut quoties Episcopus illam visitans a Locorum Communitatibus sit requisitus ad ministrandam confirmationem, septem ei scuta, aut paulo majorem alicubi summam offerunt, vel, ut opinor, procurationis nomine, vel loco cereorum, quos in finitimis huic Diœcesibus Infantium Patrini Episcopo Confirmationis Sacramentum ministranti solent offerre = Fatetur = Ex dispositione Taxæ Innocentianæ, & ex Sac. Congregationis Decretis ne quidquam a quoquam posse a Ministrante hoc, sive aliud Sacramentum intuitu, & causa illius accipi absque Simonie labe, vel Populi offensione, aut saltem Sacri Ministerii vituperatione.*

Advertit tamen = *Quòd si alia ratione, quam nomine, & titulo administrationis Sacramenti, puta Procurationis, aut loco Cereorum, sponte, & ex usu a Communitatibus Locorum Episcopo Visitationis occasione Confirmationem ad illarum repetitionem ministranti quidquam offeratur, ut in hac mea Diœcesi scuta septem, aut alicubi paulo major summa, nil mali id mihi præferre videtur, quo in sensu, & istam Sac. Congregationem licitum Episcopo eadem in occasione reputasse acceptationem summx consuetudine præscriptæ judicarem, dum die 24. Aprilis 1655. Episcopo Minervino respondit, supposita consuetudine, Episcopo esse solvenda ab Universitate Montis Leonis scuta duodecim occasione administrationis Sacramenti Confirmationis.*

Addit præterea = *Hoc motivo ductus visitans Diœcesim, & requisitus a Locorum Communitatibus ad ministrandam Confirmationem ab eis non coactè, sed spontaneè ex vetusta consuetudine dicta scuta septem, aut pro locorum usu paulo majorem summam habui, & accepi quidem, ne jura Episcopalia læderem, sed ea statim distribui, seu Pauperibus iisdem in Locis, in quibus illa recepi = Demum concludit = Praxim hanc num tuta conscientia antehac servare potuerim, & in posterum retinere valeam ab EE. VV. pro earum benignitate, & sapientia responsum mihi reddi obsequenter exoro.*

Cautum semper in Ecclesia fuit, ut à Sanctuarii Ministris omnis avaritiæ species arceretur, & Spiritus Sancti dona, quæ gratis data sunt absque ullo pretio, pactione,
vel

vel contractu Fidelibus distribuerentur; Hinc pluribus Apostolicæ Sedis sanctionibus coercita est quorundam cupiditas, qui aliquod spirituale, aut spirituali adnexum venale facere, vel pecunia possidere autumabant, gravissimæque pœnæ inflictæ, & irrogatæ in eos, qui excessus hujusmodi patrare ausi fuerint: Missis, quæ ad casum præsentem non pertinent, præstat animadvertere quanta cura, & diligentia insteterint Summi Pontifices, ne in Sacramentorum administratione quid minimum perciperetur: *In Cap. Cum Ecclesia 9. de Simonia = Sic statuitur = Ne igitur de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel Sacerdotibus institutendis, aut sepelliendis mortuis, benedicendis iubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis aliquid exigatur districtius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire, præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum =*

Loquendo verò de administratione Sacramenti Confirmationis *Cap. Quidquid invisibilis 101. caus. 1. quæst. 1.* præcipitur, ne quod invisibilis gratiæ consolatione tribuitur, quæstibus, vel quibuslibet præmiis vendari penitus debeat, & sub gravissimis pœnis vetitum est pecuniam recipere pro baptizandis, consignandisque Fidelibus, aut collatione Chrismatis, vel promotionibus graduum, & in *Cap. 105. dicta caus. 1. qu. 1.* habetur = *Dictum est solere in quibusdam locis perceptione Chrismatis nummos dari, similiter pro Baptismo, & Communione: Hoc Simoniacæ hæresis semen detestata est Sancta Synodus, & anathematizavit, & ut de cætero, nec pro ordinatione, nec pro Chrismate, vel Baptismo, vel pro Balsamo, nec pro Sepultura, vel Communione quidquam exigatur, statuit, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.*

In *Taxa jussu san. mem. Innocentii XI. edita, & ab eodem Pontifice die 1. Octobris 1678. probata, ubi firmatur quæ emolumenta exigì possunt a Curiis Episcopalibus pro causis Ecclesiasticis, inter alia præfinitum fuit = Per una regola generale da non soggiacere a limitazione alcuna; il Vescovo, o altro Prelato, suo Vicario Generale, o particolare, Cancelliere, o qualunque altro Officiale, Ministro, e Familiare, anche sotto nome di mancia, o volontario donativo, non potrà esigere, e ricevere emolumento alcuno, così in denaro, come in qualunque altra cosa in tutto quello, che riguarda l'amministrazione de' Sagramenti del Battefimo, della Cresima, della Penitenza, dell' Eucaristia, e dell' estrema Unzione = Quodque ab*

omnibus indistinctè observari injunctum est, abrogata penitus quacumque contraria consuetudine = *che deve dirsi reprobata, ed illecita* = Ex quibus inferunt Doctores, & præsertim = *Fagnan. in cap. Venerabili de censibus num. 19. Barbosa ad Concil. Trid. Sess. 24. cap. 3. de reform. num. 20. Nicol. Elucubr. Can. lib. 1. art. 15. §. Episcopus*, aliique, quòd Episcopi decedentes ad Oppida Diœcesis, sive occasione Visitationis, vel ut conferant Confirmationis Sacramentum, non possunt a Parochis, neque a Populo aliquid exigere pro administratione hujus Sacramenti.

Hanc Sententiam secutam fuisse Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium in *Ariana* 16. Junii 1636. sustinet *Ferrarius verbo Confirmatio art. 2. num. 25.*, immo eodem in loco *num. 23.* tuetur dictam Sac. Congregationem die 15. *Maii* 1582. declarasse, quòd alienus Episcopus conferens Sacramentum Confirmationis, debet ab Episcopo Diœcesano provideri de iis omnibus, quæ ad iter peragendum, & ad victum necessaria sunt; Et *num. 24.* affirmat, die 25. *Januarii* eandem Sac. Congr. statuisse, quòd quando Ordinarius extra Visitationem illustrat Diœcesim ad consecrandam, vel reconciliandam Ecclesiam, aut Sacramentum Confirmationis ministrandum neminem cogere potest ad subministrandas expensas, neque pro Equis, neque pro Victualibus.

Perquisitis registris hujus Sacræ Congregationis, eruitur, quòd in *Bojanen.* inter alia datum fuit *num. 6.* sequens dubium = *An Episcopo accedenti ad conferendum Sacramentum Confirmationis teneantur Universitates præstare Victualia, seu Procuraciones* =, & die 14. *Novembris* 1654. = responsum est = *Non esse subministranda Victualia, nisi concurrat consuetudo legitime præscripta* = lib. 19. *Decret. pag. 428.* = In *Minerbien.* cum quæsiisset Episcopus = *An juxta consuetudinem antiquissimam Episcopatus Minerbien. sint solvenda ab Universitate Montis Leonis scuta duodecim ipsi Episcopo pro Victualibus occasione administrationis Sacramenti Confirmationis* = Die 24. *Aprilis* 1655. Sac. Cong. respondit = *Supposita consuetudine, Episcopo esse solvenda dicta scuta duodecim pro Victualibus occasione administrationis Sacramenti Confirmationis* = *dict. lib. 19. Decret. pag. 452.*

Vèrum postquam promulgata est *Taxa Innocentiana*, existimant *Monacellus part. 1. tit. 5. form. 2. num. 23.*, & *Card. Petra ad Constit. 14. Innocentii IV. num. 75.*, & 76, non licere Episcopis dum per Diœceses suas Sacramentum Confirmationis ministrant exigere distinctam Procurationem.

rationem ab ea, quæ pro Visitatione percipi solet, nec juvari posse præsidio decisionis editæ in dicta Minerbien., cum per Taxam a san. mem. Innocentio XI. evulgatam sublata fuerit quæcumque contraria consuetudo, in qua potissimum nitebatur casus dictæ Resolutionis; Et revera in una Amalphytana instante Clero, & Populo, plura Sac. Congregationi discutienda proposita sunt, & præsertim Dubium II. = *An occasione dictæ administrationis Sacramenti Confirmationis in Visitatione Archiepiscopus potuerit, & possit in futurum Procuracionem ab Universitatibus laicis exigere, & an exactas restituere teneatur*, Die 18. Julii 1699. responsum prodiit = *Negative ad primam partem, & affirmative quoad secundam a die habiti recursus* = lib. 49. *Decretorum fol. 252.* = , & re-proposita Causa die 6. Februarii 1700., perlitum fuit in decis lib. 50. *Decret. pag. 35.*

Hinc sequi videtur, quod Episcopi debent sedulò invigilare, ut hujusmodi Sacramentum tempore Visitationis conferant *Monacel. dicta part. 1. tit. 5. for. 2. num. 20 Card. Petra ad dictam Constitutionem 14. Innocentii IV. nu. 72.* Sac. Cong. in *Sabinen. 13. Novembris 1638.* decrevit, *Episcopo accedenti ad Sacramentum Chrismatis conferendum Victualia minime deberi, sed fieri posse tempore Visitationis* = lib. 16. *Decret. pag. 116.*, & in dicta Amalphytana ad primum Dubium = *An Archiepiscopus teneatur saltem occasione Visitationis administrare Sacramentum Confirmationis in locis suæ Diœcesis, quæ visitat* = eadem die 18. Julii 1699. prodiit responsum = *Affirmative* = Quibus auctoritatibus nixus dictus *Card. Petra loco citato num. 76.* tuetur, quod si Episcopus extraordinariè a Populo vocetur pro hoc Sacramento administrando extra Visitationem, quam ipse non omisit, possit ab Universitatibus locorum procuracionem percipere, quia tunc esset actus necessarius.

Hæc sunt, quæ adnotanda duxi, vestrum erit EE. PP. definire.

An liceat Episcopo Ferentino occasione Sac. Visitationis exigere Procuracionem a Communitatibus suæ Diœcesis ex causa administrationis Sacramenti Confirmationis etiam vigore immemorabilis consuetudinis in casu &c.

Non proposita cum sequentibus .

FULGINATEN. TRANSLATIONIS PAROCHIAE.
Non longe ab urbe Fulginei Montium, & Collum alpestrium corona oculis obicitur, quibus insidet elata Parochialis Ecclesia S. Joannis Baptistæ nuncupata in Pago *Cuppoli*. Intra limites ipsius Parochiæ tres alii Pagi ipsi subiecti, & cujus partem faciunt, conspiciantur videlicet, *Cancelli*, *Civitella*, & *Malupo*. Termille passuum ambitu aspero, & pro maxima parte impervio circumscribitur Parochia, quæ triginta sex familias numerat, quarum septem *Cuppoli* morantur, sexdecim Pagos *Civitelle*, & *Malupo* incolunt, reliquæ tredecim *Cancellis* inhabitant. In parte remotiori, & populo magis incommoda reperitur nunc Parochia, unde hyemali præsertim tempore, & ex distantia locorum, & ex asperitate viarum alpestrium, & præruptarum adeo difficilis est accessus, ut & Parochus suis ovibus præsto esse nequeat earum in spiritualibus indigentis, ita ut multi, & recenter duo decesserint sine Sacramentis; & Parochiani præsertim incolæ *Civitelle*, & *Malupo* neque Verbi Divini prædicatione, neque Sacramentis reficiantur. Hac de causa magno animarum detrimento multa oriuntur scandala, nimirum, quòd alii præcepto audiendi Sacrum non satisfaciant, alii verò inter ebrietates, & crapulas dies festos terant in caupona, quæ extat prope Sanctuarium *Cancelli*, quod in causa est ut in præcipuis Fidei Mysteriis rudes depræhendantur nedum adolescentes, verum etiam & adulti.

Ministerii autem sui debito provide occurrere cupiens modernus Parochus Orator Emmanuel Torrejoni translationem ab Eminentis Vestris efflagitat exercitii jurium Parochialium a Pago *Cuppoli* ad Pagum *Cancelli*, ubi ornatum, & amplum visitur Templum sub invocatione Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli erectum usque ab anno 1751. ex piis Fidelium largitionibus, qui ex omnibus Italiæ regionibus illuc confluunt, ut Signo Crucis, & Beatorum Apostolorum invocatione morbo Ischiadis vulgo *Sciatica* liberentur, cum ex antiquissima traditione pie credatur, nonnullos *Cancellenses* Beatos Apostolos domi excepisse, & eorum descendentes singulari hoc donatos fuisse privilegio.

Enunciatæ translationis consilio consulitur mox relatis incommodis. Cum enim Sanctuarium *Cancelli*, veluti in centro Parochiæ existat, ut patet ex schemate topographico, Parochus commode prospicere poterit, reficere,

cere, & continere gregem ipsius Pastoralis solertiae concreditum. Pertimescendum amplius non erit, quod sæpè sæpius Ecclesia suo viduata sit Pastore, uti pluries accidit, & ipsi etiam moderno Episcopo, qui post sex menses tantum precibus obtinuit, quod hodiernus Parochus curam assumeret. Templum erit decentius, & pro sua amplitudine ad recipiendum populum magis commodum. In profanos usus, vel in privatum Cancellensium commodum magno cum dedecore oblationes, & elemosynæ peregrinorum non convertentur, & piæ Fidelium voluntates proprio minime effectu fraudabuntur, ut in præteritum contigisse asserit Episcopus, neque sine Sacrosancti Sacrificii, & Sacramentalis Confessionis beneficio peregrini discedere cogentur. Parochialis Ecclesia pinguiorem habebit censum tenuem præsentem redditum parum excedentem, & cum ipso augmento congruam non attingentem, ut eruitur ex calculo ab Episcopo in sua secunda informatione exhibito, ubi necessitatem residendi Parochum *Cancellis* comprobans hæc profert: *Jam, hæc aliaque Episcoporum Decreta irrita semper erunt ob Cancellorum rusticam pravitatem, pervicaciamque, neque huic unquam malo mederi poterò sine Parochi præsentia, & mora in Cancellis.*

Hanc porro translationem impugnant habitatores *Cancelli*, & *Cuppoli*, sed non omnes. Primi nempe Cancellenses ait Episcopus, quod eos tædeat mortuos suos relinquere in *Parochiali Ecclesia Cuppoli*, ubi sepulti sunt. Secundi verò nempe Cuppolenses duabus ex causis dissentiunt. I. quia sunt in possessione Ecclesiæ Parochialis eò quia specialem dicunt se profiteri devotionem erga Sanctum Joannem Baptistam Ecclesiæ Titularem, *Incolæ autem Malupi, & Civitellæ*, prosequitur Episcopus, omnes uno ore mirum in modum letantur, & approbant petitam translationem, ex quo si Parochialis Ecclesia transferatur ex *Cuppoli* ad *Cancellos* non amplius diebus festis, quibus ne *Campanam* quidem vocantem ad *Missam* audiunt propter distantiam, periclitabuntur *Missæ Sacrificio* præsertim in hyeme, cum propter copiam nivium viæ sint imperviæ, neque verbo Dei, quo præsertim pueri admodum rudes instruantur elementis Fidei, neque administratione Sacramentorum privabuntur, neque Parochi assistentiam tam facilem desiderabunt in articulo mortis, quam nuper duo *Christi Fideles* oppetierunt sine ejus ultima assistentia ob so-

lam

lam distantiam a cura , cum mortui sint eo tempore , quo vocatus Parochus accurrebat .

Comprobat tamen Episcopus , favetque instantiæ Oratoris . *Vix enim , sunt ipsius verba , aut ne vix quidem a meis antecessoribus , & a me inveniri potuit , qui onus Parochiæ Cuppoli ultro susceperint propter locorum distantiam , & asperitatem in summa præsertim hyeme propter incommodum administrandi Sacramenta etiã in articulo mortis , & verbum Dei suis ovibus spiritali pabulo maxime indigentibus , propter extremam Rusticorum Parochianorum egestatem , qui in solo labore manuum , & vultus sudore vitam trahentes non nisi cum gravi rei familiaris incommodo possunt pro rata conferre pecuniam ob manutentionem Ecclesiæ Parochialis , quæ nullo omnino pro fabrica reddito gaudet . Hinc factum est , ut tres antecessores Parochi curam ipsam renuntiaverint , & initio mei Episcopatus totos sex menses a publicatione concursus , nemo omnino hanc curam petierit , & Parochus actu exercens , natione exterus , non nisi a me enixe rogatus , & ob animarum zelum onus curæ susceperit . Hæc incommoda certò tollerentur propter solam hanc translationem ; nam constituta Parochiali quasi in centro totius Parochiæ , Episcopus magnis animi angustiis liberabitur in querendis Parochis , qui ultro se se offerent . Hæc autem omnia (concludit Episcopus) facile me movent ad assentiendum Zelantis Parochi petitioni , utpote quæ directæ ad majorem domus Dei decorem , illiusque populi spiritualem salutem , & commoditatem .*

Præoculis habendum est , disceptari de simplici translatione jurium Parochialium in spirituale levamen majoris partis populi , quam ratione asperitatis viarum , & incommodi accessus , uti utilem , & necessariam suadet *Can. Ecclesiasticas 16. quæst. 7. ibique Glossa , & Lanus allegat. 19. n. 1. ,* uti etiam ratione decentiæ , & commoditatis novæ Parochialis juxta tradita *per Rebuff. in prax. Benefic. lib. 1. tit. de transl. Episc. num. 7.* pluries translationem denegavit Sacra Congregatio , alicujus , qui interesse habebat , deficiente consensu , maxime tamen si per translationem tertio præjudicium inferatur , ut definiit *in Arimin. Translationis Cappellaniæ 20. Decembris 1732. , in Neapolitana Commutationis voluntatis 7. Februarii 1733. , in Panormitana Translationis oueris Missarum 26. Septembris 1739. ,* quod præjudicium tamen ve-

rendum non videtur ex præfenti translatione, cum nullus adfit, vel Patronus, vel Beneficiatus. Neque alio medio Canonico, uti per deputationem Cappellani Curati consuli potest, eò quia populus alimenta præstare nequeat propter extremam, qua premitur, egestatem, quo in casu Sacra Congregatio translationem pluries indulgit, etiamsi nonnulli ex Parochianis dissentirent, ut in *Nicien. Translationis* 12. Decembris 1705., in *Amerina Translationis Parochialis* 8. Maii 1706., in *Firmana Translationis Parochialitatis* 27. Februarii 1734., & signanter in *Mediolanen. Translationis Parochialitatis* 3. Aprilis ejusdem anni.

Ex juribus itaque ab utraque parte circumferendis assuetam maturitate, & justitia dignabuntur Eñi Patres judicare.

An sit locus translationi Parochialitatis ab Ecclesia S. Joannis Villæ Cuppoli ad Ecclesiam SS. Apostolorum Petri, & Pauli Villæ Cancelli in casu &c.

A NCONITANA MISSARUM. Testamento, quòd *Sess. 25. cap. 4. de Reform.* mense Junii anni 1627. condidit Sacerdos Cæsar Nicolucci Anconitanus, Legati titulo reliquit Archiconfraternitati S. Rocchi dictæ Civitatis annum Censum in sorte principali scutorum Centum unà cum fructibus decursis, & decurrendis ad totam diem 10. sequentis mensis Augusti in scutis sexdecim, onere tamen adjuncto = quòd ipsa Ven. Confraternitas teneatur, & obligata sit quolibet anno in perpetuum in ejus Ecclesia celebrare facere unum Officium Defunctorum cum duodecim Missis die ejus obitus = nec non = teneatur, & obligata sit eadem Ven. Confraternitas celebrare facere qualibet hebdomada in perpetuum in dicta Ecclesia unam Missam Defunctorum.

At verò quo fænore dicta scuta centum in singulos annos collocata fuissent, penitus ignoratur; scitum tamen est, censuales redditus ea ætate fuisse longe majores illis, qui post Innocentianam Constitutionem percipiuntur, ideoque præsumi recte potest, fructus Legati Censuum tunc satis fuisse pro præscriptorum onerum adimplemento.

Hæc Missarum celebratio juxta præceptum Testatoris adimpleta fuit ab Archiconfraternitate usque ad annum 1768., tempore Pastoralis Visitationis, adnotatumque legitur

tàm in Codice , quàm in Missarum Tabella = *quest' obli-
go* , (cioè di una Messa alla Settimana) è cessato = ita
ut ab eo tempore usque ad præsens Archiconfraternitas
onus duntaxat duodecim Missarum die 3. Julii cujusvis
anni adimpleverit .

Verumtamen cum eadem Archiconfraternitas hodie urgeatur à Curia Episcopali , ut adimpleat etiam hebdomadalem Missam tàm quoad præteritum, ab anno scilicet 1768., quàm quoad futurum , preces proinde porrexit Sacratissimo Principi pro absolutione quoad præteritum , attenta bona fide , in qua steterunt hæctenus Confratres virtute dictæ adnotationis , & quoad futurum pro Missarum oneris reductione .

Ablegatisque precibus huic Sacræ Congregationi , auditus de more fuit Eñus Anconitanus Antistes , qui retulit , Sortem Legati Censuræ à Debitoribus restitutam unâ cum fructibus dictorum scutorum sexdecim in Legato comprehensis investitam postremò fuisse in emptionem Domus , quam Archiconfraternitas acquisivit soluto pretio scutorum biscentum quinquaginta , eandemque Domum , *antequam resciretur eam oneri obnoxiam esse* , venditam fuisse pretio scutorum tercentum, assumpta per Emptorem obligatione , donec conventum numeretur pretium solvendi fructus recompenfativos ad rationem annuorum scutorum quatuor pro quolibet centenariò , ita ut , servata arithmetica proportione, pecuniarum fors ad Missarum Legatum pertinens , attento augmento pretii Domus in venditione retracto , nunc sit scutorum centum triginta trium , & obulorum octoginta quatuor cum dimidio , redditus verò , eadem servata proportione, sint annuorum scutorum quinque , & obulorum triginta quinque .

Addit Eminentissimus Episcopus , his redditibus alias celebrari non posse , quàm in annuo numero Missas triginta & unam ad rationem obulorum septemdecim pro quolibet Missa juxta taxam in Concilio Romano pro perpetuo , & quotidiano Missarum onere assignatam ; censuitque , illarum duodecim die 3. Julii , ut Testator mandaverat , celebrandas esse , reliquas verò novemdecim Missas certis diebus per annum designandis .

Concludit denique his verbis = *Ego tamen easdem Missas ad tricenarum numerum esse adhuc redigendas existinarem , tum quia pro duodecim illis una die celebrandis majus procul dubio , quàm unius julii stipendium præstandum erit,*

erit, quippe cum tanta hic sit Missarum manualium copia, ut difficillime inveniantur Sacerdotes, qui pro eleemosyna juxta synodalem taxationem statuta ad Sacrificia præfinito peragenda conveniant, tum quia si quando scuta trecenta, quæ dixi, in alio fundo acquirendo insumenda erunt, fieri ægre poterit, ut fructus par, atque hodie, ex eo percipiatur, ne interim de eventibus sermonem faciam, quibus ejusmodi Fundi obnoxii sunt. Et ejusdem Legati modus hac profecto ratione in posterum tempus locum habere posse videtur. Decernent autem E.E. VV. singulari sapientia sua, mereat nec ne supplex Archiconfraternitas, ut saltem juxta eundem modum vel in totam, vel ex parte neglectæ satisfactionis absolvatur.

Agitur enim de reducendo Missarum onere, quoniam perdifficile est, quòd cum hodiernis annuis redditibus scutorum quinque, & obulorum triginta quinque annua celebrentur Sacra sexaginta quatuor, nimirum una in qualibet anni hebdomada, & duodecim die Anniversarii Testatoris, scilicet die 3. Julii cujuslibet anni. Et quamvis Sacra Congregatio sæpissimè decreverit, Missarum reductionem faciendam esse juxta quantitatem reddituum ad rationem eleemosynæ manualis, inspecto Regionis more, detractis Utensilibus, ut in Romana 27. Februarii 1717., in Fulginaten. 26. Martii 1718., in Perusina, seu Civitatis Plebis Cappellaniæ 27. Junii 1733., in Celsonen. Reductionis Missarum 1. Martii 1777. quoad I. Dubium, & in Romana, & Messanen. 16. Januarii 1779.

Erit tamen examinandum, an, attenda maxima Missarum manualium copia, uti refert Eius Episcopus, nullus inveniri Sacerdos possit, qui pro hac eleemosyna Sacrum celebret præsertim quoad illa duodecim die 3. Julii celebranda, & hinc augenda sit ultra manualementem, ut definitum fuit ab hac Sacra Congregatione in Syracusana Missarum 10. Martii 1759. quoad I. Dubium sic conceptum = An sit locus reductioni Missarum, & respectivo augmento eleemosynæ, & qua quantitate in casu &c. = cui fuit responsum = Affirmative pro reductione. & pro augmento arbitrio Episcopi =, seu potius Missarum reductio faciendâ sit ad rationem perpetuæ, quemadmodum etiam sæpissime hæc Sacra Congregatio, præsertim in casu, in quo nulla Missarum eleemosyna fuerat à Testatore taxata, reductionem ad rationem perpetuæ post etiam oneris acceptationem fieri debere mandavit in Prænestina relata per Summaria Precum 15. Junii 1709., ut in lib. 59.

Decret. pag. 217. , in Romana relata similiter per Summaria Precum 27. Februarii 1734. , ut in lib. 84 Decr. pag. 120. a terg. , in Nepefina Reductionis Onerum 24. Julii 1734. , in Lucana Applicationis Miffæ quotidianæ 12. Februarii 1735. , in Viterbien. Cappellanæ 11. Januarii 1744. , in Fanen. Reductionis Miffarum 14. Februarii 1761. , & in Albinganen. 12. Decembris 1778.

Hæc quoad futurum tempus ; quò verò ad præteritum , nimirum ab anno 1768. ufque ad præfens abfolutionem à neglecta celebratione unius hebdomadalis Miffæ postulat Archiconfraternitas in fuo circumferendo libello , geminis ex rationum momentis ; primo fcilicet , quia ipfa ufque ad annum 1768. Miffas celebravit ultra reddituum quantitatem , ideoque fuffinet , eas effe cum Miffis poft annum 1768. non celebratis compenfandas , id , quod rejecit Sacra Congregatio in *Placentina 16. Januarii 1779.* ; & fecundo , quia ipfa negligens Miffarum celebrationem verfabatur in bona fide , qua ftante , abfolutionem quoad præteritum tempus humiliter poftulat , quam in his terminis non rarò benignè conceffit Sacra Congregatio factò verbo cum Sanctiffimo , ut in *Faventina Reductionis Servitii Chori , & Miffarum 15. Januarii 1780.* , & in *Faventina Miffæ Conventualis 3. Junii ejuſdem anni ad IV. Dubium .*

Gemina funt Capita utrumque tempus complectentia , quæ ab EE. VV. pro earum fapientia definienda funt .

- I. *An , & quomodo fit locus reductioni pro Miffis futuris in cafu &c.*
- II. *An fit consulendum Sanctiffimo pro abfolutione à præteritis in cafu &c.*

Seff. 22. cap. 8. de Reform.

VITERBIEN. DOTIUM . Confraternitati Mortis , & Orationis Civitatis Centum Cellarum Viterbienfis Diæceſis aggregatus eſt Coetus , five unio piorum Hominum *del feicento* nuncupata ; Eorum quilibet annuatim ſolvit obulos ſexaginta , & his collectis pecuniis , demptis Funerum expenſis , quod ſuper eſt , in Dotes diſtribuitur ad rationem ſcutorum triginta pro qualibet . Hæc pia Unio ſuas peculiareſ habet Leges , five Statuta , quorum *Cap. IV.* ſancitum eſt = *Se altro danaro non sopravanzarà , che per una ſol dote , queſta dote dovrà darſi dal Governatore pro tempore , nominando la Zitella , alla quale vorrà darla ; Se poi ne sopravanzarà per più Doti , la prima dovrà ſempre darſi dal Governatore , e per le altre ſi dovranno imbuſſolare i Fratelli aſcritti al numero , eſclufe ſempre .*

sempre le Sorelle , e tanti di essi dovranno estrarfi à sorte , quante saranno le Doti da darsi , e ciascuno degli Estratti nominerà la Zitella , à cui vorrà darla .

Itemque in sequenti Cap. V. disponitur = s' imbussoleranno i Fratelli ascritti , ed imbussolati , tanti se ne estrarranno à sorte , quante saranno le Doti , che si potranno dare , non compresa quella , che dovrà darsi dal Governatore , avvertendo , che quei tali Fratelli , che saranno una volta sortiti , non potranno rientrare nel Buffolo , se non dopo sortiti tutti gli altri .

Ac demùm Cap. VI. his verbis præscribitur = Una Zitella non potrà esser nominata , che una sol volta , e per conseguenza non potrà avere , che una sol dote , tal che essendo stata nominata da uno , niun' altro mai possa nominarla .

In generali Congregatione à Confratribus habita die 16. Martii 1777. iidem Confratres moderatum justis de Causis voluerunt dictum Caput. IV. Statutorum , captaque fuit resolutio = che nella nomina delle Zitelle , che facevasi dagli Uomini estratti à sorte dall' urna , potesse nascere qualche illecita convenzione pensarono di variare il Cap. IV. de' Statuti , e di fissare , che in luogo degli Uomini venissero imbussolate , ed estratte le Zitelle medesime = & rursus = Parimenti quelle Zitelle , che non volessero dopo estratte percepire la Dote loro , . . . che potessero conferirla ad altre Zitelle del Buffolo , senza che quella Zitella , à cui verrà caritativamente ceduta , perda il diritto di essere estratta , ma possa sempre conseguire il solito sussidio dotale .

Eodem anno 1777. Præses piæ Unionis erat Paulus Ruffini , qui adveniente tempore dotationis , quæ fit mense Septembris , ad suam dotem ex gratia nuncupatam nominavit Puellam Hyacintham Petrini: Sequenti verò an. 1778. Præses Angelus Graziosi nominavit Puellam Anastasiam Ferrari , quarum Puellarum nomina permanserunt in Urna pro altera assequenda dote Sorte extrahenda .

Hanc Puellarum à Præsidente nominatarum faciendam retentionem in Urna ægre ferentes Confratres alteram demandato Episcopi convocarunt sub die 7. Februarii 1779. generalem Congregationem , in qua decretum fuit , eas esse ab Urna removendas , hancque Congregationem , & resolutionem approbavit Episcopus die 31. Julii ejusdem anni 1779 , illamque munivit præcepto edicens , quòd = omninò deinceps servari volumus , atque mandamus .

Timentes autem antedicti Præsides annorum 1777. & 1778. , Puellarum nomine ab ipsis respective nominatarum eisdem annis educi posse ab Urna extrahendarum , supplices

ces adiverunt hanc Sacram Congregationem pro facultate eorum deducendi jura in Sacra Congregatione, & interim ne ab Urna euerentur nomina dictarum Puellarum.

Et quamvis sub die 28. Augusti 1779. porrectis precibus rescriptum fuisset = *Episcopo pro Informatione, & voto, auditis Confratribus &c.* = & Præsides Oratores sub die 5. Septembris dicti anni coram hac Sacra Congregatione judicialiter intimatis Officialibus dictæ piæ Unionis, inhibuissent ne Confratres auderent extrahere ab Urna dictarum Puellarum nomina, attamen ab iisdem Confratribus in spretum recursus habiti ad Sacram hanc Congregationem, & actæ inhibitionis, in generalibus Comitibus sequentis diei 25. ejusdem mensis Septembris nomina sæpeditarum Puellarum Petrini, & Ferrari ab Urna extracta fuerunt.

Ut enim hæc omnia in pristinum restituantur, contendunt Præsides Oratores in eorum circumferendo Libello, sustineri non posse Puellarum deletionem ab Urna tamquam attentatè factam, pendente recursum cum inhibitione ad hanc Sacram Congregationem, contenduntque pariter, earum nomina nec etiam jure removeri potuisse, quia facta Lex delendi in publicis Comitibus sub die 7. Februarii 1779. se referre non poterat ad Puellas, quæ annis jam elapsis fuerant à respectivo Præside nominatæ, & fortius quia Episcopus Comitibus confirmans hanc deletionis legem *deinceps* observari mandaverat: Statutum. *Cap. VI.* prohibens, ne Puella gemina consequi possit subsidia dotalia, loqui de Puellis nominatis à Confratribus sorte extractis, non autem à Præside, qui suam habet nominationem ex privilegio, & titulo oneroso, dum pro exercendo munere plures subire debet expensas.

Episcopus in sua relatione censuit per hæc verba = *In eodem sum nunc animi sensu, nec quidquam Gubernatori addendum existimo præter prærogativam certitudinis nominandi Puellam sibi benevisam, quin sua nominatio ab extractio-nis sorte dependeat.*

A Confratribus nihil hæctenus allatum est. Videant nunc Eminentissimi Patres qua juris ratione definiendum sit.

An sustineatur facta deletio ab Urna nominis Puellarum, quæ respectively annis 1777., & 1778. dotatæ fuerunt ad nominationem Gubernatoris tunc pro tempore existentis Societatis Mortis, seu potius earum nomina retinenda sint in Urna, donec fuerint sorte extracta pro altera consequenda Dote in casu &c.

Die Sabbathi 20. Aprilis 1782. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Quatuor priores, quæ mox subjiciuntur Causæ, quæque in postrema Congregatione habita die 16. nuper elapsi mensis Martii ob temporis angustiam proponi non potuerunt, nunc proponuntur, ut Eñi Patres, resumpto dictæ Congregationis Folio eas expediant.

FERENTINA VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM, in qua quæritur. *Seff. 24. cap. 3. de Reform.*

An liceat Episcopo Ferentino occasione Sacræ Visitationis exigere Procuracionem à Communitatibus suæ Diæcesis ex causa administrationis Sacramenti Confirmationis etiam vigore immemorabilis consuetudinis in casu &c.

Negativè ex causa administrationis Sacramenti Confirmationis.

FULGINATEN. TRANSLATIONIS PAROCHIAE, in qua disputatur. *Seff. 21. cap. 7. de Reform.*

An sit locus translationi Parochialitatis ab Ecclesia S. Joannis Ville Cuppoli ad Ecclesiam SS. Apostolorum Petri, & Pauli Ville Cancelli in casu &c.

Negativè, & amplius.

Sefs. 25. cap. 4.
de Reform.

48
20. Aprilis 1782.
A NCONITANA MISSARUM, cujus duo sunt Ca-
pita.

- I. An, & quomodo sit locus reductioni pro Missis futuris in casu &c.
- II. An sit consulendum Sanctissimo pro abolitione à præteritis in casu &c.

Ad I. Affirmativè juxta votum Em̃i Episcopi: Ad II. Affirmativè pro gratia absolutionis, celebrans tamen pro unica vice Missis centum facto verbo cum Sanctissimo.

Sefs. 22. cap. 8
de Reform.

V ITERBIEN. DOTIUM, in qua ambigitur.
An sustineatur facta deletio ab Urna nominis Puellarum, quæ respectivè annis 1777., & 1778 dotatæ fuerunt ad nominationem Gubernatoris tunc pro tempore existentis Societatis Mortis, seu potius earum nomina retinenda sint in Urna, donec fuerint sorte extracta pro altera consequenda. Dote in casu &c.

Negativè ad I. partem affirmativè ad II.

Sefs. 23. cap. 18.
de Reform.

E UGUBINA APPLICATIONIS. Hujus Cause species, & rationum momenta data fuerunt in Folio Congregationis habitæ die 18. Augusti 1781., quod nuperimè in lucem Hominum editum est Tom. L. Thesaur. Resol. Sac. Congreg. Conc. pag. 145. Dubio, quod erat ita conceptum = An sit locus applicationi fructuum superextantium Hospitalis Coccorani pro summa scutorum biscentum quinquaginta eroganda in expeditione Bullæ unionis Beneficiorum favore Seminarii Eugubii in casu &c., quodque ea die proponi non potuit, in sequenti Congregatione diei 15. Septembris dicti anni 1781. responsum fuit = Affirmativè pro scutis centum viginti quinque = prout ex dicto Tom. 50. Thesaur. Resolut. pag. 148.

Huic

hic resolutioni non acquiescente Seminario, nunc iterum ad iudicium Amplissimi hujus Ordinis Causa redit. Docet idem Seminarium, quod etiam si reportaretur à Dataria Apostolica divisionis Mandatum pro definita summa scutorum centum quinquaginta, prout asseritur, illud jam obtinuisse à Summo Pontifice, adhuc pro expeditione Litterarum Apostolicarum unionis Beneficiorum aliæ faciendæ superflunt expensæ scutorum centum sexaginta quinque, & obulorum quadraginta duorum, quæ summæ simul unitæ conflant summam scutorum tercentum quindecim, & obulorum quadragintaduorum, quam detrahendam ex superextantibus redditibus Hospitalis pauperum Infirmorum in Castro Coccorani postulat Seminarium.

Hæc petitio an justa sit, & rationabilis, cognoscent Eñi Patres, qui rogantur *Folium dictæ Congregationis diei 18. Augusti 1781.* reassumere, ut perpenlis iis, quæ à Seminario de novo proponuntur, aliisque à Barone dicti Castri Coccorani fortasse deducendis, respondere possint. *An sit standum, vel recedendum à decis in casu &c.*

Previo recessu a decis nihil esse præstandum ab Hospitali Seminario, & Episcopus incumbat omnino de exequutione piæ voluntatis Fundatorum, & Benefactorum Hospitalis, & Episcopus certioret Sacram Congregationem de adimplemento.

BENEVENTANA DISTRIBUTIONUM. Repetenda *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*
 est hujus Causæ species *ex Folio Congregationis diei 26. transacti mensis Januarii*, qua tamen die Causa proponi non potuit. Ea verò proposita *in sequenti Congregatione habitæ die 23. nuper elapsi mensis Februarii*, & dilationem petente Archidiacono de Simone, rescriptum fuit = *Dilata* =. Causam nunc damus iterum, ut, repetita lectione *Folii dictæ Congregationis diei 26. Januarii*, & libratis iis, quæ nunc ab Archidiacono proponuntur, Dubium, quod subijcimus, Eminentissimorum Patrum auctoritate solvatur.

An Archidiaconus Franciscus de Simone vigore Indulti Jubilationis debeat participare ex Distributionibus Officii Mariani in casu &c.

Iterum dilata.

*Sess. 23. cap. 5.
de Reform.*

POSNANIEN. Ut Ordinis Subdiaconatus a se suscepti nullitas definiatur, vel ut sibi apostolica concedatur dispensatio preces obtulit SSmo Domino Nostro Subdiaconus Thaddæus Stanisziwski Posnaniensis Diæcesis. Contendit siquidem, sacrum Ordinem non nisi per vim, & metum à Joanne Sigismundo Patre sibi incussum suscepisse, quippe quia Pater sæpius, constanterque protestatus fuerat se, Filium Romæ degentem derelicturum, nec opem pro necessaria illius sustentatione fore præstiturum, nisi Sacer Subdiaconatus Ordo ab eodem Filio susciperetur, & re ipsa eum in finem adigendi ad Sacros Ordines sumendos alimenta illi denegasse, unde factum sit, quòd Orator miseris, æreque alieno pressus Subdiaconatus Ordinem suscepit; postmodum verò ipsum Patrem non semel factum fuisse gravem animi sui moerorem, ac pœnitentiam tum ob vim, & metum illatum Filio suo, tum ob vinculum Sacri Ordinis, quo idem ejus Filius reperiebatur obstrictus. Revera ipsemet Orator vix Subdiaconatus Ordine fuerat insignitus, mærens, & conquerens sæpius testatus est, se prorsus invitum, atque ob sævitiam Patris alimenta sibi denegantis ad Subdiaconatus Ordinem fuisse compulsam. Precibus à Summo Pontifice, cui porrectæ fuerant, ablegatis ad hanc Sacram Congregationem, Litteræ de more datæ fuerunt Episcopo, ut super expositis servatis servandis, Processum conficeret, atque transmitteret ad hanc Sacram Congregationem unâ cum ejus Informa-
tio-

tione , & voto . Transmisso Processu, Episcopus Oratoris voto consonam aperuit sententiam . De Cauſa itaque nunc cognoscitur .

Animadvertendum est , hic non agi de vi , seu coactione , *præcisa* , & *absoluta* , qua Homini vi detento , & reluctanti manus violenter injectæ sint , ut Sacro Subdiaconatus Ordine initietur , quo casu sicuti in invito Sacrum Ordinem suscipiente , prorsusque repugnante nulla fuit voluntas , sic Ordinis collatio est invalida, nec Character in eo imprimitur , nec tenetur ad adſervandam continentia legem , ad *Textum in cap. Majores* , §. *Item quæritur* , ibique *Glossa sub verb. conditionaliter de Baptismo* , *Aversa de Sacram. Ordin. quæst. 1. sect. 8. versic. satis tamen* , & *seqq.* . Agitur autem de vi , & coactione , ut DD. ajunt , *conditionaliter* , & *causativa* , ut in illo est , qui ad effugiendum periculum , vel cruciatum , vel mortem consentit se ordinari , nam tunc Character imprimitur *Can. de Judæis distint. 45. , Can. ubi ista dist. 74. , & Cau. quod quidem 1. dist. 1. , ea ratione* , quia voluntas indirecta , & coacta, voluntas tamen est , *Can. merito 15. quæst. 1. , Gloss. in Can. ubi ista sub verb. honorem dist. 74. , & Gloss. in cit. cap. Majores §. Item quæritur sub eodem verb. Conditionaliter circa med. de Baptismo* , & in *Leg. si Mulier* , & in *Leg. si metu ff. de eo quod met. caus. &c.*

Quæstio fuit inter antiquos Theologos , & Canonistas , an suscipiens Sacrum Subdiaconatus Ordinem vi , metuque conditionaliter , & causativo teneatur se continere , ut videre est penes *Barboſ. Vat. decis. 77. à num. 11. ad 43. , ac penes geminas Rotales Decisiones 560. , & 561. part. 1. Diversorum* . Tutioſiorem tamen sententiam tenuit *Sacræ Rotæ Tribunal* , consuluitque Ordinato , ut dispensationem peteret à Summo Pontifice , cum hujusmodi coactio , seu metus conditionalis justam præbeat dispensandi causam à lege continentia Sacro Ordini adnexa ; ut probatur ex iis , quæ tradunt *Joannes Andreas in cap. Majores num. final. de Baptism. , ibique Abbas num. 7. , Vieſner. in Decret. lib. 4. tit. 6. , & Rota in d. dec. 560. n. 13. part. 1. Diversor.*

Et revera , Summos Pontifices hanc Subdiaconis concessisse dispensationem , ut Matrimonium contrahere possent , pluribus in specie recensitis exemplis testantur *Navarr. conf. 37. num. 12. lib. 3. , & conf. 38. num. 11. , Card. de Laurea in 4. Sent. tom. 3. disput. 9. art. 9. §. 5. n. 204. ,*

P. Maurus in Theologia tom. 3. lib. 13. pag. 239. n. 16. ; Card. Albitius in suo tractatu de inconstantia in Fide. cap. 36. n. 184. , & Ursaya tom. 2. part. 1. discept. 13. n. 4. , & à n. 31. ad 36.

Hunc tamen metum, & coactionem esse debere gravem, & cadentem in constantem Virum, nec sufficere levem, & vanam observat *Fagnan. in dict. cap. Majores numer. 92. , & Rota decis. 40. , 325. , & 343. part. 6. recentior. .* Videndum, num ex enunciata alimentorum subtractione Filio longe absenti, & jussu Patris Romæ commoranti, ut Subdiaconatus Ordinem susciperet causari possit metus, qui dici debeat justam præbere dispensandi causam secundum ea, quæ differit *Piton. discept. Eccles. tom. 4. discept. 110. num. 4.* Sacra Congregatio in *Ipren. Dispensationis diei 16. Decembris 1719.* respondit pro dispensatione à voto continentie ex causa metus incussi à Matre Vidua violentæ naturæ, minante Filium se fore derelicturam, si Subdiaconatum non suscepisset, ex quo Filius fuisset ad paupertatem redactus, ut latius videre est in *foliis 5. Augusti, & 2. Decembris ejusdem anni 1719.*

Hæc ipsa Sacra Congregatio, non probato metu, negavit hujus generis Dispensationes, ut in *Hispalen. Nullitatis Ordinis 28. Maii 1716. lib. 66. Decr. pag. 177. , in Monasterien. 15. Januarii 1724. , in Arelaten. Dispensationis 17. Februarii 1731. , in Constantien. Dispensationis 22. Maii 1734. , in Bisuntina Dispensationis 17. Junii 1752. , & in Osnabrugen. Dispensationis 19. Januarii 1765. ,* quas tamen, probato metu, concessit, ut in *Ipren. Dispensationis 16. Decembris 1719. ; in Parisien. Dispensationis 12. Julii 1721. , & quamvis in Namurcen. Dispensationis sub die 16. Decembris 1724. negata fuerit Dispensatio, attamen re maturius perpensa, sub die 10. Martii 1731. responsum fuit = prævio recessu à decis. non teneri ad votum Continentie, & ad mentem = & in Gratianopolitana 3. Julii 1762.*

Ponderandum insuper est utrum in Oratore ratihabitio præsumi possit, de qua *Hofstien. in Cap. Majores num. 38. de Baptismo, ibique Butrius num. 9. , Joannes Andrea num. 17. , Tabarella num. 1. , Fagnan. num. 114. . Rota decis. 40. , & 325. part. 6. , & decis. 154. num. 11. part. 14. Recent. .* utrum actus ab eo exerciti, vivo adhuc patre, & ita perseverante metus causa ratihabitionem induxerint, gravi Eminentissimorum Patrum judicio erit definiendum, perpenſis juribus ab Oratore, & Ordinis Defensore ex officio circumferendis. Duo sunt definienda Capita.

- I. *An constet de nullitate Ordinationis ad Subdiaconatum in casu &c. = & quatenus negativè .*
- II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus . .

TIRASONEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. In relatione status Ecclesiæ nonnulla Sac. Congregationi proponit. Dubia Rñus Episcopus, quorum EE. VV. iudicium exquirat; Unum est, an provisorius de Beneficio Parochiali, vel Præbenda in Cathedrali Ecclesia satisfaciatur præcepto Sac. Concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 12. de Reform. = Si (Catholice fidei Professionem emisit, non utique post possessionem adeptam, sed immo ante ipsam, & eo tamen fine, & consilio, ut huiusmodi præceptum adimpleat, idque fiat proximo ante possessionem tempore, interque actus ad eandem prævios, ac præordinatos, veluti dum Beneficii collationem, aut institutionem suscepturus accedit, aut post eam susceptam, ita ut illa Sac. Concilii verba, ad minus hunc sensum patiantur, quo ne dum sequentia = intra duos Menses = afficiat, sed ad præcedentia item = a die adeptæ possessionis = referri possint; ideoque si teneri significant Provisum ad minus a die nactæ possessionis, ille cumulate præstet, qui vel ante nactam obtemperavit = Advertit enim, in sua Diœcesi nonnullos extare, qui Fidei Professionem facilius ante, quàm post captam possessionem emittunt; = & contingit non semel gravari Parochos longo itinere huius tantum Professionis emittendæ causa, dum in locis valde remotis festinanter, & per seipsos possessionem adprehendere coacti sunt, cum aliter ab ipso obtentæ adprobationis, vel institutionis actu expediti prorsus abire possent.*

Alterum Dubium in eo versatur = *An qui Fidei Professionem facere tenebatur, & ultra præfinitum bimestre distulit, maxime si ad notabile usque tempus, veluti dum jam tertius, aut quartus mensis efluxerit; an is fructibus privetur decursis tantummodo à primi bimestris termino finito, an universis ab ipso die captæ possessionis =.*

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

Vetustissima est Ecclesiæ disciplina, ut obtinentes Ecclesiasticas Dignitates, Catholicam Fidem, quam profitebantur, constanter retenturos juris jurandi religione interposita, promitterent. In Concilio Toletano xi. anni 675. canone 10. statutum reperitur = *Ut unusquisque, qui ad Ecclesiasticos gradus est accessurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quam placiti sui innodatione promittat, ut Fidem Catholicam sincera cordis devotione custodiens justè, & piè vivere debeat* = .

Hunc laudabilem Ecclesiæ morem innovavit Sac. Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 12. de Reform., ubi expresse præcipitur, quòd = *Provisi de Beneficiis quibuscumque curam Animarum habentibus teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos Menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali Orthodoxæ suæ Fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent. Provisi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur* = .

Dubitatum olim fuit, an Beneficium cum cura animarum, vel Præbendam in Cathedrali obtinentes muneri suo satisfaciant, si per Procuratorem Fidei professionem emittant; Affirmativam sententiam amplexi sunt = *Navar. lib. 2. consil. 11. de jurejuran. num. 2. Barbosa juris Eccles. univers. lib. 1. cap. 21. num. 56. Anaclet. ad titulum Decretal de jurejuran. num. 182. =; Contrariam verò tenuit = Garzias de Benefic. part. 3. cap. 3. num. 51., & 75. = Vèrum omnem dubitationem fustulit Sac. Cong., quæ in una Valentina proposita anno 1610. definivit = *Professionem Fidei per Procuratorem emitti nullo pacto potuisse, nec emissam suffragari lib. 11. decret. pag. 91. =; Idque etiam confirmavit in Causa Cathacensi, in qua ad secundum Dubium sic conceptum = An professio Fidei emitti possit per Procuratorem = die 9. Februarj 1726. respondit = Negative; Hinc qui Præbendam in Cathedrali, vel aliquod Beneficium curatum obtinuerunt, & intra tempus statutum non possunt accedere ad residentiam, supplicant Sac. Congregationi pro facultate emittendi professionem Fidei in manibus Emi Urbis Vicarii si in Urbe sint, vel coram Episcopo, in cujus Diæcesi tunc morantur, quæ indulgeri solet cum clausula, ut postquam ad residentiam pervenerint, eam personaliter repetant ad tramites Sac. Concilii Tridentini.**

Hanc Sac. Concilii legem observare etiam tenetur, qui in adeptione Parochialis, vel Canonici Cathedralis Fidei professionem fecit, & postea, veteri dimisso Beneficio, aliam similem Præbendam assecutus est = *Garzias de Benefic. part. 3. cap. 3. n. 17. , & 18. =*, qui asserit, quod proposito Dubio = *An teneatur Fidei professionem facere is, qui secundam Parochialem consequitur, si in adeptione Præbendæ, quam amisit, vel aliàs quacumque de causa coram Episcopo, sive aliis etiam publice Fidei professionem semel emisit* = Sac. Congregatio respondit = *Teneri* = Quinimo hac ratione ductus Barboza *de officio, & potestate Episcopi part. 3. allegat. 61. num. 9.* sustinet etiam ab eo emittendam esse professionem Fidei, qui denuo adipiscitur Ecclesiam Parochialem, Dignitatem, vel Canonatum, Cathedralis, quem antea dimiserat. Cæterum juxta resolutionem Sac. Congregationis relatam a *Garzia dicta part. 3. cap. 3. num. 19. , & 20. =* provisi de hujusmodi Beneficiis debent se sponte offerre ad faciendam Fidei professionem.

Non autem scire potui definitum a S. Congregatione, num Beneficiati, qui tenentur Fidei professionem emittere, muneri suo satisfaciant, si illam præstent post adeptam ab Episcopo Institutionem, & antequam in possessionem immittantur. Videndum hinc est an Sac. Concilium Tridentinum dum definivit, quod provisi de Beneficiis Curatis, de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus teneantur Catholicæ Fidei professionem facere ad minus infra duos Menses a die adeptæ possessionis, tempus hujusmodi obligationis arctaverit ad factum possessionis tantum, ita ut nulla ratio habenda sit de eo tempore, quod ab Institutione, vel Collatione Beneficii ad possessionem intermedium decurrit.

Sane ex Canone 10. Concilij Toletani XI. supra relato habetur, quod obtinentes Ecclesiasticas Dignitates = *Non ante honoris consecrationem accipiant, quam placiti sui innotatione promittant, ut Fidem Catholicam sincera cordis devotione custodientes, juste, & pie vivere debeant* = Ex quo patet, provisum de Ecclesiastica Dignitate Horthodoxæ, Fidei professionem facere debere ante consecrationis tempus. Ex Synodo Provinciali Mechlinensi celebrato anno 1607. qui Ecclesiis Parochialibus præficiébantur, ultra Fidei professionem, emittere quoque tenebantur juramentum fidelitatis, & obedientiæ erga proprium Episcopum, & utrumque præstare adstricti erant antequam Beneficii possessionem nanciscerentur = *Adeptus Pa-*

Pastoratum (sunt verba dicti Synodi tit. 17. cap. 1. colle-
ctionis Labbei tom. 21.) , ultra Professionem Fidei , faciet
etiam subsequens juramentum antequam cura animarum ,
vel possessio Pastoratus ei detur =

Observandum pariter est , quòd Institutio , seu Collatio Be-
 neficij ab Episcopo facta , si per Clericum acceptata fu-
 erit , tribuit jus in re , sive jus perfectum respectu Bene-
 ficij etiam ante traditionem possessionis , ejusque appræ-
 hensionis : *Gloss. in cap. penultimo de concess. Præbendæ*
in 6. Gonzalez ad reg. 8. Cancellariæ gloss. 15. §. 1. nu-
mer. 15. = , quocirca ponderandum videtur , an habentes
 plenum jus in Beneficio menti Sac. Concilii Tridentini
 satisfaciant , si professionem Fidei emittant ante-
 quam ejusdem Beneficij possessionem consequantur .

Nec est prætereundum , quòd in Beneficiis duplex distin-
 guitur a Doctoribus Possessio ; Una verbalis , quæ fit per
 verba cum traditione alicujus signi , puta cum impositio-
 ne Byreti ; altera realis , quæ fit per actualem introductio-
 nem in possessionem Beneficij *Engel. in jur. can. lib. 3. tit. 7.*
 Hæc autem Possessio verbalis sustinet *Reiffenstuel. in jure*
can. lib. 3. tit. 7. n. 47. quòd nonnunquam Investituræ reali
præmittitur , & solet in quibusdam locis investiendus coram
Episcopo , aut Vic. Generali , vel Concilio Ecclesiastico
ipsis facere professionem Fidei juxta præscriptum Concilii
Tridentini sess. 24. cap. 12. de refor. , atque insuper Epif-
copo præstare juramentum obedientiæ , & fidelitatis , &
tunc imponitur ipsi Anulus , vel Byretum , adjectis verbis
investituram significantibus =

Hæc de primo Dubio perpendenda sunt : quod verò at-
 tinet ad secundum Dubium animadvertere præstat di-
 ctum Sac. Concilium eadem *sess. 24. cap. 12. de refor.* sta-
 tuisse , quòd obtinentes Beneficium curatum , Dignitates ,
 ac Canonicatus in Ecclesiis Metropolitanis , vel Cathe-
 dralibus , si intra præfinitum duorum Mensium spatium
 a die adeptæ possessionis publicam Orthodoxæ Fidei pro-
 fessionem non fecerint = *fructus non faciant suos , nec illis*
professio suffragare = Hujusmodi verò pæna intelligen-
 da est de fructibus Beneficij tantum , non autem de distri-
 butionibus quotidianis *Barbosa de officio , & potestate*
Episcopi dicta allegat. 61. num. 30. Gonzalez ad reg. 8.
Cancellar. §. 6. num. 70. = , & definiuit Sac. Congrega-
 tio in *Regien.* : ubi responsum fuit = *Distributiones*
quotidianas non compræhendi in hoc casu verbis Concilii
dicto cap. 12. sess. 24. de reform. lib. 1. decret. pag. 65. ,

& in

Et in Cathacen proposito Dubio = Quibus pœnis subjaceant non emittentes, vel debito modo non emittentes Professio- nem Fidei = Die 26. Januarii 1726. prodiit resolutio = Non facere fructus suos, sed distributiones lucrari pro ho- ris, quibus intersunt =

De tempore, quo memorata pœna Sacri Concilii Decreto obsequi negligentes afficiat, tuetur *Barbosa dicta Al- legat. 61. num. 23.* habere locum quoad fructus, qui post lapsum duorum Mensium Beneficiato debentur, nec compræhendi fructus decursos primo bimestri, cui adhæ- ret = *Garzias de benefic. part. 3. cap. 3. num. 31.*, & *Reif- fenstuel in jur. can. lib. 1. tit. 1. §. 9. num. 193.* = ratio- nem afferens, = quia provisus absque culpa poterat dif- ferre professionem Fidei usque ad ultimum diem primi bi- mestrus; hinc Concilium noluit eum privare fructibus pro primo illo bimestri decursis, sed postea primum decurrentibus, sive percipiendis post lapsum duorum illorum men- sium, quo in culpa fuit non faciendo professionem Fidei =; Consonat etiam resolutio Sac. Congregationis in *Ala- trina 12. Februarij 1661.*, in qua sic decisum habetur = *Sac. Congregatio censuit Oratorem lucratum fuisse fru- ctus duorum Mensium a die captæ possessionis; Reliquos verò usque ad emissam Fidei professionem in Capitulo suos non fecisse = lib. 22. Decret. pag. 451.*

Nec ab amissione fructuum, qui elapsis duobus mensibus decursi sunt, excusat Beneficiatos Fidei professio ex post emissa; Hæc siquidem professio post duos illos menses facta est; Et si profit ad acquirendos fructus temporis futuri, neutiquam tamen ipsis suffragatur ad lucrandos, sive recuperandos fructus temporis præteriti, sive decursos post lapsum primi bimestris usque ad tempus emissæ pro- fessionis: *Barbos. de Canonicis cap. 17. num. 23.*; Mul- toque minus Episcopus potest condonare fructus Beneficij amissos ob non peractam professionem Fidei = *Gar- zias de Benefic. part. 3. cap. 3. num. 53. Barbosa de officio, & potestate Episcopi dicta allegat. 61. num. 31.* =, sed omnes ad Fidei professionem præstandam obstricti, si eam statuto tempore emittere negligant, vel minus recte illam expleant, coguntur ad hanc Congregationem recurrere pro facultate eandem Fidei professionem etiam elapso tempore emittendi, vel minus rite, ac invalide peractam renovandi juxta Decretum editum in *Valenti- na 1599. lib. 9. Decret. pag. 81.*; his verò recurrentibus solet Sac. Congreg. d. facultatem impertiri, ac fructus etiam indebite perceptos, si in bona fide fuerint, con-

donare, sub onere tamen aliquid Pauperibus elargiendi, uti præferunt Resolutiones hujus Sacræ Congregationis in *Novarien.* 16. *Martii* 1630. *lib.* 14. *Decret.* pag. 250., in *Bisignauen.* 17. *Augusti* 1630. *d.* *lib.* 14. *Decret.* pag. 316., & in *Capuana Professionis Fidei.* 6. *Decembris* 1736.

Omnibus itaque consideratis, dignabuntur EE. PP. definire.

- I. *An obtinentes Beneficium cum cura animarum, Dignitates, & Canonicatus in Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus satisfaciant præcepto Sac. Concilii Sess. 24. cap. 12. de refor., si Professionem Fidei emittant post susceptam Institutionem, vel Collationem, & antequam in possessionem immittantur in casu &c.*
- II. *An qui Fidei professionem facere tenentur, & ultra præfinitum bimestre tempus distulerint, priventur fructibus dicti primi bimestris, seu potius fructibus ex post decurrendis in casu &c.*

Sess. 23. cap. 8. de Reform.

TIRASONEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Cum in nonnullis Diæcesibus Regni Hispaniarum ex dispensatione san. mem. Benedicti XIV. Christi Fideles quibusdam Festis de præcepto, audita Missa, servilibus operibus libere vacent, hinc Dubium excitavit Rm̄us Episcopus Tirasonensis, cujus decisionem ab EE. VV. efflagitat, an præfatis diebus, in quibus onus audiendi Sacrum dumtaxat perseverat, licite possit ordinationes habere pro iis, qui ab Apostolica Sede Indultum obtinuerunt recipiendi Sacros Ordines extra temporarium expressa lege, ut Ordines diebus Festis conferantur; qua de re, ne meo muneri deesse videar, quædam ex officio animadvertenda duxi.

Juxta veterem Ecclesiæ morem, nullum certum tempus præfinitum erat, in quo Sacrorum Ordinum collationes fieri deberent, sed qualibet die Dominico celebrari poterant = *Thomassinus de nova, & veteri Eccles. discip. part. 2. lib. 2. cap. 12. num. 11.* = Hæc porro disciplina vigeat tempore S. Leonis Magni, qui Pontificatum tenuit circa medium Sæculi V., ut colligitur ex *cap. Quod a Patribus 4. dis. 75.*, ubi laudatus Pontifex scribens Dioscoro Episcopo Alexandrino statuit = *Quod à Patri-*
bus

bus nostris propensiore cura novinus esse servatum, a vobis quoque volumus custodiri; ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur; sed post diem Sabbati ejus noctis, quæ lucefcit in prima Sabbati, exordia consecrandi eligantur, in quibus his, qui consecrandi sunt jejunis, & a jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane, ipso Dominico die continuato jejunio Sabbati, celebretur: a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quod ad diem resurrectionis (sicut etiam in Pascha Domini declaratur) pertinere non dubium est =

Vèrum idem Thomassinus loc. cit. num. 12. sustinet brevi illo temporis spatio, quod inter S. Leonis, & S. Gelasii Pontificatum intercessit Sacrorum Ordinum collationes jejuniis quatuor temporum addictas fuisse, & revera in cap. Ordinationes 7. dicta dist. 75. idem S. Gelasius definivit, quod = Ordinationes Presbiterorum, & Diaconorum, nisi certis temporibus, & diebus exerceri non debent; id est quarti Mensis jejunio, septimi, & decimi: sed & etiam quadragesimalis initii, ac medianæ hebdomadæ, & Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas =, & in Concilio Claromontano habito sub Urbano II. anno 1095. cap. 24. habetur = Ne fiant Ordinationes nisi in quatuor certis temporibus, & Sabbato mediante Quadragesima, & tunc protrahatur jejunium usque ad Vesperas, & si fieri potest, usque ad crastinum, ut magis appareat in die Dominico Ordinationes fieri =

Disciplinam hanc omnibus modis servari voluerunt posteriores Pontifices Alexander III. in cap. De eo 3. de Temporibus Ordinatis scribens Episcopo Herfordensi in Britannia hæc definivit = Licitum est Episcopis Dominicis, & aliis Festis diebus unum aut duos ad minores Ordines promovere; Sed ad Subdiaconatum nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici licet aliquos ordinare =. Urbanus III. in cap. Cum quidam 8. eodem titulo mandavit Archiepiscopo Pisano = Episcopum, qui die, quo non debuit, Ordines celebravit, canonica disciplina corrigere, & Ordinatos a susceptis Ordinibus tamdiu reddere debet expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur = & in cap. Litteras 13. pariter eodem tit.; Cum Episcopus Bononiensis electo Imolensi præcedenti Sabbato Diaconatum, & sequenti die Dominico Presbiteratum contulisset, utrumque condigna pœna plectere voluit In-

nocentius III. , jussitque = *Episcopum*, ut puniatur in quo deliquit , a collatione *Ordinum Diaconatus* , & *Presbiterii* , alterum verò ab executione *Officii Sacerdotalis* tamdiu volumus manere suspensos , donec de illis aliter disponamus =

Advertunt tamen Doctores , & præsertim Fagnanus in *cap. De eo de temp. ordinat. num. 17. , & 28. ,* quòd licet dicatur Ordinationes Sacrorum Ordinum habendas esse in hebdomatibus quatuor Temporum , non inde sequitur , ut in quolibet die , in quo ipsis hebdomatibus jejunium indictum est , illæ fieri possint , sed tantum die Sabbati Sacros Ordines conferri licere ; Et *Barbosa de offic. , & potest Episcop. part. 2. allegat. 17. num. 1. , & 3. ,* rationem reddit , quare potius diebus Sabbati Ecclesia constituerit Sacros Ordines esse conferendos , quia nempe Sabbatum significat Requiem , & qui ad Sacros Ordines assumuntur , a sæculi laboribus ad requiem Domini transeunt , quodque non faciunt Ordinati in minoribus , cum ad sæculum redire possint .

Hunc laudabilem Ecclesiæ morem nulla contraria consuetudine inverti posse definitur in *cap. Sane de tempor. ordinat. .* Cum enim in quibusdam Ecclesiis Scotiæ in dedicationibus Ecclesiarum , vel Altarium extra jejunia quatuor temporum Clerici ad Sacros Ordines promoverentur , Alexander III. in dicto *cap. Sane* injunxit = *Quòd consuetudo illa (utpote institutioni Ecclesiasticæ inimica) est penitus improbanda ; & nisi multitudo , & antiqua consuetudo Terræ esset , taliter ordinati non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare , nam apud nos sic ordinati deponerentur , & ordinantes privarentur auctoritate ordinandi = ,* & *Sac. Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 8. de reform. antiquorum Canonum* vestigiis inhærens præcepit , quòd = *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutas a jure temporibus in Cathedrali Ecclesia vocatis , presentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis , publicè celebrentur =*

Cæterum , & si per consuetudinem induci non possit , quòd Ordines Majores conferantur extra tempus a jure præfinitum , tamen ex Summi Pontificis privilegio , vel dispensatione tutò aliquis potest extra dictum tempus ordinari ; Hinc hujusmodi privilegia quibusdam Regularibus indulta sunt , quæ in suo robore persistere voluit san. mem. *Benedictus XIII. in Concilio Romano celebrato 1725. tit. 5. cap. 2. ,* & juxta , ac rationabili causa concurrente , aliis etiam , qui Regulares non sunt , concedun-

ceduntur. Illud tamen sedulo advertitur, ut quoties datur potestas suscipiendi Ordines extra tempora, de more apponitur conditio, quòd Ordinationes fiant diebus Festis; & in Congregatione particulari deputata a san. mem. Innocentio XII. super moderatione Indulorum recipiendi Ordines extra tempus a jure statutum, inter alia præfinitum est = *Indulta prædicta nunquam concedenda pro Festis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo* =, Quodque auctoritate sua probavit idem Innocentius XII. die 14. Decembris 1693.

Non una olim fuit Doctorum opinio de festis diebus, in quibus Ordines Majores ex Apostolico Indulto extra tempora conferri liceret; Non pauci asseruerunt Festos dies pro collatione Sacrorum Ordinum esse ne dum illos, in quibus sub præcepto est abstinendum ab operibus servilibus, sed etiam alios, qui sub ritu duplici ab Ecclesia celebrantur; Alii verò affirmarunt festivis dumtaxat diebus, qui a Populo de præcepto fervantur Ordinum Majorum collationes fieri licere, & hanc sententiam secutam fuisse Sac. Congregationem tuetur *Fagnanus in cap. De eo de temp. ordinat. num. 42.*, ubi refert, quòd duobus Dubiis sic conceptis I. = *Præsupposito, quòd Minores Ordines possunt conferri diebus Dominicis, aut aliis festivis dubitatur, an appellatione diei festi comprehendatur Festum, in quo ab Ecclesia fit Officium, an verò debeat esse Festum, quod a Populo colatur* II. *Idem est Dubium quoad promovendos vigore dispensationum de promovendo extra tempora diebus festis* = *Responsum fuit = Ad primum, & secundum Sac. Congreg. Concilii censuit comprehendere dies festos, qui a Populo fervantur* = *Id etiam confirmatum fuit in Cæsaraugustana, in qua cum Archiepiscopus petiisset declarari = In dispensationibus de promovendis extra tempora diebus festivis, an ad omnes, etiam Sacros, & Presbiteratos Ordines possint isti tales promoveri quolibet die Festivo, de quo in Ecclesia fit officium, an verò debeat esse festivus a Populo colendus* =, Sac. Congreg. respondit = *Intelligi oportere de diebus festis, qui a Populo coluntur lib. 3. decret. pag. 79.* =; & in *Brixien. proposito Dubio = An diebus festis duplicibus, non tamen de præcepto possint Ordines Sacri conferri habentibus Breve dispensationis Apostolicæ super interstitiis, vel extra tempora* = *Die 15. Januarii 1689. prodiit resolutio = Negative, sed tantum diebus festis de præcepto: lib. 39. decret. pag. 27.*

Perpendendum modò est num inter Festos de præcepto, qui a Populo coluntur adnumerandi sint dies festivi, in quibus, satisfacta obligatione audiendi Sacrum, servilibus operibus ex Apostolico Indulto vacare licet, ita ut iis diebus possint Episcopi Sac. Ordines conferre habentibus dispensationem illos recipiendi extra tempora. Hac in re habenda præ oculis est Constitutio sa. me. Benedicti XIV., quæ incipit = *Cum sicut quædam sunt* = edita die 3. Septembris 1742., cujus vigore sustinet Episcopus Tirasonensis in sua Diæcesi festivos dies quoad onus abstinendi ab operibus servilibus imminutos fuisse; Sane laudatus Pontifex §. 2., post quam designavit Festivitates, in quibus adegit Fideles ad utriusque præcepti satisfactionem, indulgit Episcopis, quòd = *In reliquis diebus festis, sive per hanc Sanctam Sedem præceptis, sive per Synodales ejusdem Diæcesis Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per Majores suos facti, quoad hanc partem etiam auctoritate nostra Apostolica per te commutari volumus, præceptis, audita Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo vacare possint auctoritate nostra Apostolica concedas, indulgeas, & permittas, ac statuas, præcipias, & mandes* =

Ponderandæ quoque sunt Litteræ Encyclicæ ejusdem Pontificis = *Cum semper oblatas* = sub datum diei 19. Augusti 1744. super applicatione Missæ Parochialis pro Populo, ubi §. 7. hæc habentur = *Et quia in nonnullis Diæcesibus numerum dierum Festorum de præcepto de Apostolica nostra auctoritate, & consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus Festis Christi Fideles, & Missam audire, & ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis verò Populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missæ Sacrificium, Nos ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Missæ Parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur statuimus, & declaramus, quòd etiam iisdem Festis diebus, quibus Populus Missæ interesse debet, & servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro Populo celebrare, & applicare teneantur* = Post hæc definiendum erit.

An pro habentibus Indultum suscipiendi Sacros Ordines extra tempora haberi valeant ordinationes diebus festis, in quibus Fideles, audita Missa, ex Apostolica dispensatione operibus servilibus vacare possunt in casu &c.

63

Die Sabbathi 11. Maii 1782. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

T Res Causæ, quæ in ultima Congregatione diei 20. Aprilis proximè præteriti propositæ non fuerunt, nunc erunt priori loco discutiendæ. Resumpto itaque Folio eadem die distributo, placeat Amplissimis PP., singulis dictarum Causarum Dubiis respondere.

P OSNANIEN., cujus duo Dubia sunt.

- I. *An constet de nullitate Ordinationis ad Subdiaconatum in casu &c. = & quatenus negativè.*
- II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*

Sess. 23. cap. 5. de Reform.

Ad I. Negativè : Ad II. Consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis.

T IRASONEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM, cujus gemina sunt Capita.

- I. *An obtinentes Beneficium cum cura Animarum, Dignitates, & Canonicatus in Ecclesiis Metropolitanis vel Cathedralibus satisfaciant præcepto Sacri Concilii Sess. 24. cap. 12. de Reform., si Professionem Fidei emittant post susceptam Institutionem, vel Collationem, & antequam in possessionem immittantur in casu &c.*

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

II. *An*

II. *An qui Fidei Professionem facere tenentur, et ultra præfinitum bimestre tempus distulerint, priventur fructibus diei primi bimestris, seu potius fructibus ex post decurrendis in casu &c.*

Ad I. Affirmativè : Ad II. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam ; nempe a die elapse primi bimestris .

*Sess. 23. cap. 8.
de Reform.*

TIRASONEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM, cujus unum caput est .

An pro habentibus Indultum suscipiendi Sacros Ordines extra tempora haberi valeant ordinationes diebus festis, in quibus Fideles audita Missa ex Apostolica dispensatione operibus servilibus vacare possunt in casu &c.

Affirmativè .

*Sess. 23. cap. 8.
de Reform.*

TIRASONEN. VISITATIONIS SAC. LIMINUM. Præter bina Dubia in præcedenti Folio jam descripta, tertium est, de quo Sac. Congregationis sententiam efflagitat Rñus Episcopus Tirasonensis ; Retulit ipse, quoddum aliqua Episcopalis Sedes suo caret Pastore, Regulares in ea Diœceli degentes pro suscipiendis Ordinibus alium petunt Antistitem, eique exhibent tum Dimissoriales litteras suorum Prælatorum, in quibus de hujusmodi vacatione mentio fit, tum etiam Testimoniales Vicarii Capitularis id ipsum confirmantes ; Cum autem Sedis Episcopalis Vacatio non excipiatur in Bulla San. Mem. Benedi-

nedicti XIV. , quæ incipit = *Impositi nobis* = ut Regulares pro Ordinum susceptione adeant Episcopum , quem mauerint , tunc anceps hæret , num Regularibus ad ipsum in simili casu accedentibus licite Ordines conferre possit. Fatetur non unam esse hac de re Doctorum sententiam , & Regularibus favere = *Card. Petra in Commentar. ad Constit. Unic. Urbani II. sect. 2. num. 5. , & Riganti ad Regul. Cancellar. 24. §. 3. num. 251. , qui referunt Decretum Sac. Congreg. probatum a San. Mem. Clemente VIII. his conceptum verbis , ut ultra duos casus , si Episcopus a Diœcesi absit , vel non sit habiturus Ordinationes , tertium , si Sedes Episcopalis vacet , æque comprehendat ; Addit insuper parem in tribus illis casibus adesse causam , hinc si ordinari possunt Regulares ab alieno Episcopo dum proprius abest , vel Ordinationes non celebrat , idem statuendum esse , quoties omnino desit ; Demum advertit , quòd Regulares deterioris conditionis forent , quàm Clerici Sæculares , qui post annum luctus cum litteris Dimissorialibus Vicarii Capitularis promoveri ad Ordines possunt , & si ratione Beneficii recepti , vel recipiendi arctati sint , etiam ante id tempus ordinari queunt .*

Contra verò observat , quòd alii Doctores præfatum Clementinum Decretum sic referunt , ut duos primos casus dumtaxat exprimant , alterum verò Sedis vacantis penitus omittant ; quodque etiam advertitur in Constitutione Innocentii XIII. = *Apostolici Ministerii* = §. 17. , & in altera San. Mem. Benedicti XIV. = *Impositi nobis* = §. *de- mum* , ubi præfatum Decretum per extensum refertur ; his ergo perpensis circumstantiis , autumat perperam in laudata Card. Petra , & Riganti opera Sedis vacantis mentionem inrepsisse .

Ait præterea laudatos Pontifices in eorum Apostolicis litteris , nedum postremum Sedis vacantis casum prætermisisse , sed etiam districte vetasse , ne præter duos alios ibi expressos casus ordinentur Regulares extra Diœceses proprii Domicilii , nisi privilegium post Concilium Tridentinum concessum habeant , ex quo deducit , quòd ubi lex adeo perspicuè ad duos tantum casus facultatem circumscribit non liceat etiam ex identitate rationis ultra progredi , quoulsque Legislatoris declaratio non advenerit. Præter hæc animadvertit , quòd ex præfata Constitutione Benedictina = *Impositi nobis* = constat quinque diversis temporibus , & a totidem diversis Pontificibus data opé-

ra quæstionem discussam esse, an, & quando, & quomodo Regulares ab alio, quàm Diocesano Episcopo ordinari possunt, semperque Pontificia responsa duos primos casus commemorasse, tertium verò Sedis vacantis reticuisse, quòd cum obvius sit, & frequenter contingat, suspicari non potest de eo quoque rationem tunc temporis habitam non fuisse, & idcirco infert, ex hac reticentia dijudicandum esse, casum prædictum non fuisse prætermisum, sed præcisè exclusum.

Inquit insuper, si sedulo perpendantur Summorum Pontificum responsa edita quoad Regularium Ordinationes, facile patere providas Apostolicæ Sedis curas in id potissimum versari, ut Regulares adigerentur propriam adire Episcopum pro Ordinum collatione, nec ab alieno promoveri possent, nisi cum aliquali illius consensu; Proprium verò Antistitem in præsentī casu non Capitulum, nec Vicarium Capitularem, Sede vacante, sed Diocesana Episcopum esse affirmat, atque hinc arguit maximam adesse disparitatem inter casus absentis Episcopi a Diocesi, & defectus Ordinationis, ac illum Sedis vacantis, & propterea a primis duobus ad tertium illationem ullam elici non posse.

Perperam verò opponi dicit, quòd Regularibus grave nimis esset, ac deterioris conditionis, quàm Clerici Sæculares evaderent, si quando Episcopalis Sedes vacaret eis non liceret a quocumque alio Antistite ordinari; Respondet enim huic præiudicio facile provideri, quoties eorum Prælati, seclusa omni fraude, ac dolo, Subditos ad aliud Monasterium situm in Diocesi, quæ suo non careat Pastore trasferant; Tali namque retenta methodo susinet Regulares mellorem, quàm Clerum Sæcularem conditionem sortiri, ac illæsam servari illam tam provide statutam regulam, ne unquam ab alieno Episcopo promoveantur ad Ordines nisi de Diocesani consensu; Illorumque Superioribus liberum esse ipsos alibi amandare, & dimissorias juxta præscriptum in Apostolicis Constitutionibus tradere.

Hicce animadversis concludit = *Si fas esset degentibus in Diocesi Pastore destituta Religiosis manus imponere, majus inde inconveniens oriretur, quàm si proprium Episcopum ibi expectent, vel Domicilio mutato alibi quaerant. Verendum quippe esset, ne ex aliis Diocesibus eò accurrerent, atque hoc pacto inanes redderentur late sanctiones de non ordinandis, nisi Episcopi Diocesani ministerio, aut consensu. Verendum insuper ne ullus forsitan Regularis, vel*

proprii Episcopi iudicium refugiens circa doctrinam, vel qui ab eo propter cognitum defectum, quo laboret, nec Ordines, nec Attestationem expetere ausus fuisset, nihilominus ad vacantis Ecclesie Diocesim repetente advolans Vicario Capitulari subreperet, ut alicubi nec semel accidisse compertum est.

Monuit San. Mem. Leo X. in Constitutione = *Dum inter mentis arcana = edita die 1. Martii 1518. §. 11. , Regulares = Ad Ordines promovendi per Ordinarios de grammatica, & sufficientia examinari, & dummodo competenter respondeant, per eosdem Ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesiis, seu Domibus, aut aliis eorum locis ab alio quàm a Diocesano Episcopo, vel ejus Vicario super hoc cum debita reverentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo a Diocesi absente ad dictos Ordines promoveri debeant = Cum autem post Leonis Decretum Tridentina Synodus Sess. 23. cap. 8. de Reform. statuerit, ut = Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur, gravis hinc excitata fuit controversia, an statuta a Sac. Concilio, Regulares etiam complecterentur. Quæstionem hanc definivit S. Pius V. in Apostolicis litteris = *Et si Mendicantium Ordines = sua datum diei 16. Maii 1567. §. 7. ubi declaravit Concilium Tridentinum ses. 23. cap. 8. neminem, nisi a proprio Episcopo ordinari posse statuens. in Regularibus locum non habere; ita quòd Fratres hujusmodi præfatos, etiam Sacros Ordines a quolibet Antistite, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarii loci minime requisita licentia, in locis, seu domibus Fratrum hujusmodi, aut alibi recipere possint.**

Vèrum cum graviora in dies orirentur diffidia Regulares inter, & Episcopos, ut illa compesceret Gregorius XIII. die prima Martii 1573. in Constitutione, cujus initium = *In tanta rerum = quæ favore Ordinum Regularium statuta, & decreta fuerant, immutavit, eodemque anno proposito a Monachis Carthusianis Dubio = An nostri Ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cujus Diocesi sunt pro Ordinibus conferendis ab Episcopo alterius Diocesis = Laudatus Pontifex = Etiam ex sententia Sac. Congregationis Concilii declaravit obligari = lib. 1. decret. pag. 75. , & idcirco Gallemart. ad d. Sac. Concil. sess. 23. cap. 8. sustinet, quòd Regulares post Gregorianam Constitutionem ab illo Episcopo ordinari debebant, in cujus Diocesi Cœnobium situm erat, vel ab ipso scriptas litteras obtinere, quibus ab aliis Episcopis rite ad Ordines promoveri possent.*

Vita sancto Gregorio XIII., atque in ejus locum successo Sixto V., eandem quæstionem, instante universo Ordine Prædicatorum, ad examen revocari oportuit; & audito dicti Ordinis Patre Generali, rebusque omnibus mature perpensis, de mense Januarii anni 1586. ex consilio Sac. Congreg. sequens prodiit Decretum = *Sanctissimus Dominus Noster Sixtus V. respondit, Regulares posse concedere Dimissorias ad Episcopum Diæcesanum, eoque absente, vel etiam præsentem, & Ordinationem non tenente, ad quemcumque, dummodo ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam = lib. 4. decret. pag. 108.*

De hac eadem re actum quoque fuit in Sac. Cong. in una Hispalen., quæ die 11. Januarii 1596: sic decrevit = *Superiores Regulares posse suis subditis etiam Regularibus, qui præditi qualitatibus requisitis Ordines suscipere, voluerint, Litteras Dimissorias concedere ad Episcopum tamen Diæcesanum, & si is abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; Dummodo tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit examinentur quoad Doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diæcesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Vèrum cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Diæcesano absente, vel Ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ ad alium Episcopum dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentie Diæcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse = lib. 8. Decret. pag. 160..* Hanc Sacræ Congregationis decisionem Clement VIII. Apostolica auctoritate muniri, & roborari voluit die 15. Martii ejusdem anni, & ab omnibus Superioribus Regularibus in promotione ad Ordines suorum Subditorum observari mandavit, injunctaque contra negligentes pœna privationis officii & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ, aliisque arbitrio Apostolicæ Sedis reservatis.

Vèrum tam provida Summorum Pontificum, & Sac. Congregationis Decreta præpedire haud potuerunt, ne alia orirentur dissidia Episcopos inter, & Regulares; Nonnulli Episcopi præsertim ultra Montes constituti contendere cæperunt, necessarias esse Regularibus Dimissorias Ordinariorum originis, ut possent ab Episcopis aliorum locorum ad Ordines promoveri: Contra verò Regulares vim, & observantiam Clementini Decreti declinare autumabant ea ducti ratione, quia a Clemente VIII.

derogatum non fuit Apostolicis Privilegiis eorum Ordinibus, sive directe, sive per communicationem indultis, ut a quocumque Catholico Antistite ordinari possent. Quod attinet ad excitatam ab Episcopis controversiam illam diremit Sac. Cong. Cum enim in una Senonen. quæsitum fuisset = *An Regulares volentes se ad Ordines promoveri teneantur juxta Decretum Archiepiscopi ostendere litteras dimissorias Ordinariorum propriæ Originis* = Die 28. Februarii 1654. responsum prodiit = *Non teneri, sed sufficere, ut observent formam præscriptam in Decreto sa. me. Clementis VIII. lib. 19. Decret. pag. 318.* Idque etiam confirmatum fuit die 17. Martii 1674. *lib. 23. Decret. pag. 261.* ; Ad Regulares verò quod spectat, eorum prætensum jus unà cum rationibus ab ipsis deductis examinandum tradidit Congregationi Particulari san. mem. Innocentius XIII., cujus votum postea secutus est, ac decrevit, in promovendis ad Ordines Regularibus servandum esse Decretum Clementis VIII., solumque ab hac lege exceptit Regulares illos, quibus facultas data est suscipiendi Ordines ab Episcopo, quem maluerint, si hujusmodi privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, licet Clementino Decreto posteriora non sint, & dummodo directe concessa fuisset constet, nec per communicationem de uno ad alium Ordinem derivata asserantur, quemadmodum testatur Benedictus XIV. in Constitutione *Impositi nobis* 27. Februarii 1747. §. *Quod verò.*

Quæ de Regularium promotione ad Ordines a Sac. Congregat., approbante Clemente VIII., statuta sunt executioni mandari præcepit dictus Pontifex Innocentius XIII. in Constitutione = *Apostolici Ministerii* §. 18. edita die 13. Maii 1723. ; Id ipsum quoque decrevit Benedictus XIII. in Concilio Romano celebrato anno 1725. tit. 21. cap. 2., & san. mem. Benedictus XIV. in dictis Apostolicis litteris = *Impositi nobis* = §. *Quæcumque* postquam innovavit, & confirmavit Constitutiones, & Decreta Gregorii XIII., Sixti V., Clementis VIII., & Innocentii XIII. jussit = *Transgressores omnibus pænis in præmissis contentis, aliisque per Apostolicas Constitutiones, & per Sacros Canones latis, atque statutis, cum effectu subjacere; Superiores nimirum Regulares eas omnes, quas supradictus Clemens VIII. constituit, & fancivit Regulares autem, qui contra illius Decreti præscriptum promoti fuerint, & Antistites eos promoventes canonicas pænas,*

pœnas ; atquè censuras , quæ adversus Sacram Ordinationem suscipientes ab Episcopo , qui proprius ad hunc effectum dicitur , & haberi nequit , nec non adversus Episcopos alienos Subditos indebite ordinantes =

Et ut in posterum abusibus forsitan irrepturis occurreret idem Benedictus XIV. dicta Constitutione = *Impositi nobis = §. Præterea* voluit Litteras Dimissorias Superiorum Regularium , quæ ad alium Antistitem directæ fuerint , nullius esse roboris , nisi illis junctæ sit authentica attestatio Vicarii Generalis , vel Cancellarii , aut Secretarii Episcopi Diæcesani , ex qua constet , vel ipsum a Diæcesi abesse , vel Clericorum ordinationem habiturum non esse , insuperque declaravit , quòd Antistes Ordines conferens Regulari viro in sua Diæcesi domicilium non habenti absque adjuncta præfata attestatione , ipso facto incidat in pœnas Canonicas adversus eos constitutas , qui alienum Subditum legitimis Dimissoriis destitutum ordinaverint .

Hæc fusius exponenda duxi , ut facilius inde pateat aditus ad judicandum de dubio , quod pro suo erga Apostolicam Sedem obsequio proposuit vigilantissimus Episcopus Tirasonensis . Cæterum scire præstat , quòd perquisitis registris Sac. Congregationis , deprehensum est in Decreto edito die 11. Januarii 1596. confirmato a Clemente VIII. die 19. Martii ejusdem anni facultatem indultam fuisse Regularibus dirigendi proprios subditos pro susceptione Ordinum cuicumque Catholico Antistiti si Diæcesanus Episcopus abfuerit , vel non sit habiturus Ordinationes ; quin ulla fiat mentio alterius casus videlicet *Sedis vacantis* ; Retinetur quoque vacatio Sedis Episcopalis a Concilio Romano , a Benedicto XIV. in relatis Apostolicis litteris = *Impositi nobis , a Barbosa de officio , & potest. Episcopi part. 2. allegat. 7. num. 18. a Ferrar. verbo Ordò art. 3. num. 54. , aliisque Doctoribus* , qui dictum Decretum per extensum exscribunt . At Card. Petra , & Riganti loco superius indicato referunt eandem Decisionem Sac. Congregationis , atque in ea præter duos casus , de quibus nulla est quæstio , alterum *Sedis vacantis* æque comprehendunt , neque ipsimet sunt in Decreti tenore conformes ; Alter enim de casu *Sedis vacantis* loquitur in parte dispositiva , alter verò in parte moderativa ejusdem Decreti .

Omnibus mature peripensis , dignabuntur EE. PP. definire .
An Regulares degentes in Diæcesi , ubi Sedes Episcopalis vacet , possint promoveri ad Ordines a quocumque Catholico Anti-

*Antifite cum litteris dimissorialibus suorum Prælatorum
& cum attestatione Vicarii Capitularis testantis de Sedis
Episcopalis vacatione in casu &c.*

Dilata .

NULLIUS SUBLACEN. BENEPLACITI APOSTO-
LICI . Redit ad Judicium Sacri hujus Senatus hæc
Causa, cujus Facti series, & ponderanda jura habentur
*ex Folio Congregationis habitæ die 16. Junii 1781. quod
publici juris factum est To.L. Thes.Resol.Sac.Congr. Con-
cil. pag. 103. , & seqq. . Dubio, quòd erat = An sit
concedendum Beneplacitum Apostolicum super venditione,
Domus spectantis ad Canonicatum Giordani in casu &c. =
Quamvis Eminentissimi Patres in sequenti Congregatione
diei 7. Julii ejusdem anni propter Suffragiorum scissuram
rescripserunt = iterum proponatur = ut ex citato To.50.
Thesaur. Resol. pag. 100. . In altera tamen Congregatio-
ne habita die 18. Augusti dicti anni responderunt = Af-
firmativè = veluti patet ex dicto Tom.50. pag.136. . Ca-
nonicus Paschalis Spila succumbens iterum audiri postu-
lavit, obtinuitque. His itaque, quæ in dicto Folio Con-
gregationis diei 16. Junii 1781. data fuerunt, & quæ
nunc proponuntur, maturè perpensis, respondendum
erit .*

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

Iterum proponatur .

*Sess.22. cap.11.
de Reform.*

72
MELEVITANA MISSÆ CONVENTUALIS. Placuit Amplissimis Patribus in Congregatione habitis die 15. Septembris superioris anni 1781., qua Causa isthæc proposita fuit, illius definitionem differre, & quòd interim scriberetur Episcopo, qui referret super statu, & quantitate multiplici, transmissa dispositione Fundatoris ipsius = ut habetur ex Tom. L. Thes. Resol. Sac. Congr. Conc. pag. 148.

Mandatis Sacræ Congregationis satisfecit Melitensis Antistes, transmisitque Testamentum conditum à Sacerdote Josepho Hasciach die 9. Januarii 1761., ex quo patet, ipsum voluisse, quòd ex redditibus omnium suorum Bonorum, & Censuum nuncupatorum Bullalium fundari, & erigi deberent Canonicatus, seu Beneficia in Parochiali Ecclesia Casalis Garbi Diæcesis Melitensis arbitrio sui Executoris Testamentarii Canonici Thomæ Hasciach ejus Fratris, cui facultatem dedit *di fondare dalli sudetti Beni li detti Canonicati, e Beneficj nel numero, e forma, che gli piacerà* = necnon = *di presentare in essi Beneficj le Persone da istituirsi* = ac rursus = *di potere applicare detti Beni in compra di Beni stabili* =, hasque facultates eidem attribuit in perpetuum, & eveniente casu obitus dicti Canonici Thomæ Executoris Testamentarii, in hoc munere cum iisdem facultatibus substituit proximiorum suum Consanguineum cum prælatione illius proprium ipsius Testatoris cognomen habentis.

Transmisit pariter quatuor dispositiones factas à Sacerdote Michaele Hasciach memorati Josephi germano fratre, aliamque dispositionem Therisæ Hasciach ejusdem Josephi neptis, qui sub diebus 3. Novembris 1762., 25., & 28. Januarii 1763., nec non 7., & 8. Februarii ejusdem anni 1763. in executionem, & augmentum piæ voluntatis dicti Josephi eorum Fratris, & Patruum respectivè donarunt antedicto Canonico Thomæ tamquam Executori Testamentario Josephi nonnulla eorum Bona, pluresque Bullales Censuum, & easdem facultates, quas Joseph Fundator eidem Canonico dederat, ipsi quoque tribuerunt.

Ac demùm transmisit Instrumentum foundationis Canoniciatum, & Cappellaniarum, quàm egit sub die 9. dicti mensis Februarii 1763. Canonicus Thomas in suprascripta Parochiali Ecclesia, quæ subinde fuit in Collegiatam erecta. Ex hoc Instrumento habetur, memoratum Canonicum ex fructibus Bonorum, & Censuum fundasse, & crexisse tres Canonicatus, totidemque Præbendas, qua-

quarum unicuique unà cum distributionibus quotidianis assignasse annua scuta quadraginta de tarenis duodecim pro quolibet scuto, nec non alia annua scuta triginta pro manutentione duorum Cappellanorum Presbyterorum, itemque alia annua scuta viginti dict. monetæ pro Cera, & alia annua scuta duo solvenda Custodi Ecclesiæ pro Campanarum sonitu.

Ex superextantibus autem annuis Bonorum redditibus constituisse Multiplicum nuncupatum *Massetta*, cum lege, quod Multiplici redditus investiri deberent in Bonis Stabilibus, quorum fructibus ascendentibus ad annua scuta centum, & viginti, tunc essent erigendi alii duo Canonici cum assignamento scutorum quadraginta unicuique eorum pro Præbenda, & Distributionibus, nec non manutenendi alii duo Cappellani cum assignamento quoad eorum unum annuorum scutorum vigintiquinque cum onere exercendi munus Magistri Cæremoniarum, & quoad alterum scutorum quindecim.

Constat insuper ex d. Fundationis Instrumento, Canonicum Thomam Executorem piæ voluntatis Josephi præcepisse, quòd Multiplicum prosequeretur pro duobus aliis erigendis Canonicatibus, totidemque Cappellaniis cum Præbenda, compræhensis Distributionibus quotidianis, annuorum scutorum quadraginta illius monetæ quoad Canonicos, & cum stipendio annuorum scutorum quindecim quoad Cappellanos: Subindeque pro erigenda Præpositura, & pro augendis Canonicorum Præbendis usque ad annuam summam scutorum septuaginta pro qualibet, augendisque pariter Cappellanorum stipendiis usque ad summam annuorum scutorum triginta pro unoquoque Cappellano, & scutorum quadraginta pro eo Cappellano munus Magistri Cæremoniarum exercente.

Quibus absolutis, Canonicum Thomam ulterius voluisse, quòd Multiplicum prosequi deberet pro aliis erigendis Canonicatibus usque ad numerum sexdecim, compræhensis illis jam erectis, cum eadem Præbenda annuorum scutorum septuaginta, nec non pro erigendis sex aliis Cappellaniis cum simili stipendio annuorum scutorum triginta pro quolibet Cappellano.

Hæc sunt, quæ ex transmissis Documentis habentur. Quòd verò ad præsentem statum, & quantitatem Multiplici Episcopus retulit, quòd confecto computo introitus, & exitus omnium reddituum dictæ Collegiæ Ecclesiæ Casalis Garbi ab anno 1761. usque ad annum 1780. =

compertum fuit, dictæ Ecclesiæ Collegiatæ superesse tantummodo scuta quadringenta octo, tarenum unum, & grana decem monetæ Melitensis. In hac itaque summa consistit præsens status, & quantitas Multiplici à Fundatoribus ordinati, quæ summa implicata super Massa frumentaria ad rationem scutorum trium pro centenario, & anno reddit annua scuta duodecim, tarenos duos, & grana decem, & octo ejusdem monetæ vix constantia scuta quinque, & obulos quadraginta sex monetæ Romanæ.

His positis, resumpto Folio Congregationis diei 18. Augusti 1781. in quo hujus Causæ species data fuit, ut ex supradicto Tom. L. Thesaur. Resol. Sacr. Congreg. Concil. pag. 140., novisque perspectis juribus à Capitulo circumferendis, pertinet ad Eminentias Vestras definire.

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ Conventualis in casu &c.

Affirmativè ad dies Festos de præcepto ad decennium.

Sess. 25. cap. 4.
de Reform.

SENOGALLIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. In Testamento, quod anno 1623. condidit Camillus de Lucatellis Senogalliensis hæredem suam universalem instituit Communitatem Senogalliæ cum onere hæreditarios redditus Biennii tempore perceptos erogandi in emptionem tot Bonorum Stabilium subinde assignandorum pro Præbenda Canonicatus erigendi in fine Biennii in Cathedrali Ecclesia Senogallienti, idemque servandum esset de Biennio in Biennium donec in eadem Cathedrali Ecclesia fuerint erecti viginti Canonicatus, quibus Testator onus injunxit = quòd tenerentur, & deberent celebrare, seu celebrari facere in dicta Ecclesia Missam quotidianam pro quolibet ipsorum in perpetuum pro Anima ipsius Testatoris, & Defunctorum suorum.

Sic fundatis, erectisque viginti Canonicatibus, jussit Testator, quòd Biennio quolibet prosequeretur investimentum reddituum hæreditariorum, donec ex emptis Bonis haberetur sufficiens Salarium arbitrio Communitatis taxandum, solvendumque pro duodecim Musicis cantoribus in dicta Ecclesia = lege adjecta, ut ii = cantare debeant in dicta Ecclesia omnibus diebus festivis, & aliis arbitrio dictæ Communitatis, & ad gloriam Omnipotentis Dei, ejus-

ejusque gloriosæ Virginis , & pro honore dictæ Ecclesiæ .

Quibus etiam adimpletis, & absolutis, Testator voluit, quòd annui redditus suorum Bonorum hæreditariorum perpetuis inde futuris temporibus distribuerentur *pro subventionem pauperum , & miserabilium Personarum d. Civitatis Senogalliæ arbitrio dictæ Communitatis .*

Defuncto Testatore , statim manus admovit Communitas pro exequenda illius voluntate . Septem dumtaxat Canonicatus , totidemque Præbendæ , ut Testator præceperat , intra spatium triginta duorum annorum erectæ fuerunt in præcitata Cathedrali Ecclesia : Hinc conventum fuit Communitatem inter , septemque Canonicos , quòd Communitas cederet Canonicis totam Defuncti hæreditatem , ejusque Bonorum administrationem , ut ex annuis illorum redditibus alii tres tantum erigerentur Canonicatus , & Præbendæ , & sic decem dumtaxat Canonici de Lucatellis esse deberent in Cathedrali Ecclesia , quòdque tum ex redditibus Bonorum omnium hæreditariorum , tum ex redditibus dictarum septem jam assignatarum Præbendarum una constitueretur Massa Capitularis .

Rursus , quòd in eadem Ecclesia *sex* instituerentur *Mansionariatus pro totidem Mansionariis Presbyteris , qui Missas in prædicta Ecclesia cantare , aliisque Divinis Officiis assistere , ac Missas pro prædicti Camilli Testatoris , ejusque Propinquorum defunctorum Animarum refrigerio celebrare cum alterativa unius Hebdomadæ , aliaque ad similes Mansionarios spectantia facere teneantur , assignatis cuilibet ex sex Mansionariis hujusmodi sexaginta scutis monetæ illarum partium , (quæ conflant annua scuta quadraginta circiter monetæ Romanæ) ex redditibus dictæ Hæreditatis pro cujuslibet eorum mercede , & congrua sustentatione .*

Ac demum , quòd Canonici singulis annis tradere deberent Communitati sex Salmas Frumenti Pauperibus præfatæ Civitatis , ejusque Territorii distribuendas . Hujusmodi pacta , & Conventiones approbatæ , confirmatæque fuerunt per Breve à sa. mem. Alexandro VII. sub datum 17. Septembris 1655.

Nunc conquerentes hodierni Mansionarii de onere nimis gravi , quod citra voluntatem Testatoris ferunt pro assiduo , & quotidiano Chori servitio , pro solvendis oneribus Cameralibus , nec non pro mantentione Sacrarum Suppellectilium , & Choralium , & similibus , ac demum pro peragenda celebratione annuarum Missarum

rum centum octoginta pro quolibet ipsorum, ita ut his omnibus ex eorum stipendio demptis expensis, & oneribus, vix supersint annua scuta viginti circiter, quæ pro eorum necessaria sustentatione satis esse non possunt, ideoque porrectis precibus supplicarunt pro aliqua dictarum Missarum reductione.

Vera esse à Mansionariis exposita dixit Eius Cardinalis Episcopus, fuitque in voto reducendi Sacra ad annuum numerum sexaginta pro unoquoque Mansionario.

Non enim Missarum reductio petitur propter imminutionem reddituum, sed unicè petitur propter onera, quæ gravia sunt, quæque, excepto cantu in Ecclesia faciendo singulis diebus festis, aliisque arbitrio Communitatis, Testator non imposuerat. Quemadmodum verò Canonici, qui incumbunt Chori servitio minori illo, quod ferunt Mansionarii, & quorum redditus sunt in annuis scutis centum, duplicem obtinuerunt Missarum reductionem ab hac Sacra Congregatione, quæ eas reduxit ad annuas Missas centum octoginta à quolibet Canonico celebrandas, ita sustinent Mansionarii, qui majus habent Chori servitium, minores verò redditus, ipsis quoque Missarum reductionem ad numerum sexaginta Missarum pro unoquoque Mansionario, ut Eius Episcopus in voto fuit, esse concedendam.

Cætera Eminentissimi Patres habent in Libello à Mansionariis circumferendo. Dubium est.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, in casu &c.

Sess. 22. Decr. de observ., & evict. Sess. 24. cap. 12. de Refor. & Sess. 25. decr. de Invo. cat. Vener. &c.

FIRMANA. In Collegiata, & Parochiali Ecclesia S Michaelis Archangeli Firmanæ Civitatis, quæ de jure patronatus est ipsorum Parochianorum pro duabus ex tribus portionibus, & pro tertia portione tunc Comitis Petri Giliucci, nunc Domus Vinci, & quæ ex duabus Dignitatibus Priore scilicet, & Sub Priore Animarum, curam habentibus, nec non ex quatuor Canonicis, & duobus Beneficiatis componitur, cum plures irrepsissent abusus in contemptum Decretorum factorum tam ab hac Sacra Congregatione, quam ab Archiepiscopo in actu Pastoralis Visitationis, Canonicus Xaverius Agostini preces obtulit Sacro huic Tribunali, in quibus omnes

ex-

expressit abusus a Capitulo in vectos cum Populi scandalo, & signanter cum decremento tum divini cultus, tum rerum Capitularium, idcirco eos esse removendos, corrigendosque postulavit. Super his omnibus requisitus fuit Archiepiscopus, qui retulit, veros esse nonnullos abusus, de aliquibus verò non satis constare, concluditque = *In tanta igitur consiliorum discrepantia erit EE. VV. definire, quæ à Priore, ac Subpriore, quæque ab universo Capitulo præstari debeant* = . Rationes Canonici Xaverii Agostini legent Eminentissimi Patres in libello, qui ab eo datus fuit, à Capitulo nihil hætenus habuimus. Omnis itaque controversia IX., quæ sequuntur, Capitibus collecta nunc proponitur definienda.

- I. *An Priori Collegiæ S. Michaelis Civitatis Firmi competat jus perpetuum convocandi Capitulum, seu potius idem jus repartiiri annuatim debeat in singulos Canonicos in casu &c.*
- II. *An Canonicis Curam Animarum habentibus in dicta Collegiata Ecclesia liceat Sacramentales Confessiones excipere, aliasque Parochiales functiones in eadem Ecclesia explere singulis diebus tam Festivis, quàm feriatis hora Divinorum Officiorum, seu potius sit servanda Constitutio Firmanæ Synodus anni 1660. in casu &c.*
- III. *An dicti Canonici Animarum Curam habentes teneantur habitare Ædes Ecclesiæ adnexas, eisque destinatas, nec aliis illas locare, aut quomodolibet concedere valeant in casu &c.*
- IV. *An quoad easdem Ædes Parochiales servandum sit Decretum Visitationis cl. me. Card. Paracciani, quo prohibetur, in iis Uvas premi, Mustum excoqui, letamina cocervari, Stabula, Sues, & Gallinas retineri in casu &c.*
- V. *An pariter, & aliud simile servandum sit Decretum Visitationis, ne in superiori quodam Cubiculo saltem diebus festis, ac æstivis Mensibus horæ Canonice persolverentur, sed in Choro Ecclesiæ exteriori omnino recitari debeant in casu &c.*
- VI. *An Canonicus Camerarius, seu Depositarius pro tempore absque deliberatione, seu resolutione Capituli prohibeatur expensas quascunque ultra summam juliorum quinque erogare etiam sub prætextu Causæ extraordinariæ, aut quomodolibet necessariæ in casu &c.*
- VII. *An omnes, & singuli Canonici dictæ Collegiatae Ecclesiæ teneantur contribuere pro expensis Utenfilium Parochialium, seu potius ad dictas expensas teneantur solum-*

modo Prior , & Subprior curam Animarum habentes in casu &c.

VIII. *An in eadem Collegiata Ecclesia Officia Capitularia annuatim sint mutanda , seu renovanda in peculiari Capitulari Congregatione quolibet anno ad id specialiter habenda in casu &c.*

IX. *An omnibus juris remediis cogi debeat Prior , aut Subprior dicte Collegiatae Ecclesiae , ut Rescriptum Sacrae Congregationis diei 17. Aprilis 1779 exequantur quoad Sepulchra ejusdem Collegiatae Ecclesiae in casu &c.*

*Seff. 24. cap. 12.
de Reform.*

LAURETANA HORARII . In Lauretana Synodo , quam cl. mem. Cardinalis Roma Episcopus Lauretanus edidit anno 1626. , & praecipue in ejus parte III. ad titulum VIII. legitur Horarium , cum quo Cathedralis Ecclesia in Divini Officii recitatione procedere deberet . Ibi statuitur , Matutinum quolibet anni tempore in ipso solis ortu pulsandum esse : Vesperas autem juxta diversas anni tempestates esse variandas , ita tamen ut hora tardior , prout in Decembris , & Januarii mensibus accidit , sit hora vigesima cum dimidio recurrentibus autem men-

mensibus Maii , Junii , Julii , & Augusti hora sit decima octava .

Continuo mediæ horæ spatio pulsat Campana , eaque cessante , Capitulum , & Canonici ad psallendum in Choro conveniunt , ex quo fit , ut æstivo tempore juxta præfatam Tabellam matutina Divini Officii recitatio circa diei horam decimam tertiam absolvi debeat , post meridiem verò hora decima nona cum dimidio .

Ab anno 1626. usque ad hæc nostra tempora præscriptum horarium non adeo scrupulosè servatum fuit , ut nunquam immutari contigerit . Sæpius juxta diversas Lauretanæ Ecclesiæ necessitates , & circumstantias , prout fieri posse legitur in ipsa Synodo , fuit Horarium à Capitulo cum Ordinarii consensu permutatum , & ut plurimum cum dimidii horæ posticipatione . Putans autem Lauretanum Capitulum prædictum Horarium nonnullas ob causas præsentibus temporibus accommodari non posse , die decimatertia Septembris anni 1767. Capitularibus congregatis Comitibus = *Si parlò della Riforma dell' Orario , che riuscisse più comodo specialmente in tempo d' Estate , in cui l' ora del Matutino , e del Vespero riesse assai gravosa* = plenisque Suffragiis , quod propositum extitit , deliberatum fuit .

Huc Capitulari deliberationi in contradictorem se præbuit Xaverius Monti Canonicus jubilatus antedictæ Lauretanæ Basilicæ unà cum nonnullis Choralibus Zelatoribus ; Quare anno 1769. Apostolica Sede vacante per obitum San. Mem. Clementis XIII. , Capitulum supplicem porrexit Libellum Sacro Eminentissimorum Cardinalium Collegio in Conclavi collecto pro approbatione , & executione prædictæ Capitularis Deliberationis . Hujusmodi preces à Sacro Collegio sub die 17. Aprilis anni 1769. remissæ fuerunt Lauretano Episcopo pro Informatione , & Voto . Hic retulit , vera esse in precibus à Capitulo narrata , retulitque , quòd præfata = *Tabella non obstante , cum antiquiores Canonici nimis incommodum , Ecclesiæque Servitio minus aptum Horarium istud experientia comprobarent , satis vetusta irrepsit , & adhuc servatur altera consuetudo posticipandi signum Matutini , & Vesperarum , ita ut in Mensibus æstivis pro Matutino hora nona cum dimidio , pro Vesperis verò hora decima octava cum dimidio datum huc usque sit , & adhuc detur .*

Concluditque his verbis = *Quæ cum ita sint EE. VV. suprema auctoritas opportunum remedium afferre poterit , quoties ad evitanda exposita incommoda , & ad majus Ecclesiæ*

sue servitium promovendum, novum magis aptum Horarium confici, & servari mandabunt, eo vel magis, quia Rev. D. hujus Almæ Domus, & Civitatis Gubernatoris integritas, pietasque id ipsum collatis mecum consiliis magis expedire censeat = Quamobrem Capituli preces sub die 20. Aprilis dicti anni 1769. ablegatæ fuerunt huic Sacræ Congregationi.

Post lapsum tredecim annorum tandem Causa proponitur ab EE. VV. definienda unâ cum subalterna quæstione, utrum scilicet Beneficiati quoque, & Clerici Beneficiati subire debeant expensas pro hac sustinenda lite necessarias.

Jura Capituli legere poterunt Eñi Patres in illius circumferendo libello. A' Canonico Monti nihil habuimus. Gemina sunt Capita.

- I. *An licuerit, & respectivè liceat in posterum Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Lauretanæ cum approbatione Episcopi variare, vel reformare Horarium, seu potius obstet Horarium probatum in Synodo Cardinalis Roma in casu &c.*
- II. *An Beneficiati, & Clerici Beneficiati ejusdem Cathedralis Lauretanæ teneantur contribuere in expensas litis in casu &c.*

Die Sabbathi 8. Junii 1782. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN postremo Folio Congregationis habitæ die 11. Maii Sess. 25. cap. 4. de Reform. tres indecisæ remanserunt Causæ priori loco describendæ. Dignabuntur itaque EE. VV., dicto resumpto Folio, sequentibus Dubiis respondere -

SENOGALLIEN. REDUCTIONIS MISSARUM, in qua respondendum est.
An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Dilata, & ad mentem.

FIRMANA, cujus IX. Capita sunt.

- I. An Priori Collegiæ S. Michaelis Civitatis Firmi competat jus perpetuum convocandi Capitulum, seu potius idem jus repartiri annuatim debeat in singulos Canonicos in casu &c.
- II. An Canonicis curam Animarum habentibus in dicta Collegiata Ecclesia liceat Sacramentales Confessiones excipere, aliasque Parochiales functiones in eadem Ecclesia explere singulis diebus tam Festivis, quàm feriatis hora divinorum Officiorum, seu potius sit servanda Constitutio Firmanæ Synodus anni 1660. in casu &c.
- III. An dicti Canonici Animarum curam habentes teneantur habitare Ædes Ecclesiæ adnexas, eisque destinatas, nec aliis illas locare, aut quomodolibet concedere valeant in casu &c.
- IV. An quoad easdem Ædes Parochiales servandum sit Decretum Visitationis cl. me. Card. Paracciani, quo prohibetur in iis Uvas premi, Mustum excoqui, lætamina cocervari, Stabula, Sues, & Gallinas retineri in casu &c.

Sess. 22. decr. de observ., & evit., Sess. 24. cap. 12. de Reform., & Sess. 25. decr. de Invocat. Vener. &c.

- V. *An pariter , & aliud simile servandum sit Decretum Visitationis , ne in superiori quodam Cubiculo saltem diebus festis ac æstivis Mensibus horæ canonicæ persolverentur , sed in Choro Ecclesiæ exteriori omnino recitari debeant in casu &c.*
- VI. *An Canonicus Camerarius , seu Depositarius pro tempore absque deliberatione , seu resolutione Capituli prohibetur expensas quascumque ultra summam juliorum quinque erogare etiam sub prætextu Causæ extraordinariæ , aut quomodolibet necessariæ in casu &c.*
- VII. *An omnes , & singuli Canonici dictæ Collegiatæ Ecclesiæ teneantur contribuere pro expensis Utenfilium Parochialium , seu potius ad dictas expensas teneantur solummodo Prior , & Subprior curam Animarum habentes in casu &c.*
- VIII. *An in eadem Collegiata Ecclesia Officia Capitularia annuatim sint mutanda , seu renovanda in peculiari Capitulari Congregatione quolibet anno ad id specialiter habenda in casu &c.*
- IX. *An omnibus juris remediis cogi debeat Prior , aut Subprior dictæ Collegiatæ Ecclesiæ , ut Rescriptum Sacræ Congregationis diei 17. Aprilis 1779. exequatur quoad Sepulchra ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ in casu &c.*

Ad I. Dilata , & præfigatur terminus Priori ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione , ad II. Servetur Constitutio Synodalis anni 1660. ad III. Affirmativè , ad IV. Affirmativè , ad V. Affirmativè ad VI. Affirmativè , ad VII. dilata , & præfigatur terminus Priori ad deducendum jura sua in S. Congregatione , ad VIII. Affirmativè ad formam decreti Visitationis diei 11. Maii anni 1781. ad IX. dilata , & præfigatur terminus Priori ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione .

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

LAURETANA HORARII , in qua gemina sunt Dubia .

- I. *An licuerit , & respectivè liceat in posterum Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Lauretanæ cum approbatione Episcopi variare , vel reformare Horarium , seu potius obstet Hora-*

Horarium probatum in Synodo Cardinalis Roma in casu &c.

- II. *An Beneficiati, & Clerici Beneficiati ejusdem Cathedralis Lauretanæ teneantur contribuere in expensas litis in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, & ad mentem, & mens est quod servetur resolutio Capitularis anni 1774., & si quid erit innovandum consulatur Sac. Congregatio. Ad II. Affirmativè, & amplius.

FIRMANA SERVITUTIS. Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Firmi immediatè cohæret Palatium Comitum de Vincis, qui tamquam hæredes Comitum de Giliuccis Patronatum habent pro tertia parte Canonicatum, & Præbendarum, quæ sunt in ea Ecclesia fundatæ. Anno verò 1746. Fratres de Vincis, nimirum R. P. D. Conceptus, nec non Comites Joannes Simon, Ludovicus, ac Michael expedito Brevis Apostolico, irrequisitis Parochianis, qui pro aliis duabus ex tribus partibus Patronatum habent dictorum Canonicatum, obtinuerunt, accedente tamen consensu Capituli, facultatem aperiendi fenestram in sinistro ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ latere, appositis in ea Cratibus lignea, & ferrea, illamque retinendi ipsorum dumtaxat vita naturali durante, sub onere per eos exhibito, restaurandi propriis sumptibus ejusdem Ecclesiæ Frontem, quemadmodum fuit ab illis restaurata. *Sess. 14. cap. 12. de Reform.*

Defunctis prædictis Fratribus de Vincis, quorum postremus fuit R. P. D. Conceptus, Capitulum, & Canonici dictæ Ecclesiæ supplicarunt SACRATISSIMUM PRINCIPEM postulantes, quòd cessato dicto privilegio per obitum Fratrum de Vincis in Apostolico Brevis dumtaxat compræhensorum, dicta Ecclesia ad pristinam libertatem suam, eadem intercedente Apostolica auctoritate, clausa fenestra, restituatur. Moderni autem Fratres Vinci, nimirum R. P. D. Joseph Cameræ Apostolicæ Præses; & Comes Asdrubal defuncti Joannis Simonis filii preces porrexerunt EIDEM SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO petentes extensionem supradictæ gratiæ retinendi fenestram, durante tum eorum vita, tum aliorum jam natorum ex dicto Comite Asdrubale.

Utriusque preces Summus Pontifex ablegavit huic Sacrae Congregationi, quæ super illis Informationem, & votum requisivit à Firmano Archiepiscopo. Hic retulit, verum esse, quòd nuperrime *expiraverit Pontificium Indultum, cujus ope prænobilis Familia de Vincis fenestram modò etiam retinet in propriis Ædibus pro Missis, Divinisque Officiis audiendis intus Collegiatam Ecclesiam = nec dubitat, ipsum Pontificium Indultum utpote ad certas, præscriptasque Personas coercitum evanuisse per obitum R. P. D. Concepti Vinci, subditque = Verum auditis tum R. P. D. Josepho Vinci, tum Comite Asdrubale ejus fratre super adnexis precibus Capitularium ejusdem Ecclesie, qui ipsius fenestree remotionem efflagitant, Pontificii Indulti confirmationem exposcunt, iisdem innixi Causis, quibus ab initio eorum Auctoribus fuit indultum.*

Suumque votum aperuit his verbis = *Agitur itaque hac in re, utrum sit confirmandum relatum Pontificium Indultum, sive potius demandanda fenestree remotio juxta preces Capitularium. Ego sane, ut meam, quæcunque ea sit, animi sententiam exponam, censeo, quòd idem Indultum confirmari possit, & valeat. Etenim Familia de Vincis perantiqua Sanguinis nobilitate præfulget, & probatissimos ita mores sectantur moderni Comites, ut timendum non sit, quòd hujusmodi Indulto vel in minimo possint abuti. Et revera iidem Capitulares à me auditi, & requisiti, nil solidi momenti hac in re peculiariter adduxerunt, & ex causa solum expirati Privilegii eorum assensum præstare nolle mihi pandiderunt.*

Materiam Fenestrarum in Ecclesias prospicientium esse de genere prohibitorum non ambigitur juxta *Text. in Clementina prima de Sent. excom.*, quæ tamen regula limitatur in Patrono, qui in limine foundationis hoc jus sibi quæsitum voluerit, vel in eo, qui ob eximia Beneficia optime de Ecclesia meritus fuerit, quemadmodum pluribus relatis Sac. Congregationum Decretis aperitionem fenestrarum prohibentibus, latius ostendunt *Pignattell. consult. 129. num. 17. tom. 4.*, *Monacell. in Formul. legal. for. Eccl. part. 1. pag. 149. num. 17.*, & *seqq.*, & *Urfaya tom. 4. part. 2. discept. 141. num. 34.*, & *seqq.*, & ex quadam epicheja videtur, quòd locus esse possit concessioni, quando agitur de Barone, qui etiam esset insignis Benefactor, agiturque de simplici Ecclesia, vel de Parochiali tantum; secus verò si res esset de Ecclesia Ca-
the-

thedrali, vel Collegiata, veluti profequitur *Pignattell. loco citato num. 25. , & 26. , & Card. de Luc. de Servitut. disc. 16. per tot.*

Quibus etiam consonant hujus Sacrae Congregationis Resolutiones, per quas hujusmodi Indulto locum non esse declaratum fuit, ut *in Mantuana 18. Maii 1726. , in Florentina Indulti 23. Augusti 1738. , & in Nullius Foripompilii 28. Januarii , & 18. Februarii 1758.*

Hic tamen animadvertendum videtur, hanc non agi quaestionem re integra, sed postquam fenestra jam fuit aperta vi Apostolici Indulti, & quidem concessi praevio assensu ipsius Capituli, approbatione Archiepiscopi, & suffragio hujus Sacrae Congregationis; Et quamvis Apostolicum Indultum evanuerit, nec in eo comprahendantur hodierni Comites Vinci Oratores, attamen erit cognoscendum, num illud ampliandum sit ad ipsos Oratores, qui Compatroni sunt, & = *plurima sunt* (ut etiam retulit Archiepiscopus) *Beneficia à Familia de Vincis in ipsam Ecclesiam collata, & plurima munificentiae argumenta, quae etiam in ipso Brevi perleguntur =* & qui nunc offerunt Ecclesiae, & Capitulo cessionem Cappellaniae una cum Jurepatronatu eorum Familiae, & cum Cappellaniae Fundo in Domo consistente annui redditus scutorum viginti octo, cum onere tamen tot annuas celebrandi Missas, quot sunt Cappellaniae redditus.

Sacra Congregatio *in Reatina Indulti diei 24. Maii 1732. interrogata = An Fenestra, de qua agitur, sit claudenda in casu &c. =* respondit = *Negative, solutis tamen scutis 200. in subsidium Fabricae Ecclesiae, & moderata fenestra juxta formam ab Eminentissimo Praefecto approbandam: nec non cum declaratione, quod Indultum suffragetur dumtaxat pro Mariano, ejusque Uxore, & filiis, durante vita ejusdem Mariani, & Uxoris tantum.*

Tam à Comitibus de Vincis, quam à Capitulo, & à Parochianis Compatronis dissentientibus petitae gratiae jura circumferuntur. Queritur.

An sit locus ampliacioni Indulti, seu potius clausurae Fenestrae in casu &c.

Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Sess. 24. cap. 4.
de Reform.

A NCONITANA. Retulit Eminentissimus Anconitanus Antistes, Jacobum Armentici, qui ruralem Ecclesiam propriis sumptibus è fundamentis extruxerat intra fines Plebanæ Ecclesiæ nuncupatæ *del Poggio* Anconitanæ Diæcesis, & qui Missas in ea celebrare faciendæ à dicta Episcopali Curia facultatem obtinuerat usque ab anno 1619., suum ultimum condidisse Testamentum sub die 14. Augusti anni 1632., quo *jussit, & expresse mandavit* (sunt Testamenti verba) *dictus D. Testator, quòd infrascriptus D. ejus Heres universalis ex fructu annuo Censu scutorum vigintiquinque in sorte Aurigam D. Cleopatæ Camerata, sive D. Antonii Camerata ad ejus favorem impositi teneatur singulis annis in perpetuum celebrari facere Missas viginti in Ecclesia propria ipsius Testatoris posita in Territorio Massignani sub invocatione Pietatis* (nunc S. Antonii Patavini), & casu, quo *dictus Debitor Censuarius ad redemptionem dicti Censu deveniret, idem D. ejus heres consimili modo teneatur singulis annis in perpetuum dictas Missas viginti in eadem Ecclesia celebrari facere.*

Retulit etiam, Mariam Armentici Viduam Hieronymi Antici, & præfati Jacobi hæredem in ejus ultimo elogio condito sub die 12. Septembris anni 1663. præcepisse = *che li suoi Eredi universali* (his verbis Testatrix loquuta est) *istituuti, e rispettivamente sostituuti siano tenuti, ed obbligati ogn'anno in perpetuo fare la Festa della Natività della Bm̃a Vergine alli 8. Settembre, ed anche la Festa di S. Antonio di Padova alli 13 di Giugno nella Chiesa detta delli Armentici nel Territorio del Poggio, e farci celebrare quella quantità di Messe, che stimeranno sufficiente in detti giorni, nelle quali Messe però vuole, che siano anche comprese quelle Messe, che essa Signora Maria è tenuta per obbligo di farvi celebrare in detti giorni.*

Utraque perpensa dispositione, ait Eñus Episcopus, dubium oriri super dictarum Missarum numero in eadem Ecclesia quolibet anno celebrandarum, rationemque dubitandi in eo versari, quòd cum Jacobus Armentici voluerit celebrationem annuarum Missarum viginti, nequiverat Maria Armentici dispositionem Auctoris sui Jacobi immutare, præcipiens geminas in dicta Ecclesia fieri Festivitates cum celebratione plurium Missarum ex illis viginti à Jacobo præscriptis. Subditque, Authographum Testamenti Mariæ non reperiri, sed dumtaxat simplex illius exemplar existens in Archivio, proinde

deque animadvertit, errorem esse præsupponendum in exemplari, nam cum in eo scripta fuerit declaratio Mariæ, nimirum = *nelle quali Messe però vuole, che siano anche comprese quelle Messe, che essa Signora Maria è tenuta per obligo di farvi celebrare in detti giorni* = scribi deberet = *non comprese quelle Messe &c.* = aliter præter nullitatem dispositionis, nihil de proprio addidisset.

Præterea inquit Eñus Episcopus, majorem Missarum celebrationem illa Missarum viginti à Jacobo demandata, suadere Pastorales Visitationes, depositionem Administri Capituli Cathedralis Ecclesiæ, nec non Tabellam, in qua leguntur Missarum onera dictæ ruralis Ecclesiæ, nimirum Missarum duodecim pro illius erectione, aliarumque viginti, juxta dispositionem Jacobi Armentici, ac demùm duorum Officiorum Missarum quatuor pro quolibet celebrandarum, scilicet quoad unum in die festo Nativitatis Bñæ Virginis Mariæ, & quoad alterum in die festo S. Antonii Patavini.

Vèrum cum omnia hæc Missarum onera adimplere detrectet Comes de Tauroleonibus mediatum dictorum Armenticiorum hæres, exceptis dumtaxat Missis viginti à Jacobo præscriptis, hinc Eñus Antistes hanc Sacram Congregationem exorat, ut, perpensis transmissis juribus, Missarum annuatim celebrandarum numerus, & quantitas definiatur.

Ad Causam vocatus Comes de Tauroleonibus sustinet, ipsum obligatum esse ad celebrationem annuarum Missarum viginti tantum; quas Jacobus Armentici celebrandas esse præceperat: Et quamvis Maria Armentici voluerit, quòd in geminis præscriptis Festivitatibus celebraretur = *quella quantità di Messe, che stimaranno sufficiente in detti giorni* = declarasse tamen, has Missas esse debere ex illis viginti præscriptis à Jacobo Armentici Auctore suo, dum subdit = *nelle quali Messe però vuole, che siano anche comprese quelle Messe, che essa Signora Maria è tenuta per obligo di farvi celebrare in detti giorni.*

Nullumque errorem in hac Mariæ declaratione præsumi posse Comes contendit, quia non exemplar, sed autographum est Mariæ Testamentum existens in Archivio, cujus proinde verba, prout sonant, esse accipienda *Rot. in Pacen. Præcedentiæ super Remissoria 10. Maii 1758. §. 5 coram clar. mem. Card. Caprara*, nec esse per subauditum intellectum superaddendam particulam negativam = *non* = nimirum = *non comprese quelle Messe &c.* =, nam

nam per illam verborum, & periodi sensus, nec non Testatrix mens, & voluntas immutaretur, contra ea, quæ firmavit *Rota in Ariminen. Fideicommissi de Ridulphis* 16. Februarii 1756. §. 11. *cor. clar. mem. Card. Caprara.* Verum nec esse, ait Comes, quòd Maria Testatrix Legato pio nihil addiderit de proprio, quia ipsa mandavit, dictas geminas celebrari debere Festivitates, nec unquam immutasse dispositionem Jacobi, dùm jussit, in unoquoque die præscriptæ Festivitatis plures esse Missas ex illis viginti Jacobi celebrandas, quia Jacobus nec diem, nec mensem, nec Festum assignaverat, in quo essent Missæ celebrandæ.

Insuperque Comes propugnat rem non mutare Pastorales Visitationes, nec depositionem Administræ Capituli Cathedralis Ecclesiæ, nec Tabellam; nam cum hæc omnia in unam Missarum quantitatem non convenient, exprimantque sine ullo documento, vel fundatione majorem Missarum quantitatem illa Missarum viginti præscripta in Armenticiorum Testamentis, hinc non esse attendenda, utpote quæ mox dictis Testamentis adversantur, læduntque probata jura Comitum de Tauroleonibus, ejusque Successorum ex firmatis per *Rot. coram Bich. decis. 162. n. 20. & seqq.*

His etiam accedere, quòd idem Comes pro adimplemento Legati de Armenticiis celebrare fecit anno quolibet ab illo scilicet 1755, usque ad hodierna tempora Missas dumtaxat viginti, retulitque à Revisore Synodali gemina satisfactionis, & adimplementi Decreta, quorum postremum fuit editum anno 1778., non obstantibus Sacris Visitationibus, & Tabella majorem Missarum quantitatem præferentibus. Quare concludit, pro exclusione majoris oneris Missarum urgere observantiam interpretationum reginam, quatenus etiam dubia esset Mariæ Armentici dispositio circa Missarum celebrandarum numerum *Card. de Luca de Jurepatr. disc. 13. sub numer. 4. vers. Contrarium, & Rota in Monasterien. Vicariatus* 15. Junii 1710. §. *Quoties cor. clar. mem. Card. Aldovrando.*

At verò Comes nedum contendit, ipsum non teneri ad majorem celebrandarum Missarum quantitatem illa Missarum viginti, sed etiam sustinet, eam esse reducendam ad quantitatem annuarum Missarum decem, nam de Censu, quem pro illarum celebratione taxativè Jacobus assignavit, periit memoria, & quis tunc fuerit illius debitor, & qui modò sit, & quot fuerint annui redditus dicti

dicti Censuræ, penitus ignoratur. Verum posita etiam illius existentia, positisque redditibus in annuis scutis duobus, ad rationem scilicet scutorum octo pro quolibet centenariis, & anno, cum ii redditus impares modò sint pro eleemosyna Missarum viginti in rurali Ecclesia celebrandarum, hinc postulatur Missarum reductio ad numerum Missarum decem cum eleemosyna juliorum duorum pro qualibet Missa, aliter nullus inveniretur Sacerdos, qui pro celebrando Sacro ad ruralem Ecclesiam accedat cum eleemosyna julii unius. Sacra Congregatio in *Bracharen. Reductionis Onerum* 16. Januarii 1779.

Cætera habentur in Libello à Comite circumferendo. Duo sunt definienda Dubia.

- I. *An, & in quo numero constet de onere celebrationis Missarum in Oratorio, seu Ecclesia, de qua agitur, in casu &c.*
- II. *An sit locus reductioni earumdem Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

TIRASONEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Hujus quæstionis summa, & rationum momenta proposita fuerunt in postrema Congregatione diei 11. mox elapsi mensis Maii, nec ulla capta fuit resolutio, edito Rescripto = *Dilata = Resumpto* itaque dictæ Congregationis folio, dignabuntur EE. VV. nunc decernere.

Sess. 23. cap. 8. de Reform.

An Regulares degentes in Diœcesi, ubi Sedes Episcopalis vacet, possint promoveri ad Ordines à quocumque Catholico Antistite cum Litteris Dimissorialibus suorum Prælatorum, & cum attestatione Vicarii Capitularis testantis de Sedis Episcopalis vacatione in casu &c.

90
VENTIMILIEN. COGNATIONIS SPIRITUALIS.
Die 3. Mensis Februarii anni 1766. ex Conjugibus
Carolo Dominico, & Anna Maria Casanova e Loco
Pignæ Ventimiliensis Diæcesis ortum habuit Maria Ma-
gdalena, quæ sequenti die 4. Februarii baptizata fuit à
Sacerdote Ludovico Rebaudo Præposito Parochialis Ec-
clesiæ dicti Loci Pignæ, Compatribus, ut in libro Ba-
ptizatorum inscriptum est, & habetur ex fide Baptis-
matis, Jacobo Pianavia, & Maria Magdalena Guarina.
Nunc idem Jacobus in uxorem ducere exoptat supradictam
Mariam Magdalenam Casanova contendens, se è Sacro
Fonte eam non levasse in Baptismate eidem in Ecclesia
collato, cum illa jam pridie ob imminens mortis pericu-
lum Domi fuerit baptizata, sed solummodo forsan præ-
sentiam suam præstitisse cæremoniis in Ecclesia suppletis.
Super his confectus fuit judicialis Processus in Episcopali
Curia Ventimiliensi. Et quamvis ex formali examine
Paulæ Mariæ Maccari constet, ipsam Domi Casanova
propter necessitatem baptizasse vix natam Mariam-
Magdalenam, præsentem, & consentientem tam Obstetri-
ce, quæ nunc obiit, quàm ipsius Infantis Patre, qui for-
miter etiam examinatus id iisdem fere verbis affirmat,
atque testatur, constetque pariter, Præpositum baptizan-
tem, qui nunc etiam decessit, senem fuisse, quotidie infir-
mum, & negligentem; Jacobum verò promptum esse, in-
terposito juramento, testari non reminisci, se occasione
cæremoniarum in Ecclesia dictæ Mariæ Magdalenæ Casa-
nova suppletarum fuisse Patrinum, quantumvis asserat die
dicta 4. Februarii fuisse Domi Conjugum Casanova, & in Ec-
clesia cum eorum Consanguineis, & Amicis, ut moris est
in Loco Pignæ, imò in eodem loco duos alios adesse ejus-
dem nominis, Cognominis, & Familiæ qui secernun-
tur ex diverso nomine eorum respective Patris, quod
Præpositus omisit.

Nihilominus Episcopus, ut ipse ait, *in hac facti specie nihil
definiendum putavi, seu potius juxta mentem Doctorum
materiam hanc pertractantium, rem totam deferre ad de-
cisionem hujus Sacri Senatus, cujus sapientissimo Oraculo
me penitus remitto* =, ideoque sub die 22. Decembris
1781. dictum fuit, quòd hæc petitio proponeretur in
Folio.

Pro certo enim admisso, Baptisnum Mariæ Magdalenæ
Casanova pridie ob mortis periculum fuisse Domi colla-
tum, necessario sequi videtur, Baptisnum eidem po-
stridie

stridie ministratum à Præposito in Ecclesia non fuisse verum, propriumque Baptismum. Regula juris est, Baptismum reiterari non posse, & si reiteretur, nullum esse, irritumque, proindeque ex hujusmodi Baptismi reiteratione nullam prorsus oriri Cognationem Spiritualem inter Patrinum, & rebaptizatam, ejusque Parentes, veluti cum Concordantibus testatur *Sanch. lib. 7. de impedim. Matrim. disput. 62. num. 5.*, & Sacra hæc Congregatio in *Murana Cognationis Spiritualis*, in qua Puella statim nata ob imminens mortis periculum fuerat Domi baptizata; Cumque deinde ad Ecclesiam pro explendis solemnitatibus consuetis delata fuisset, eam de novo Parochus inscius baptizavit, ipsamque Joannes Franciscus Farella è Sacro Fonte suscepit, quæsitum hinc fuit = *An inter dictum Joannem Franciscum, & Matrem Puellæ ortum sit impedimentum Cognationis Spiritualis, quominus possint inter se Matrimonium contrahere* = die 13. Aprilis 1669. responsum datum fuit *Negative ut in libr. 26. Decret. pag. 207.*

Quamobrem si Baptismus Mariæ Magdalenzæ in Ecclesia collatus haberi non potest pro vero, & legitimo Baptismate, accipiendum tamen esse videtur pro Catechismo, sive pro adhibitis Cæremoniis consuetis. Nec obstare, quod dicitur in *Cap. 2. de Cognatione Spirituali in 6.* Catechismum scilicet præcedere Baptismum, & præcisè hisce verbis = *Per Catechismum, qui præcedit Baptismum* = Hæc enim verba apposita nullo modo sunt, ut intelligatur, Catechismum suapte natura præcedere debere Baptismo, sed potius *frequentioris usus gratia*, nimirum quia communiter, & recto servato ordine Catechismus semper Baptismum præcedit; Aliquando tamen per accidens, & ratione occurrentis necessitatis Catechismus Baptismam subsequitur, *Ludovicus Lop. 2. part. instruct. de matrim. cap. 51. col. 3. init. §. ex quo corollarie sequitur, Enriq. lib. 12. de Matrim. cap. 2. num. 2. Pirhing. lib. 4. tit. 11. de Cogn. spirit. §. 3. num. 24.*, & *Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 10. num. 7.* Quinimo quidquam nec refert si longo tempore ex necessitate post Baptismum Catechismus accedat, teste *Hieronimo Paulo in provinc. f. 16.*, & *Covar. 4. decret. 2. part. cap. 6. §. 4. num. 11.*, & refert idem *Sanchez loco citato.*

Hisce præmissis, examinandum nunc erit an Jacobus Pianavia, qui tamquam Patrinus descriptus fuit, ullam cum præfata Maria Magdalena spiritualem contraxerit cognationem.

tionem, quæ Matrimonium contrahendum impedire possit.

In *Cap. Per Catechismum 2. de Cognat. spirituali in 6.* rescribit Pontifex Bonifacius VIII., per Catechismum eam spirituales cognationem contrahi, quæ Matrimonium contrahendum impediatur, veluti etiam colligitur ex decretali Clementis III. in *Cap. contracto 5. eodem tit.*; ubi dicitur, per Catechismum vix impedimentum afferri Matrimonio contrahendo. Illud tamen, quod *vix fieri dicitur*, fieri tamen potest, ut clarius explicatur in *dicto Cap. 2. eod. tit. in 6.*, ibi = *Quod vix fit, fieri tamen dubium non est.*

Hæc autem, quæ per Catechismum Spiritualis Cognatio contrahitur, imperfecta dicitur ad differentiam alterius Spiritualis Cognationis, quæ per verum, & proprium Baptismum contrahitur, quæque perfecta dicitur, & non solum Matrimonium impedit contrahendum, sed dirimit etiam contractum, prout distinguunt *Pirhing. in loco cit. num. 24.*, & *Sanchez pariter in eodem loco n. 2.*

Hodie verò dubitatur, an per Sanctam Tridentinam Synodum *Sess. 24. cap. 2. de Reformat. Matrim.* sublatum sit hujusmodi impedimentum oriens ex Catechismo ad Matrimonium contrahendum. Verum si prædictæ Sessionis præfatio attendatur, ex qua, ut firmat *Tiraquell. tract. cessante causa limit. 1. num. 65.*, legis intentio colligenda est, deduci posse videtur, ibi solum Cognationem dirimentem Matrimonium restringi velle, non autem etiam illam, quæ Matrimonium impediatur contrahendum. In ea enim dicitur = *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur* = Quæ rationes locum certè non habent in cognatione spirituali, quæ ex Catechismo oritur. Per eam enim Cognationem Matrimonium contractum non dirimitur, neque in eo cum peccato perseveratur: Ideoque etiam post Tridentinum Spiritualis imperfecta Cognatio Matrimonium contrahendum impedire videtur, cujus Sententiæ adsunt Doctores plures, qui post Tridentinum scripserunt, & præsertim *Anton. Cuccus lib. 5. in Instit. major. tit. 12. num. 17. Lancel. Instit. Juris Canonici lib. 2. tit. de triplici cognatione 5. per Catechismum vers. dissolvetur Palacios 4. dist. 42. disput. unica col. 29. & 30. fol. 927.*

Probabilius tamen videtur, per dictam Tridentini *Sessio-*
nem 24. *cap. 2. de Reform. Matrim.* Catechismi impedi-
 mentum penitus fuisse sublatum. Ibi enim numerantur
 Personæ, inter quas dumtaxat contrahitur Cognatio
 Spiritualis, nimirum = *Per Baptismum, vel confirmatio-*
nem; Et jure antiquo circa hoc correcto sic Concludatur;
Omnibus inter alias personas hujus Spiritualis cognationis
impedimentis omnino sublatis = ut his verbis animadvertit
Sanchez cit. loco num. 12.

Cum itaque Sancta Synodus designet, statuaturque Personas,
 quas inter cognatio spiritualis contrahitur, & nulla ibi
 fiat mentio; de Cognatione, quæ per simplicem Cate-
 chismum contrahi possit, cumque in eadem Sancta Sy-
 nodo concludatur nullas inter alias personas cognationis
 impedimentum contrahi; conjiciendum videtur, nullam
 cognationem spiritualem etiam ad effectum impediendi
 Matrimonium contrahendum illos contrahere, qui tam-
 quam Patrini interunt Catechismo. A præcisus autem
 ejusdem Tridentinæ Sanctionis verbis mandat S. Pius V.
 in suo Motu proprio edito anno 1566. quarto Kal De-
 cembris non esse ullo modo recedendum. Hanc etiam
 sententiam sequuntur *Ovand. 4. dist. 42. disp. unic. prop-*
pos. 8. Euriq. lib. 2. de Baptismo cap. 15. num. 4., &
cap. 18. num. 2. in fin., & lib. 12. de matrim. cap. 2.
num. primo Petr. de Ledes Sum, Sacramentor, cap. 13. de
Baptism. Dub. 2. post 5. concl., & in suo Tract. de Ma-
trim. quæst. 56. art. 3. §. In hujus exposit,; Et tam cita-
tus Pirhingius in eodem loco num. 25., quàm Sanchez loco
cit. dicto num. 12. inquit, & probant sententiam esse
veriore.

Et Gonzalez in citato lib. 4. *Decretalium tit. 11. dicto capit.*
contracto in suo Commentario in fine testatur, ita, decisum
fuisse a Sacra Congregatione, ibi = Hodie tamen hæc spe-
cies Cognationis spiritualis sublata est per Tridentin.
Sess. 24. de Reform. cap. 2., ut declaravit Sacra Congre-
gatio per hæc verba: Qui in Ecclesia fuit præsens ei, quæ
Domi verè fuit baptizatus, si deinde in Ecclesia fuerunt
servatæ solemnitates, nullam specialem cognationem con-
traxit =.

Jura a Jacobo Pianavia circumferuntur. Dubium est,
An constet de Cognatione spirituali in casu &c.

NULLIUS SUBLACEN. BENEPLACITI APOSTO-
LICI. Quamvis hæc etiam Causa fuerit pro quarta
vice proposita in eadem postrema Congregatione habita die
11. proximè præteriti mensis Maii, attamen scissis in
æquas partes Amplissimorum Patrum suffragiis, rescrip-
tum fuit, quodd iterum reproponeretur. Ne autem in-
longius protrahatur hæc Causa, eam iterum pro quinta
vice damus, ut Eminentissimi Patres, repetita lectione
Foliorum diei 16. Junii 1781., quo primum illius species,
& rationum momenta data fuerunt, prout ex Tom. L.
Thes. Resol. Sac. Congreg. Concil. pag. 103., & seqq., &
diei 11. superioris mensis Maii, respondeant.
An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

FIRMANA CAPPELLANIÆ: Species omnis hujus
Causæ habetur in Folio Congregationis habitæ die 23.
Februarii proximè præteriti. Gemina, quæ erant Du-
bia, I. *An per promotionem R. P. D. Bacher ad dignita-
tem Episcopalem vacaverit Cappellania laicalis S. Bernar-
di Terræ S. Elpidii in casu &c.* =, & quatenus affirmati-
ve. II. *An sustineatur nominatio Sacerdotis Moretti, seu
potius sit adjudicanda Cappellania Sacerdoti Petruccio in
casu &c.* = ea die proponi non potuerunt. Iis autem in
sequenti Congregatione diei 16. nuper elapsi mensis Mar-
tii propositis, respondit Sacrum Tribunal, ad I. *Affir-
mative, Ad II. Affirmative ad primam partem, negative
ad secundam* = Succumbentes iterum audiri postularunt,
ideoque resumpto Folio dictæ Congregationis diei 23. Fe-
bruarii, respondendum nunc erit.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Die Sabbathi 13. Julii 1782. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

POSNANIEN. Dedimus hanc causam in Folio Congregationis habitæ die 20. Aprilis currentis anni. Gemina fuerunt dubia. Primum = *An constet de Nullitate Ordinationis ad subdiaconatum in casu &c.* = & quatenus negative subsequeretur secundum = *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.* = quibus dubiis Eminentissimi Patres in sequenti Congregatione die 11. Maii responsum dederunt = *Ad primum Negative ad secundum consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis =* Cum vero ad Supremum Sacræ Congregationis Judicium disputatio circa secundum dubium redire debeat, resumpto Folio Congregationis prædictæ diei 20. Aprilis decernere dignabuntur EE. VV. quoad prædictum secundum Dubium. *An sit standum vel recedendum a decisio in casu &c.*

Sess. 23. cap. 5. de Reform.

Post præin fertæ Causæ definitionem aliarum quinque Causarum mox describenda dubia, quæ in præterita Congregatione diei 8. nuper elapsi Mensis Junii discussi ob temporis angustiam non potuerunt, nunc ejusdem Congregationis repetito Folio, eximia, qua doctrina polent erunt ab EE. Patribus definienda.

In Decisis :

*Seff. 24. cap. 4.
de Reform.*

ANCONITANA, cujus bina sunt capita.

- I. *An, & in quo numero constet de onere Celebrationis Missarum in oratorio, seu Ecclesia, de qua agitur in casu &c.*
- II. *An sit locus reductioni earundem Missarum in casu &c.*

Ad I. affirmative in omnibus juxta votum E^mi Episcopi. Ad II. negativè, & amplius.

*Seff. 23. cap. 8.
de Reform.*

TIRASONEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Post elapsam Congregationem diei 8. Junii proxime præteriti, binæ fuerunt in ejusdem Sacræ Congregationis Regestris adinventæ Resolutiones iisdem verbis conceptæ, quarum primâ prout jacet, hic refertur, & subiicitur oculis Eminentissimorum Patrum.

In Lib. XII. Decret. S. Congregationis Concilii ab anno 1619. ad annum 1626. sub die 24. Augusti 1619. pagina 22. a tergo, & pagina 23. sic habetur.

Sacra censuit superiores Regulares posse suo arbitrio itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit litteras dimissorias concedere ad Episcopum tamen diæcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia, ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit, & si diæcesanus obfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, vel sedes Episcopalis vacaret, ad quemcumque alium Episcopum, dummodo tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit examinetur quo ad doctrinam & dum ipsi Regulares, non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus diæcesanus vel absfuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes. Verum cum a Superioribus Regularibus Episcopo diæcesano absente, vel Ordinationes non habente litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentis diæcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod si Regulares ordi-

nan-

nandi morentur in Monasterio nullius diœcesis , hujusmodi dimissorias concedendas esse ad Episcopum viciniorum , in eoque procedere omnia, quæ de Episcopo diœcesano superius præscripta sunt .

Decretum idem repetitum legitur in lib. XXIX. Decretorum ejusdem S. Congregationis Concilii annorum 1675. 1676. 1677. sub die 20. Julii 1675. pag. 108. in *Causa Præmostratensium dimissorialium* . Definient modo EE. VV.

An Regulares degentes in diœcesi , ubi sedes Episcopalis vacet , possint promoveri ad ordines a quocunque Catholico Antifite cum litteris dimissorialibus suorum Prælatorum , & cum attestatione Vicarii Capitularis testantis de sedis Episcopalis vacatione in casu &c.

Dentur decreta dierum 24. Augusti 1619. , & anni 1775. sub die 20. Julii , factis verbo cum SSmo.

VENTIMILIEN. COGNATIONIS SPIRITUALIS, in qua respondendum est .

An constet de cognatione Spirituali in casu &c.

Seff; 24. cap. 2. de Reform. Matrim.

Ad D. Secretarium cum SSmo .

NULLIUS SUBLACEN. BENEPLACITI APOSTOLICI , in qua disquiritur .

An sit standum , vel recedendum a decisis in casu &c.

Seff. 22. cap. 115 de Reform.

In decisis & amplius , cum obligatione conficiendi reinvestmentum pretii scutorum nempe 850. in bonis liberis tutis, & fructiferis ad rationem sc. quatuor pro quolibet anno, & centenariis, vel quatenus pretium non solvatur cum obligatione solvendi per emptorem fructus recompensativos ad rationem sc. quatuor pro quolibet centenariis, & anno , & cum reservatione dominii usque ad solutionem integri pretii , & cum solitis Clausulis .

Sess. 7. cap. 4.
& Sess. 25. cap. 5
de Reform.

FIRMANA CAPPELLANIÆ, cujus dubium.
An sit standum, vel recedendum a decisis.

In Decisis, & amplius, & quoad supplicem libellum
Ludovici Moretti ad D. Secretarium cum SSmo.

Sess. 24. cap. 12.
de Reform.

NARNIEN. JUBILATIONIS. Sex elapsi sunt anni
supra quadraginta, ex quo Canonicus Thomæ Flo-
rentia possessionem Canonatus nactus fuit in Collegia-
ta Ecclesia S. Michaelis Archangeli Terræ Stronconii
Narniensis Diocesis.

Idem Anno nuper elapso indultum Jubilationis ab EE. VV.
postulavit, super cujus precibus auditus Episcopus re-
tulit *sub die 26. Martii dicti præteriti anni 1781.* Canoni-
cos suum consentum postulatae jubilationi non præstare.
cum hæc in Ecclesiæ detrimentum cedere videatur,
Subdit vero Episcopus.

*His tamen non obstantibus, quum in oratore præter longum
servitium Ecclesiæ præstitum spatio annorum quadraginta
quatuor [interruptum sane fere per decennium minimè qui-
dem voluntarie; sed vi coactus, ut se defenderet a Crimi-
næ capitali, de quo injuste accusatus extiterat, & a
quo ex capite innocentie deinde fuit absolutus a Supremo
Tribunali Sacræ Consultæ.) Ac insuper propter ingra-
vescentem ætatem Annorum septuaginta concurrat etiam
habitualis morbus, de quo testatur Medicus conductus
Terræ Stronconii, idcirco attenta hujusmodi commisera-
tionis causæ infirmitatis habitualis præter senectutem, li-
cet non constet de laudabili servitio Ecclesiæ, tamen saltem
ex gratia propter circumstantias expositas, esse in sensu,
nisi aliter videatur isti S. Congregationi, ut concedi pos-
set eidem Oratori hujusmodi Indultum, per quod præfer-
tim nullum videtur esse detrimentum servitio Ecclesiæ.*

Hac informatione ostensa, Canonicus Florentia EE. VV.
iterum supplicavit, quod laudato Episcopo injungere
dignarentur, ut clausulam = *licet non constet de laudabi-
li servitio Chori* = explicaret, librosque Punctaturarum
perquireret. Super novis precibus denuò requisitus
Episcopus postquam retulit Archipresbyteram una
cum

cum aliis duobus Canonicis adhuc petito indulto obstare, & addidit Canonicum Florentia quadraginta, & ultra annorum spatium (eo tamen dempto decennio, in quo coactus fuit Orator abesse ab Ecclesia sua) laudabile servitium Ecclesiae suae praestitisse hocque satis constare non solum ex Punctaturarum Libris, sed etiam ex plurimum Canonicorum depositione. Ita dein concludit.

Itaque e conspectu tot Testium, ex quibus eruitur probatio laudabilis servitii Ecclesiae ab Oratore praestiti, eoque magis attendita probatione desumpta ex libris Punctaturarum, videtur penitus evanescere oppositio Archipresbyteri, & aliorum duorum Canonicorum dumtaxat, fundata in propria assertione, omnique probatione penitus destituta, eaque propter constito jam de laudabili servitio Ecclesiae nec non de senectute, ac de mala valetudine Oratoris, esse in sensu ut concedi possit Oratori petitum Jubilationis indultum = Laudabilis in hac Sac. Congregatione invaluit consuetudo, ut Canonicis, qui annorum quadraginta spatium laudabile Ecclesiae suae servitium praestiterint, Jubilatio concedatur. Ullo igitur absque examine Jubilationis indultum concedendum esse videretur Canonico Florentia, qui Ecclesiae suae ab anno 1736. laudabiliter inservit, prout in secunda sua informatione perspicue explicat comprobataque Narniensis Antistes.

Rem vero ambigam aliquo modo reddere videtur tempus quoddam interruptum, in quo Ecclesiae praedictae Canonicus inservire non potuit; Quod licet a laudato Antistite innuatur, quomodo tamen factum id fuerit, quidque inde acciderit Sapientissimis EE. VV. oculis in hac causae specie subiiciendum esse videtur.

Tempore, quo laudabiliter Ecclesiae suae vacabat, Canonicus commissi de Mandato homicidii fuit ipse accusatus una cum Francisco Florentia ejus Patre. Ob probationum defectum cum accusatio excludi non posset ne detruderetur in Carceres, fugam Canonicus arripuit a Patria, atque in exteras Ditiones peregrinatus est. In Curiae vires tandem ipse devenit, qui primum in Narniae, dein in Urbis Carceribus detentus fuit, ubi suum una cum Patre per quadriennium luxit infortunium. Innocentia utriusque illuxit cum Josephus Allegrini unicus patrati homicidii Reus in Fiscis potestatem devenit, qui fuit inde a Sac. Congregatione Consultae die 15. Septembris 1747. ad triremes per quinquennium damnatus, atque transmissus fuerit, & decretum con-

temporaneè , ut ambo relaxarentur *tanquam reperti non culpabiles super Mandato ad occidendum Thomas , & Franciscus Florenza .*

Canonicus Thomas suam in libertatem restitutus in Tribunali Signaturæ Justitiæ egit adversus Sacerdotem Mathæum Jubilei , qui tempore Carcerationis prædictæ illius Canonicatum a Dataria Apostolica impetraverat . Rescriptis Signaturæ circumscripta fuit possessio Sacerdotis Jubilei , & in eam restitutus Canonicus Florentia , cui præterea fuerunt restituti fructus omnes absentiae tempore percepti , ac si præsens semper fuisset . Constant hæc omnia ex Positione Sacræ Congregationis . Hisce præmissis .

Ad causæ examen accedentes attendi posse primo videtur , nonnullas adesse legitimas causas , inter quas *urgens necessitas* , ex qua legitime abesse potest Canonicus a sua Ecclesia , & nihilominus tamquam præsens considerari , lucrarique debet tam Ordinarias, quam Extraordinarias Distributiones , ceu tradit *Gloss. in cap. unic. de Cleric. non Resid. in 6. verbo idem* , & statuit hæc Sac. Congregatio in *Fundana distributionum , & Fructuum 3. Julii 1734.* Ita procedendum esse cum Canonico , qui se abstinere ab Ecclesia cogitur vel ob graves inimicitias contra ipsum exortas , vel aliud grave urgensque vitæ periculum , uti docet *Textus in cit. cap. unic. de Cleric. non resid. , & Piton. tom. 1. discept. 34. num. 4. , & 24.*

Sac. Congregatio in *Caputaquen. die 18. Augusti 1731.* cum ad instantiam Natalis Quaranta absentis ob Baronis indignationem ab Ecclesia sua propositum in hac Sac. Congregatione fuerit dubium = *An Sacerdoti Natali Quaranta tempore suæ absentiae debeatur portio Massæ communis sicut cæteris Sacerdotibus deductis tantum oneribus Missarum* = responsum prodiit = *Affirmative pro tempore præterito , & ad D. Secretarium juxta mentem .*

In *Reatina distributionum* in qua agebatur de Canonico , qui ob imputatum homicidij crimen a sua Ecclesia abfuerat , distributiones inde postulabat , postquam *per Summaria precum* responsum fuerat *negative* , causa inde in folio descripta , Sacra Congregatio censuit = *prævio recessu a decisis distributiones deberi usque ad diem obtenti decreti non molestetur* = prout videre est in *lib. 58. decretorum pag. 158. a tergo .*

An autem eo modo , quo coacta Canonici absentia ab Ecclesia non obstat , quominus omnes fructus , omnesque distri-

distributiones percipere ipse possit, ac si fuisset præfens, eodem modo non obstet dicta absentia ad effectum etiam jubilationis indultum obtinendi Eminentissimorum Patrum sapientiæ relinquatur decernendum.

An præterea in hac facti specie, in qua Canonicus ab Ecclesia sua propter calumnias coactus fuit abesse, aliqua ponderatione dignum sit servitium ab eodem tamquam Clerico eidem Ecclesiæ ante Canonicatus adeptionem quinque annorum spatio præstitum; an denique momentum aliquod in hoc præciso casu vel decrepitæ Oratoris ætati, vel infirmæ valetudini tribuendum sit, hoc pariter Sapientiæ erit EE. VV. perpendere.

Jura a nemine hæctenus habuimus. Partes autem erunt Eminentissimorum Patrum definire.

An Jubilationis indultum sit concedendum in casu &c.

TERRACINEN. , ET PRIVERNEN. Erectus est ab antiquo tempore in Arcisurgæ Terra Privernensis Dicecesis pius quidam frumentarius Mons, cujus Administratori juxta majorem, vel minorem rei frumentariæ annonam major, vel minor suæ operæ merces in quadam frumenti quantitate constituebatur.

*Sess. 22. cap. 9.
de Reform.*

Anno 1758. , quo pro mercede duo rubra Administratori dabantur, cum illud officium vacasse contigerit, electus in Administrum fuit a bo. me. Episcopo Odoardi Petrus Paulus Trentacarlini. Hic vero per publicum Instrumentum duplicem in se obligationem suscepit, alteram Sacro Monti cedendi, & donandi eam frumenti quantitatem, quæ pro Mercede Administratori dabitur, alteram vero tradendi quotannis eidem Monti de proprio rubrum unum frumenti declarans, se contentum esse = *delli soliti crescimonii naturali, che potessero augmentarsi dall' esazione de grani =*

A prædicto Episcopo anno 1762. electus fuit Syndicus, qui rationibus administrationis expensis, præcepit, ut præfato Trentacarlini tria frumenti rubra condonarentur quæ tribus suæ Administrationis annis eidem monti tradere neglexerat, voluit insuper idem Syndicus, prædictum Administratorem absolutum ab onere quotannis tradendi conventum rubrum, suamque operam in posterum gratis esse præstandam:

Post

Post decennium idem Episcopus Odoardi in actu S. Visitationis Syndici ordinationem tacite revocando mandavit, obligationem servandam esse a Trentacarlino anno 1759. susceptam, quæ Episcopi sententia, cum in ejusdem Trentacarlino cognitionem devenisset, supplicem hic præfato Antistiti porrexit libellum, in quo, ut in officio detineretur, ratihabuit suam obligationem anni 1758., promittendo non solum se traditurum rubra, quæ pro tempore præterito non dederat, sed etiam pro tempore futuro quotannis traditurum fore rubrum unum ad formam pacti conventi. Quibus sic compositis Trentacarlino in officio confirmatus fuit. Hodiernus Episcopus in actu Visitationis cum comperiisset, prædictum Administratorem suæ reiteratæ obligationi minime satisfacisse (duodeviginti enim annorum spatio unicum tantum rubrum præstiterat) eundem ad aliorum septendecim rubrorum traditionem damnavit.

Ab hoc Episcopi Decreto recursum habuit Trentacarlino ad hanc Sac. Congregationem, quæ die 17. Junii anni 1780. rescripsit = *Episcopo pro informatione, & voto transmissio Instrumento obligationis per Oratorem emisse, sententia syndicatoria anni 1762., & subsequitis Decretis Episcopalis Auditis* = Ex hisce ab Episcopo una cum sua informatione transmissis, quod superius narrabatur satis eruitur.

Exemptionem se consecuturum sperat Trentacarlino, ea ex ratione, quod incaute obligationes ab ipso susceptæ fuerint, & præterea quia ipse non solum nullum præmium referret ex opera sua, quod damnatur *ex Constitutione Leonis X. inter multiplices*, sed etiam damnum sentiret, & pro se tandem habere Syndicatoris sententiam.

An vero incauta dici possit obligatio, adeoque rescindenda, quæ a viro & firmæ ætatis, & judicii, inita fuerit; An *Constitutio Leonis X.* respiciat eos etiam, qui favore pie causæ ultroneè, & nullo impellente sese obstrinxerint ad gratis præstandam operam, vel ad aliquid etiam de proprio favore pii operis tribuendum; Hæc erunt ab EE. VV. examinanda; quemadmodum expendendum erit, an syndicator limites suæ delegationis excefferit, & an delegans Episcopus decreto suo delegati sententiam revocare queat.

Attendi ex adverso debet tantam non fuisse Trentacarlino jacturam ex susceptis obligationibus, cum sibi utilia reservaverit *ex naturalibus augmentis* provenientia.

Cætera colligent EE. VV. ex juribus ab utraque parte circumferendis, quibus visis definient.

An servandum sit Decretum Episcopi latum die 17. Junii 1777.,
 seu potius Sententia Syndicatoris diei 28. Junii 1762. in
 casu &c.

NEPESINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARI-
 TATE. Sexto Nonas Martii anni 1780. circa ho-
 ram secundam noctis in Domo Sacerdotis Alexandri de
 Angelis Mazzani Oppidi Nepesinæ Diocesis ipsum inter,
 suosque consanguineos rixa excitata fuit. Ne quid mali
 accideret, in Domus Cubiculum detrusus fuit Sacerdos.
 Cæteris vero litigantibus, qui sese circa Domus januam
 constituerant, adolescens etiam accessit Antonius Dio-
 tallevi, a quo utpote Sacerdotis amico, & hospite cum
 adversus consanguineos prædictos eructarentur injuriæ,
 strepitus percerebuit. Hinc Sacerdos e cubiculo erumpens
 stricto gladlo, quem ex baculo affabrè constructo
 extraxerat, in obscurum litigantium agmen sese conjecit;
 & quem verosimiliter nolebat, Antonium Diotallevi
 adeo graviter vulneravit, ut binas post horas Sacramen-
 tali absolutione munitus occubuerit.

Sess. 14. cap. 7.
 de Reform.

Sequuto facinore, fugam arripuit Sacerdos, dumque
 exulabat a Patria, adversus ipsum Judicialis Processus
 construebatur. Per annos decem a Nepesina Episcopali
 Curia ad *triremes damnatus fuit, dimidiumque bonorum
 Fisco fuit addictum.* Fisco, partibusque concordatis ab ea-
 dem Curia absolutionem obtinuit Sacerdos Alexander,
*præmissa tamen solutione scutorum 80. pro Mulcta Locis
 piis applican, & facta obligatione vacandi per integrum
 annum spiritualibus exercitiis in Ven. Conventu PP. Car-
 melitarum Viterbii.* Vitam duxit exemplarem hoc in Cœ-
 nobio novem mensibus tantum, quoniam pro victu sol-
 vendo imparem, a reliquo pœnitentiæ tempore Vicarius
 Capitularis dispensavit.

Anno nuper elapso 1781. præfatus Sacerdos pro dispensa-
 tione ab Irregularitate SANCTISSIMUM PONTIFI-
 CEM supplicavit, precibusque huic Sac. Congrega-
 tioni ablegatis, requisita fuit super his die 22. Decembris
 ejusdem anni 1781. informatio, & votum Vicarii Capi-
 tularis injuncta eidem Processus transmissione una cum
 relatione super satisfactione Partis, & Fiscus quodque re-
 ferret de signis veræ pœnitentiæ ab ipso editis, & de
 ejusdem moribus antequam crimen perpatrasset. Man-
 datis Sacræ Congregationis obtemperans Vicarius Capi-
 tularis, quæ requirebantur transmissit una cum Informa-
 tio-

tione, ex quibus colliguntur ea, quæ superius relata sunt. .
 Addit præterea in informatione sua Vicarius prædictus, summam esse honestatem familiæ de Angelis, summam Sacerdotis integritatem, paupertatem extremam, utilitatem summam, quinimo necessitatem ob aliorum Sacerdotum deficientiam pro Ecclesiæ servitio, quapropter pro dispensatione ipse Vicarius exorat.

In hac vero Causæ specie animadversione dignum occurrit patratum homicidium licet absolutè voluntarium dici nequeat, cum non constet, illud ex proposito commissum fuisse, cumque Oratorem inter, & adolescentem interfectum nulla interceiserint jurgia, nullæ inimiciæ, ex ipsius tamen Sacerdotis ira, & ex ipsius a cubiculo in quo clausus fuerat repentina eruptione, ex gladio quo armatus in alios se conjecit homicidium graviter culpofum fuisse. Quibus stantibus *etsi animum occidendi non habuerit, perpetuo tamen depositus erit, prout præcipitur in Cap. quia te 50. dist., cujus dispositionis ratio affertur in Cap. studeat §. quodsi dicta dist. 50., ibi = Quoniam etsi voluntatem occidendi non habuerit, furor tamen. & indignatio, ex quibus motio illa mortifera prodiit in omnibus, & præcipuè in Dei Ministris multipliciter inhibetur, atque damnatur =.*

Mitius tamen aliquando, & gravibus intercedentibus causis Sacra hæc Congregatio præsertim cum promotis, quibus facilius dispensationem concedendam esse definivit in *Novarien. Irregularitatis 16. Julii 1712.* per extensum relata a *Fagn. de Jure patronat. part. prima can. 5. cap. 11. num. 49., & 55., nec non in Cassanen. Irregularitatis 14. Decembris 1748., & in Bracharen. Irregularitatis 3. Aprilis 1756.* Hinc aliquoties hanc dispensationem promotis fuisse concessam, publicum licet homicidium patravissent, & ad contentiosum forum deductum fuerit testatur *Fagnan. in lib. 5. decret. cap. Henricus de Cleric. pag. in duel. num. 34.*

At tamen Sac. Congregatio ea stetit in sententia, ut nunquam vel fere nunquam concederet Sacerdoti dispensationem ab Irregularitate contracta ex homicidio etiam casuali, nisi post actam plurium annorum pœnitentiam, & post iteratas sæpiusque vel Summo Pontifici, vel huic Sac. Congregationi repetitas preces.

Omnibus itaque perspectis una cum juribus, quæ ab Oratore circumferentur dignabuntur EE. VV. rescribere.

An dispensatio ab irregularitate sit concedenda in casu &c.

Die Sabbathi 3. Augusti 1782. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SEX in præsentī folio descriptæ sunt Causæ, quæ cum aliis in præcedenti relatis sapienti EE. VV. judicio subjiuntur.

NARNIEN. JUBILATIONIS.

An Jubilationis Indultum sit concedendum in casu &c.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

Affirmativè :

TERRACINEN. ; ET PRIVERNEN.

An servandum sit Decretum Episcopi latum die 17. Jun. 1777., seu potius Sententia Syndicatoris 28. Junij 1762. in casu &c.

Sess. 22. cap. 9. de Reform.

Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius.

NEPESINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

An dispensatio ab irregularitate sit concedenda in casu &c.

Negative.

FULDEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Præter Collegiatam Ecclesiam S. Blasij Civitatis Fuldæ duo alia extant in Oppidis Diœcesis Canonorum Collegia, non eo quidem, quo prius erant splendore insignia, sed propter Bellorum calamitates, aliæque infortunia bonis maxima ex parte destituta, & Ministrorum numero aliquantulum imminuta. Una ex his erecta est in Ecclesia S. Crucis Hunfeld, & componitur ex Præposito, Decano, ac novem Canonicis; Altera in Ecclesia SS. Jo. Baptistæ, & Cecilie loci Rasdorff, in qua ultra Præpositum, sex cum Decano numerantur Canonici. In hisce Collegiatis non idem præstant Capitulares servitium. Siquidem in Collegiata S. Crucis Hunfeld quinque computato Decano, intersunt Canonici; In illa vero SS. Jo. Baptistæ, & Cecilie loci Rasdorff quatuor Canonici residere solent, atque illi tum fructus grossos, quos vocant corpus Præbendæ, tum etiam alia quædam Emolumenta in præmium residentie lucrantur: Reliqui vero Canonici, cum residentie lege adstricti non sint, fructus grossos tantum percipiunt, qui in unoquoque anno non excedunt summam scutorum quadraginta Monetæ Romanæ; Hujusmodi reddituum partitio inducta fuit, ne Ecclesiarum servitium negligeretur, ita quidem, ut qui onera ferebant, majora etiam Emolumenta perciperent.

In generali visitatione anni 1766. Rñus Episcopus adegit Capitulares, qui fructus grossos dumtaxat percipiebant ad celebrandas quater in anno Missas pro defunctis Fundato

ditoribus ; & Benefactoribus ; Die autem decimaquarta Aprilis elapsi anni Decreto mandavit , ut in Festis Solemnioribus Ecclesiis suis præsentés adessent , ibique aliqualé servitium præstarent . Consuetudo tamen invaluit , ut quando Clerici nondum Sacris Ordinibus initiati Præbendas Canonícorum non residentium obtinerent , attentá reddituum tenuitate Officij Divini recitationem præmitterent ; Quare laudatus Episcopus dubium proponit , an ii faciant fructus suos licet sint tenues , & hac de re sapientissimum EE. VV. iudicium exposcit .

Fatetur ipse , quod consuetudo , quæ Canonícis regulis ad-versatur nullius debeat esse momenti ; Verum inquit = *Petrum Collet in Tractatu de Relig. part. 2. cap. 3. de horis Canonícis art. 1. in responsione 2. ad quæst. 3. tueri = In casu tenuis Beneficij consulendum esse Episcopum , rebusque eidem expositis ejus decisioni parendum , aut saltem videndum esse quid ferat locorum consuetudo , cui Prælati non resistent : Huic porro consuetudini obsequendum erit , si totius Officij recitationem præcipiat , si secus præsumendum erit generalem officij recitandi legem cum hac restrictione fuisse receptam ; Nisi Beneficia admodum tenuia sint , neque hæc consuetudo censeri debet æquitati contraria , tum quia Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis , aut majus Officium certis diebus recitandum censeri potest servitium exiguis redditibus respondens , tum quia Beneficiarij illi præter communem bonorum Beneficij curam , quæ pretio extimabilis est , ordinarié tenentur ad certum numerum Missarum , quæ prædictæ recitationi conjunctæ , tenues illos redditus satis compensant . Si tamen Beneficium adæquet summam ad titulum Ecclesiasticum Diæcesana lege requisitam , adigendus videtur Beneficiarius ad Officij majus recitationem , nisi ætas junior Officium Majus in Officium parvum Beatæ Virginis commutari permittat .*

Atque hinc arguit Episcopus , quod quamvis = *Corpus earum Præbendarum de quibus quæstio est summam ad Titulum Ecclesiasticum Diæcesana lege requisitam , quæ ad minimum , ad octuaginta scuta Romana annuatim ascendere debet non adæquet , quod jam ad certum numerum Missarum , uti & ad novum onus bis iter faciendi ad Ecclesiam obligati sint , & quod curam bonorum Beneficij , eorumque administrationem , & conservationem ipsi humeris suis impositam habeant , circumstantias esse , quæ juxta Petrum Collet tenues illos redditus quadraginta scutorum satis compensare videantur = Tamen dubitari posse existimat*

An saltem præfati Canonici ad recitationem Officij parvi Beate Virginis ; aut de Immaculata adstringi possint .

Nulla sane prioribus Ecclesiæ sæculis Clericos inter Majores & Minores erat distinctio quoad onus recitandi Horas Canonicas. Cum enim Clerici ne minoribus quidem Ordinibus fnitiarentur, quin statim adscriberentur alicui Ecclesiæ, cui deservirent, ejusque stipendiis alerentur, idcirco omnes Clerici censebantur quodammodo Beneficiati ; Æquum proinde erat, ut Divinis Officiis in Ecclesia celebrandis adessent, & orando pias Fundatorum voluntates adimplerent. Concilium Cartaginense 4. celebratum an. 398. can. 49. collectionis Labbæi tom. 2. præcipit, quod *Clericus, qui absque corpuscoli sui inæqualitate Vigiliis desset stipendiis privetur =*, & Synodus Tholetana 1. habita anno 400. can. 5. statuit, quod = *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra Civitatem, vel in loco, quo Ecclesia est, aut Castello, aut Vico, aut Villa, & ad Ecclesiam ad Sacrificium quotidianum non accesserit, Clericus non habeatur, si castigatus veniam ab Episcopo noluerit promereri.*

Viguit per plura sæcula hæc disciplina, & tanta erat Clericorum diligentia, ut qui Ecclesiis justa de causa interesse non possent horas canonicas privatim recitarent, prout testatur *Tomafs. de nova : & vet. Ecclesiæ disciplina part. 1. lib. 2. cap. 71. num. 11.* At postquam temporis decursu Clerici cæperunt ad Ordines promoveri absque eo quod ulli Ecclesiæ adscriberentur, sensim ab Officio Ecclesiæ se se retraxerunt. Idque desumitur ex Synodo Coloniensi anni 1280., ubi can. 1. mandatum fuit, ut = *Nullus Clericus Horas Canonicas, & de Domina nostra ulla unquam die distincte, & discrete dicere prætermittat, maxime, qui est in Sacris Ordinibus, & Beneficii constitutus =* Ex quo namque Concilij Decreto, licet nullus Clericus a recitatione Horarum Canonicarum exemptus renunciatur, cum tamen peculiari modo ad illas strictius adigerentur, qui in Sacris Ordinibus erant constituti, vel Ecclesiasticum Beneficium obtinerent, hinc putant Doctores, quod reliqui Minores Clerici Beneficio destituti occasionem nacti fuerint statuendi exemptionem a recitandis Horis Canonicis.

Et revera, quæ deinceps celebrata sunt Concilia, cum de horis Canonicis differunt solos Beneficiatos, vel in sacris constitutos ad illas teneri præsumunt. In Concilio

lio Basileensi *Sess. 21. can. 5.* habetur = *Quoscumque Beneficiatos, seu in Sacris constitutos, cum ad horas Canonicas teneantur, admonet hæc Sancta Synodus, ut sive soli, sive associati diurnum, nocturnumque Officium verbis distinctis pergant; Id ipsum confirmatur ex Synodis Martiacensi anni 1526. cap. 19., & Burdigalensi 1582. tit. 3. de Ecclesiasticis præstationibus.* Quin immo Concilium Lateranense v. *sess. 9.* celebrata anno 1514., Beneficiatos omnes, qui post sex menses ab adepta Beneficij possessione canonicas horas non persolverint, perceptos ex Beneficio fructus restituere jubet.

Indictama Lateranensi Concilio pœnam contra Beneficiatos divinum Officium recitare prætermittentes, S. Pius V. Litteris Apostolicis, quarum initium est = *Ex proximo* = sub datum 20. Septembris 1571., ne dum confirmavit, verum etiam modum executionis præsinivit. Statuit enim, ut qui uno, vel pluribus diebus omnes horas canonicas recitare omitteret, fructus Beneficij iis diebus respondentes perderet. Qui vero Matutinum tantum omitteret, dimidiam fructuum partem; Qui alias omnes horas, aliam dimidiam: Qui autem singulas horas, sextam partem perderet. Præterea monitos voluit omnes Beneficij possessores, quod si primis sex Mensibus absque legitimo impedimento Officium non recitassent grave peccatum committerent,

Quærent Doctores, an teneatur horas Canonicas quotidie recitare, qui tenui redditus Beneficium possideat. *Sotus de Just. lib. 10. quæst. 5. art. 3. Tamburin. in 2. lib. Decret. cap. 5. §. 1. num. 24.* negativam Sententiam tuentur. Alii tamen sustinent aliquando in anno ad recitandas horas Canonicas obstrictum esse. Non desunt alii, qui sustinent nullimode teneri, si Beneficio aliqua adnexa sint onera, quos inter *Vasquez de Benef. cap. 4. §. 1. dub. 4.* Demum *Fagnan. in cap. Conquerente de Cleric. non residen. num. 8. & 9.* affirmat, quod Beneficij tenuitas, non eximit Beneficiatum a recitatione Divini Officij, quemadmodum non excusatur a residentia ex eo quod redditus Beneficij ad propriæ vitæ sustentationem non sufficiant, cum arctior sit obligatio recitandi Officium, quam residendi.

Hanc Sententiam secuta est Sac. Cong. in *Cajetana*. Cum enim quidam Clericus obtinuerit Beneficium simplex de jure patronatus, & post adeptam illius possessionem agnoverit annuos illius redditus ad annua ducata quatuor vix pertingere, supplicavit declarari, an ratione tenuitatis

tatis redditus teneretur Officium divinum recitare, & die 6. Aprilis 1647. responsum fuit = *Oratorem intitulum in Beneficio teneri Officium Divinum recitare, etsi redditus dicti Beneficij sint paucæ quantitatis non exceder. scuta quatuor annua immo etiamsi nullos percipiat fructus. lib. 18. decret. fol. 321.*

Hæc in re de qua agitur prænotanda duxi. Ponderandum quanti habenda sit consuetudo, quod Canonici partecipientes tantum de Massa grossa a privata recitatione Divini Officij exempti fuerint, si in Ordine Sacro non essent constituti. Innocentius III. in cap. *Ad nostram* 3. de consuetudine = statuit = *Quod consuetudo, quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti* = .

Hunc itaque definiendum erit .

An Canonici Ecclesiarum Collegiatarum S. Crucis Hunfeld; & SS. Joannis Baptistæ, & Cecilie Rasdorff. in Minoribus constituti, & partecipientes tantum de massa grossa teneantur Officium Divinum quotidie recitare in casu &c.

Affirmativè .

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FIRMANA TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM, Per contractum inter vivos publicis tabulis obsignatum die 3. Decembris 1701. Joannes Cyrus Chinozzi Cappellaniam instituit in Ecclesia SS. Philippi Neri, & Petri de Alcantara, quam proprio ære ædificaverat extra Mænia Oppidi Montis Vidonis Corradi Firmænæ Diocesis. Plura in Instrumento Donationis assignavit bona, plura etiam indixit Missarum onera. Voluit enim, quod Cappellanus celebrare teneretur in dicta Ecclesia quater in hebdomada, diebus nempe Lunæ, Mercurii, Sabbathi, & Dominicæ, aliisque etiam Festis, de præcepto. Patronatum activum reliquit descendenti- bus ex linea Masculina Mariæ ejus Filix jam Matrimonio junctæ cum Vitoangelo Pavoni, iisque deficientibus substituit lineam foemininam, & in istius defectu detulit patro-

patronatum ad Communitatem dicti Loci. Gravavit, præterea hæredes onere providendi præfatam Ecclesiam Sacris Suppellectilibus, aliisque omnibus, quæ ad Missarum celebrationem necessaria forent. Demum hanc donationem fecisse testatus est reservato sibi jure = *addendi, & minuendi quatenus &c.*

Hujusmodi facultate paucos post dies usus fuit Joannes Cyrus Chinozzi. In instrumento namque stipulato die 15. ejusdem mensis, & anni licet Cappellaniam institui iusserit cum iisdem oneribus, & conditionibus in præcedenti contractu firmatis, imminuit tamen illius dotem, ex qua nonnulla prædia jam donata subduxit. Verum in alio Instrumento confecto die 25. Augusti 1709., ut Missarum onera juxta modum ab eo præfixitum fideliter adimplerentur mandavit, quod = *Pro manutentione fructuum bonorum assignatorum in quantitate sufficienti, & æquivalenti eleemosyna per Synodum, ac Sac. Congregationem determinata in Missis perpetuis obligavit, & hypothecavit omnia, & singula bona præsentia, & futura, & suos hæredes, adeo ut ex aliis ejusdem D. Joannis Cyri bonis, & hæreditate, debeat suppleri totum quod deficere possit in fructibus ex dictis bonis assignatis usque ad complementum dictæ eleemosynæ, eandemque eleemosynam integram semper ad formam taxæ Synodalis, & Sac. Congregationis in Missis perpetuis manuteneri =.*

Vacavit hujusmodi Cappellania de mense Novembris anni 1780., cumque in Oppido Montis Vidonis Corradi quatuor tantum Sacerdotes adessent, nec datum fuerit aliquem invenire, qui Missas in Ecclesia a Fundatore designata celebraret, hinc Philippus Pavoni, ejusque Fratres indultum postularunt a Sac. Congregatione, ut durante Sacerdotum deficientia Missarum oneri satisfacere possent in alia Ecclesia etiam extra Locum. Ad hæc restitit Communitas dicti Oppidi, qua instante dubium in calce transcriptum ab E. E. VV. definiendum proponitur.

Qui Communitatis jura tuetur advertit translationem Fundatoris voluntati potissimum adversari, qui non alibi, quam in Ecclesia SS. Philippi Nerij, & Petri de Alcantara Missas celebrari voluit, nec posse hanc voluntatem commutari, nisi urgens causa, & evidens utilitas concurrat. *Fagnan. in cap. Relatum ne Cleric., vel Monach. num. 36.* Utramque in præsentis casu deficere sustinet, immo advertit nonnulla adesse rationum momenta, quæ contrarium suadent. Inquit enim Fundatorem ære suo Ecclesiam construxisse, in ea tumultum fuisse, ac insuper

per demandasse, ut Missæ singulis diebus festis de præcepto celebrarentur, quæ cum peculiarem erga Ecclesiam prædilectionem, Populique commodum præferebant, hinc contendit illius voluntati adversari Missarum translationem, eamque proinde denegandam = *Gratian. discept. foren. 73. num. 4.*

Perperam tamen opponi Sacerdotum deficientiam in Oppido Montis Vidonis. Respondet enim ex aliis conterminis locis haberi posse Presbyteros, qui adacta ultra manualementem eleemosyna, non renuunt Missas in Ecclesia designata celebrare; Atque id consonum esse ipsius Fundatoris voluntati, qui, ut onera Missarum ab eo indicta fideliter adimplerentur, hæredes suos adegit ad solutionem eleemosynæ, quæ pro Missis perpetuis præstari solet, si redditus Cappellaniam decrevissent.

Ex alia vero parte Fratres Pavoni, non perpetuam, sed temporaneam Onerum translationem exposcere affirmant; Cum enim Sacerdos reperiri non possit, qui præstita eleemosyna a Taxa Synodali præfinita Missarum oneri in Ecclesia, & diebus a Fundatore statutis satisfacere velit, hinc existimant magis conformem esse illius dispositioni, ut alibi Missæ celebrentur, quam neglecta satisfactione, ejus voluntas penitus subvertatur. Post hæc notant in Cappellaniam institutione Joannem Cyrum Chinozzi non Populi in Ecclesia SS. Philippi Nerij, & Petri de Alcantara confluentis commoditati respexisse, nec primario voluntatem ad eosdem Sanctos, qui ibi venerantur direxisse, sed præcipue contemplasse animæ suæ suffragium, ex quo inferunt facilius translationi inhærendum esse; Æquum nec videri ut ipsi adigantur ad uberiores persolvendam eleemosynam, quoties ex ejusdem Testatoris voluntate eleemosynam a Synodo præfinitam rependere tenentur.

Pluries hac in re auditus fuit Archiepiscopus, qui testatur in Oppido Montis Vidoni quatuor extare Sacerdotes, eosque adeo aliarum Missarum numero gravatos, ut Cappellaniam concordem respuerint. Unum tamen invenisse Presbyterum alienigenam Roccum nempe Mandolesti, qui dimissa pinguiori Cappellania, Missas in Ecclesia SS. Philippi Nerij, & Petri de Alcantara statutis diebus celebrare promisit; Advertit tamen, quod effragitat consuetæ eleemosynæ incrementum ad obulos quindecim pro unoquoque Sacrificio, utensilium gratuitam præstationem, & facultatem Missas celebrandi temporibus sibi benevisis, quæ omnia cum gravia nimis Patrono comper-

perta fuissent; idcirco usus est facultate sibi a Sac. Congregatione tributa transferendi dicta Missarum onera ad Ecclesiam Præposituralem Castri Maffæ, ubi fideliter Testatoris voluntas adimpletur. Demum postrema relatione ita concludit = *Quod si in præcedentibus meis litteris dixerim tenuiores esse redditus hujus Cappellaniæ, hoc asserui habito respectu ad bona a Testatore assignata, cum nec mi hinc ipsi Fratribus de Pavonis innotuerit Instrumentum de anno 1709. confectum, quod nuper Communitas in medium produxit =*

Quamvis ob Sacrificij excellentiam nihil detrimenti piis Fundatoribus obveniat, si Missæ Sacrificium in una potius, quam in alia Ecclesia adimpleatur, tamen quando certa Ecclesia designata est, in ea, & non alibi Sacrificia peragi debent; Qua de re ab una ad aliam Ecclesiam non permittitur translatio, ne Testatoris voluntas subvertatur, neve illius Ecclesiæ minuatur cultus. *Navar. in Manual. cap. 25. num. 134. Cevall. quæst. 686. num. 6.*, Atque idcirco Sacrorum translatio cum aperta commutationem præseferat permitti non solet, nisi juxta, & rationabilis causa concurrat; Causa autem justa ea dicitur, quæ necessitatem suadeat immutandæ Testatoris voluntatis, quo casu non absoluta mutatio, sed interpretatio potius dicitur: *Piton. de Controv. Patron. allegat. 50. num. 1. Pignatell. consult. 148. n. 4. tom. 4.*

Sac. Congregatio cautè se gessit in hujusmodi translationibus concedendis, easque semper rejecit si necessitas deficeret, ut in *Neapolitana Cappellaniarum 16. Junij 1731. in Vicen. Translationis oneris Missarum 19. Aprilis 1766.* Præsertim si Fundatoris cineres conditi forent in Ecclesia ubi Sacrorum celebratio demandata est, ut in *Bononien. Legati Missarum 15. Decembris 1742.*, & in *Uxentina celebrationis Missarum 16. Decemb. 1743. & 13. Januarj 1748.* Contra vero translationem indulset quoties rationabilis causa, vel urgens necessitas id suaderet, ut in *Piscien. commutationis voluntatis 21. Junij 1721. in Bononien. ad 1. dubium 28. Junij 1724.*, & in *Comen. Translationis Missarum 24. Novemb. 1764.*

Fundator Missarum celebrationem indixit in Ecclesia Sancti Philippi Nerij, & Petri de Alcantera proprio ære a fundamentis excitata, & in qua postea sepulcrum elegit, mandavitque præterea, quod imminutis redditibus bonorum, quæ ipse assignaverat, hæredes tenerentur præstare augmentum eleemosynæ pro Missis perpetuis a Taxa Synodali, & a Sac. Congregatione præfixit;

Videndum hinc est an defectui Sacerdotum incolarum supplere possit exterus Sacerdos, & an hæredes Testatoris ad augmentum eleemosynæ teneantur. Quid de conditionibus ab extero Sacerdote propositis sentiendum sit, quid de contradictione Populi viderint EE. VV., quibus definiendum proponitur.

An sit locus translationi oneris Missarum in casu &c.

Negative, & scribatur Archiepiscopo juxta Mentem, & Mens est, quod Missas celebrentur in Ecclesia, a Testatore designata soluta per Pavonios, eleemosyna, ad ratam perpetuæ, & quatenus non inveniatur Sacerdos indigena advocetur pro celebratione exterus.

*Sess. 25. cap. 4.
de Reform.*

DERTHONEN. Lucas Cravenna in ultimo, cum quo decessit voluntatis elogio condito anno 1652., iussit, quod in Altari S. Laurentij erecto in Ecclesia Collegiata Civitatis Novi sex Missæ qualibet hebdomada celebrarentur. Pro hujus oneris satisfactione assignavit partem Domus sitæ in dicta Civitate, & in eventu quo pensiones ab ea retrahendæ legati adimplemento non sufficerent, addidit Prædium perticarum circiter octo existens in districtu ejusdem Civitatis in loco, qui dicitur = *Valgelata* = . Prævidit autem casum, quod Cappellano molestiæ inferrentur super dictorum bonorum proprietate, & eo in casu mandavit, quod quousque molestiæ illatæ fuissent Missæ quatuor tantum in unaquaque hebdomada celebrarentur. Voluit demum, quod si bona prædicta in totum, vel in parte evicta fuissent, Missæ reducerentur ad ratam passæ evictionis.

Domus cum universa Lucæ hæreditate devenit ad Josephum Anfossi ejus ex Sorore nepotem, qui anno 1716. prædium = *Valgelata* = liberum ab omni onere vendidit Joannis Lucæ Durazzo pretio librarum 1728. 6. 8. Die vero 1. Maij anni 1752. donationem suorum bonorum explevit favore Dominici Gerardengo his conceptam verbis = *Detto Signor Giuseppe Anfosso attesa l'obbligazione infrascritta hà donato, e dona al detto Signor Domenico presente, e che accetta l'usufrutto pendente presente, e futuro di tutti, e qualunque suoi beni Mobili, ed immobili, che di presente gode, e possiede qui in Nove, e suo Territorio, e rispetto a medesimi, che saranno contenuti, e descritti in lista dell'Inventario di essi da farsi dal detto Signor Domenico, e da presentarsi fra il termine di giorni*

giorni otto prossimi, e da conservarsi nel presente Istromento = Præter hæc donavit etiam creditum lib. 600., quod habebat cum Jacobo Peloto, quidquid ei debebant hæredes Antonii Guerlerio, & alia quæcumque credita eidem de jure competentia: ac demum irrevocabili donatione inter vivos cessit omnia bona mobilia. Hanc vero donationem fecisse asseruit sub conditione, quod dictus Dominicus alimenta sibi donanti subministraret, funerisque sumptus persolveret, & onus adimpleret Missarum, quarum celebrationem Lucas patruus præceperat. Nondum elapsis duobus mensibus a die stipulatæ donationis, Testamentum condidit Joseph Anfossi, quo eandem donationem confirmavit, ac præterea legatum addidit cujusdam Nemoris perticarum circiter duodecim. Mandavit autem, quod universa sua hæreditas deserviret pro erectione Ecclesiastici Beneficij cum onere Missarum ab Episcopo Derthonensi præficiendo, quas celebrari præcepit in Ecclesia Confraternitatis Mortis; Disponens autem de propria domo inquit = *Che detto Signor Domenico, e li di questo Eredi possi, e possano godere l'uso, e l'abitazione della presente sua Casa con tutte sue ragioni, mediante però l'annua pigione di lire 120. moneta di Genova da pagarsi annualmente al Cappellano pro tempore di detto Beneficio.*

Secuta Testatoris morte, nec ad erectionem Beneficij, nec ad Missarum celebrationem deventum fuit; Immo anno 1779. Joannes Baptista Gerardengo Dominici filius, & hæres recursum habuit ad Tribunal Rev. Fabricæ S. Petri narratoque, tum legato a Luca Cravenna relicto, tum dispositione Josephi Anfossi, nulla tamen facta onerum distinctione, omisisse dixit = *Di far celebrare Messe cinque Mila circa, oltre altre Mille circa, che non aveva fatte celebrare Giuseppe Anfosso* =, & ex causa hujus omissionis obtinuit admitti ad compositionem soluta summa sc. 26.

Anno 1752. in restaurationem Domus addictæ legato Lucæ Cravenna summam librarum 1490. erogavit Dominicus Gerardengo, & aliquam etiam summam in eandem causam impendit Joannes Baptista illius filius, qui modo plura ab EE. VV. expostulat; Ac primum quidem petit reintegrationem summæ, quam tum ipse, tum Dominicus ejus Pater in restaurationem Domus erogavit. Postulat præterea Missarum reductionem. Ac demum supplicat pro facultate vendendi Domum, quæ ruinam minatur, & quam pro parte subjectam oneri Missarum fatetur,

pro parte vero immunem ab omni onere contendit. Eoque facilius venditioni domus annuendum putat, quia ex pretio partis Domus, quam liberam dicit, dotem tribus suis filiabus parare intendit.

Testatur Vicarius Generalis prædium = *Valgelata* = permutatum fuisse a Joanne Luca Durazzo cum hæredibus Josephi Mariæ Bovoni, a quibus modo possidetur; Addit Dominicum Gerardengo recepisse a Jacobo Peloso lib. 600. ab eo debitas, nihil tamen habuisse ab hæredibus Antonij Guerlerij, dictumque creditum esse difficilis exactionis, ac prorsus ignorari, quæ alia sint credita in donatione sub generali expressione indicata. Affirmat medietatem domus, quæ libera ab Oratore asseritur esse compræhensam in dicta donatione facta anno 1752. ejusque pretium ascendere ad lib. 3000., redditus vero lib. 60. unoquoque anno; Refert, præter recensita bona, & quoddam nemus relictum titulo legati Dominico Gerardengo, nil aliud repertum fuisse in patrimonio Josephi Anfossi, & propterea demandatum ab eo Beneficium erectum non fuisse.

Præterea inquit, quod expensæ solutæ a dicto Dominico ad conservandam medietatem domus addictæ legato Cravenna pertingunt ad lib. 1490. compræhensis tamen nonnullis expensis factis anno 1756. pro reparatione alterius medietatis, quæ cum de eo tempore separatæ non fuerint certa de iis notio haberi non potest; Expensæ vero erogatæ a Joanne Baptista in restorationibus totius domus, quæ nec secerni, nec Testium depositionibus probari possunt, sunt lib. 280.

Dum autem loquitur de proprietate Domus hæc habet = *Pensionem domus solvendam quolibet anno a dicto quondam Dominico Gerardengo, ejusque filiis, & hæredibus in libris centum viginti taxatis a Josepho Anfosso in ejus Testamento nulli alii oneri subiectam præter quam ad satisfactionem Missarum annuatim pro dicto Beneficio voluto, a dicto Anfosso, ut ex ejus Testamento elicitur, nisi prius dicere velimus pensionem quoque inserviri debere in adimplementum legati Missarum sex per hebdomadam instituti a quondam Luca Cravenna* Demum concludit = *Statum dictæ Domus ruinam minantis de momento ad momentum amplius non pati dilationem, nam conductor ejusdem paucis ab hinc diebus nocturno tempore aufugiens illam deseruit, ne ruinis subiaceret una cum ejus familia.*

Ponderandum in præsentia causa, an debeat Joanni Baptistæ Gerardengo reintegratio expensarum, quas ipse, & ejus

& ejus Pater erogarunt pro restauratione domus relictae a Luca Cravenna. Videndum an reintegrationi expensarum obesse possit neglecta Missarum celebratio, pro quibus dictus Joannes Baptista compositionem retulit a Tribunali Rev. Fabricae S. Petri.

Circa petitam reductionem onerum advertendum, quod licet ea indulgeatur si capitalia deperdita fuerint, & redditus defecerint, nihilominus haec regula limitationem patitur, si spes effulgeat recuperandi bona, vel ad reintegrationem alienantium haeredes adigi possint. Animadvertere praestat dictum Lucam ultra medietatem domus reliquisse etiam Praedium = *Valgelata* =, quod venditum fuit a Josepho Anfosso, & propterea perpendendum, num istius haereditas cogenda sit ad damnorum emendationem; Atque hinc inquirendum de viribus donationis ab eo expletæ de anno 1752.; Prae oculis habendum est illius Testamentum, in quo usum domus reliquit Dominico Gerardengo sub lege, quod persolveret annuas lib. 120., ut inde definiri valeat, an altera dictae domus pars libera dici queat, ita ut dictus Joannes Baptista illam alienare possit pro nubendis ejus filiabus.

Demum cum Domus ruinam minetur, considerandum est, an expediat illius alienatio, insuperque, ne pia Testatoris voluntas detrimentum patiatur, inquirendum erit in quam causam erogari debeat pretium ab ea retrahendum.

Post haec EE. PP. decernent.

- I. *An, & in qua summa sit locus reintegrationi expensarum in casu &c.*
- II. *An, & in qua quantitate sit locus reductioni Missarum.*
- III. *An, & quomodo sit locus venditioni Domus in casu &c.*

Ad I., & II. Negative: Ad III. scribatur Episcopo ad mentem, & mens est, quod idem videat, utrum restaurari possit Domus mandet restaurari, quatenus vero restaurari non possit praevia Aedictorum affixione vendatur, & retrahendum pretium deponatur in Ede sacra ad effectum investiendi favore Cappellaniae.

FERENTINA SERVITII CHORI. Capitulum Cathedralis Ecclesiae Ferentini numerat septendecim Canonicos, & quatuor Beneficiatos. Uniuscujusque Canonici annuus redditus est scutorum centum, & triginta

*Sess. 24. cap. 12.
de Reform.*

monetæ Romanæ compræhenſis distributionibus. Capitulares alternis hebdomadis Choro inſervire ſolent, & licet nonnulli ſint dies, in quibus omnes convenire tenentur, tamen in hac communi ſervitij lege non compræhenduntur dies Adventus, & Completorium tempore Quadrageſimæ. Hujusmodi inſerviendi modum quoad Adventus dies invecum jam fuiſſe depræhenditur de tempore, quo Episcopus Fabritius Capanna ſuam Synodum celebravit anno 1605. In Synodo Diceceſana anni 1732. bon. mem. Fabritij Borgia compilatæ fuerunt Conſtitutiones pro Capitulo Cathedralis, & cap. 4. enumeratis diebus communis ſervitij non recenſentur dies ſeriales Adventus, deinde quoad Completorium Quadrageſimæ ita diſponitur = *Dies Quadrageſimæ communes excepto Completorio in Ferialibus, & non ſit dies antecedens Feſtum de præcepto* =

Morem hunc improbavit hodiernus Episcopus, qui in prima paſtorali Viſitatione habita die 29. Februarij 1756. decretum edidit, quo non obſtante conſuetudine ſub pæna amiſſionis diſtributionum Quotidianarum adegit omnes Canonicos, cæterosque Choro addiçtos ad Chori ſervitium toto Adventus tempore, in Quadrageſima etiam ad Completorium, & in Octavis Solemniorum Feſtivitatum, quas privilegiatas vocant; Ab Episcopi decreto provocarunt Canonici ad A. C., ſed ablegata cauſa Sac. huic Congregationi, illa ſub dubio inferius deſcribendo ab EE. VV. deſinienda proponitur.

Suſtinent Canonici praxim inductam in Cathedrali Ferentina alternatim inſerviendi per hebdomadas haud excepto tempore Adventus, & Completorium tempore Quadrageſimæ pro diebus ſerialibus, & qui non antecedunt Feſtum de præcepto, immutandam modo non eſſe, quoties ab immemorabili tempore ſervatam variisque Synodorum decretis confirmatam fuiſſe dignoſcatur; Potiſſimum quia Sacrorum Canonum inſtitutis minime contraria depræhenditur, inſuperque uſu aliarum Eccleſiarum, & præſertim Patriarchalium, & Collegiatarum Urbis comprobata dignoſcitur. Addunt conſuetudinem hanc a Cathedralis Eccleſiæ inſtitutione exordium ſumpſiſſe, & licet ad id probandum, propter Archivi Capitularis combuſtionem, deſint monumenta, obſervant tamen, quod Episcopi Capanna, & Morelli, qui paulo poſt Concilium Tridentinum Ferentinam Eccleſiam. rexerunt, conſuetudinem improbaſſent, niſi eam fundationi agnoſſent conformem.

Præterea advertunt, Ferentinam Civitatem abrupto in Monte sitam, Hyemali tempore pluvia, nivibus, gelu redundare; Cathedralē Ecclesiā in summo ipsius Montis vertice constructam, ad eamque non nisi gravi periculo ob viarum asperitatem patere accessum; Capitulum alis etiam esse gravatum oneribus; Manifestam ideo necessitatem urgere, ne assuetum Chori servitium immutetur, quod fortasse ex loci qualitate, & statu fuit constitutum.

Episcopus in sua relatione rem totam luculenter expendit, & sic concludit = *Unicum mihi videtur Canonicis superesse effugium ad servitij diminutionem ex gratia tantum juxta eorum petitionem obtinendam, quod nempe ex supra relatis habeant pre se supradatum suarum Constitutionum statum, longævam consuetudinem, & conniventiam usque ad annum 1756. continuatam, locique asperitatem, in quo Cathedralis hæc Ecclesia sita est; quæ ex commiseratione dumtaxat animum E.E. VV. flectere fortasse possunt, ut reor ad petitam servitij diminuendi gratiam indulgendam =*

In cap. Presbyter de celebratione Miss. hæc habentur = *Septies in die laudem dixi tibi, qui septenarius numerus a nobis impletur, si Matutini, Primæ, Tertie, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorij tempore nostræ servitutis officia persolvamus, & in Clementina 1. eodem, tit. statuitur. Ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis devotè psallatur: in aliis vero convenienter, & debite celebretur Divinum diurnum, & nocturnum Officium = Concilium Tridentinum ad tollendos abusus Sess. 24. cap. 12. de Reform. statuit, quod Obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres Menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvo nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitij tempus requirunt.*

Quamvis ex Sac. Concilij lege abrogata fuerint statuta, quæ ultra tres menses longiorem concedebant vacationem, tamen non defuerunt aliqui, qui opinati sunt non fuisse sublatam a Concilio consuetudinem immemorabilem, ut Canonici ultra tres menses a choro vacare possint. Hanc opinionem reprobavit Sac. Cong. in *Calaguritana*, in qua anno 1581. sic respondit = *Sac. censuit non licere Præbendis vigore cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab eorum Ecclesiis ultra tres Menses abesse,*

se, lib. 3. decret. pag. 189. . Et licet postmodum declaraverit consuetudinem interserviendi per hebdomadas non fuisse sublatam a Concilio, illam tamen locum habere voluit, dummodo per novem integros Menses Capitulares interservirent. Prostat resolutio edita in *Cassanen.* de Mente Junij 1589. his concepta verbis = *Sac. censuit modum interserviendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio, dum tamen novem Mensibus integris Ecclesie interserviat juxta capit. 12. sess. 24. lib. 6. decret. pag. 13.*

Ut autem debitus Deo cultus, & Ecclesie obsequium nonnullis præsertim temporibus præstetur, ex praxi Sac. Congregationis Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum petentibus indultum abessendi a servitio Chori per tres Menses, non aliter conceditur, quam sub conditione, ut tempore Adventus, & Quadragesimæ, aliisque infra annum solemnitatibus omnes interserviant. In *Tarraconen.*, cum Capitulum Ecclesie Collegiatæ Ville de Reus, quæ præter Priorem triginta sex numerat Præbendatos petisset indultum, ut octo ex Præbendatis abesse possent a Choro per duos Menses, proposito dubio, *An, & quomodo petitis sit annuendum* = Die 18. Februarij 1764. prodiit responsum = *Affirmative pro quatuor Capitularibus per turnum, & pro duobus Mensibus tantum, ita tamen ut Capitulares omnes tempore Adventus, & Quadragesimæ, omnibus diebus festis, & solemnioribus Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi per totam Octavam ejusdem, ac aliis temporibus ab Ordinario benevisis interesse, & jugiter servire teneantur* = . Et repropoſita causa sub dubio = *An moderandæ sint clausulæ appositæ in rescripto, seu potius augendus sit numerus Capitularium, qui abesse possint in casu &c.* die 23. Martij 1765. fuit resolutum = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam pro sex Capitularibus tantum* = Viden. folia harum Causarum, in quibus plura scitu digna reperiuntur, & habentur in Thesauro Resolutionum Sac. Congregationis tom. 33. & 34.

Quandoque vero habito respectu ad tenuitatem Præbendarum, majori indulgentia usa est Sac. Cong. . In *Cathacen.* reclamarunt Capitulares a decreto Episcopi improbantis consuetudinem, cujus vigore omnes in serviebant Dominicis, & solemnioribus diebus, sed aliis diebus alternatim, nempe tertia illorum pars diebus Lunæ, & Martis, tertia diebus Mercurij, & Jovis, tertia demum diebus Veneris, & Sab-

Sabbati , & disputato dubio = *An liceat Capitularibus inserviendi per Tertiarias* =, die 25. Novemb. 1689. respondit = *Negative lib. decret. 48. pag. 567.* Verum data Canonicis facultate nova jura deducendi sub dubio = *An sit standum , vel recedendum a decisis* . Die 5. Septembris 1699. S. Congregatio perstitit *In decisis , sed attenta tenuitate reddituum , censuit ex gratia indulgendum esse , prout benigne indulsit præfatis Capitularibus ut toto anni tempore per mediarias , id est per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis Missæ , Matutino , & omnibus horis interesse valeant , ita tamen ut , Diebus Dominicis , & Festis de præcepto , tempore Adventus , & Quadragesimæ ac Octavarum Nativitatis Domini , Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi , ac Sanctissimi Corporis Christi , ultra medietatem Capitularium , qui non erunt de servitio , Missæ , & Vesperi inservire teneantur* = lib. 49. decret. pag. 311. , & 312.

Et in *Castri Maris Servitii Chori* , cum die 6. Februarii 1734. mandatum fuisset Episcopo , ut illius Ecclesiæ servitium juxta præscripta a Concilio Tridentino disponderet , nec permetteret vacationes ultra tres Menses , Canonici impetrata nova Audientia exposuerunt , quod ab anno 1587. inspecta æris insalubritate , & tenuis reddituum assignatione , Vicarius Apostolicus indullerät , ut per Tertiariam deservire possent , idque iteratis vicibus in actu Sacræ Visitationis a pluribus Episcopis confirmatum fuisse. Proposito dubio = *An sit standum , vel recedendum a decisis in casu &c.* die 30. Julij 1735. responsum fuit = *In decisis , sed ex gratia indulgendum esse , ut inservire possint per Mediarias ad formam rescripti in Cathacen. Servitii Chori 5. Septembris 1699.*

Hæc sunt , quæ ad causæ resolutionem conferre videntur , vestrum nunc erit EE. PP. discernere .

An , & quomodo Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Ferentinæ inservire debeat etiam tempore Adventus , & Quadragesimæ in casu &c.

Affirmativè juxta solitum , attentis circumstantiis in casu concurrentibus .

*Sess. 22. decret.
de observ., &
evit. in celeb.
Miss.*

ILCINEN. Consuetudo invaluit in Cathedrali Ecclesia Ilcinenſi, ut Canonici Miſſam pro Benefactoribus applicarent Dominicis aliisque Feſtis de præcepto tantum, idque factum fuiſſe aſſerebatur in vim decreti editi a b. me. Bernardino Ciani illius Civitatis Epifcopo; qui Apoſtolica auctoritate ſuffultus, attentata Præbendarum Inopia, hanc reductionem feciſſe fertur. Cum autem nullimodè conſtaret, an reductio Apoſtolica auctoritate peracta fuerit, idcirco Canonici ad propriæ conſcientiæ indemnitate reductionis indultum ab E. VV. eſſagitarunt. Propoſitoque dubio = *An ſit locus reductioni oneris applicationis Miſſæ Conventualis ad dies tantum feſtos de præcepto in caſu &c.*; in Congregatione habita die 28. Julij 1781. impertita quoad præteritum abſolutione, dilata fuit cauſæ reſolutio, mandatumque Epifcopo, ut referret de Præbendarum qualitate, de annuo illarum redditu, ac de oneribus eiſdem inhærentibus,

Mandatis paruit Epifcopus, ex cujus litteris hæc habentur = *Archidiaconus prima Dignitas liberæ Collationis, & cui imminet animarum cura Parochianorum Eccleſiæ Cathedralis, quæ etiam Parochialis exiſtit habet redditus librarum: Monetæ Senenſis 811. onera realia, lib. 235. Miſſarum 162. = Archipreſbyteratus lib 175. onera realia lib. 24. Miſſ. 152. = Primiceriatus lib. 408. , onera realia lib. 120. Miſſ. 168. = Præpoſitura lib. 94: onera realia lib. 18: Miſſ. 23. = Canonicatus ſub titulo S. Petri lib. 642. onera realia lib. 54. Miſſ. 44. = Canonicatus ſub titulo S. Margaritæ, cui adnexa eſt Parochia lib. 635. onera realia 248. Miſſ. 116. = Canonicatus ſub titulo S. Laurentij, cui adnexa eſt Parochia lib. 898. onera realia lib. 153. Miſſ. 116. = Canonicatus ſub titulo S. Ægidii, cui adnexa eſt Parochia lib. 636. onera realia lib. 157. Miſſ. 116. = Canonicatus ſub titulo S. Lucie; cui adnexa eſt Parochia lib. 420. onera realia lib. 108. Miſſ. 116. = Canonicatus ſub titulo Sanctiſſimæ Virginis lib. 190. onera realia lib. 21. Miſſ. 84. = Canonicatus S. Joſeph lib. 195. onera realia lib. 24. , Miſſ. 34. = Canonicatus ſub titulo S. Crucis lib. 176. ; onera realia 37. , Miſſ. 62. = Canonicatus ſub titulo S. Octavij lib. 1379. , onera realia 354. Miſſ. 62. = Canonicatus ſub titulo S. Domitij lib. 573. , onera realia lib. 151. , Miſſ. 62. = Canonicatus ſub titulo S. Reſtitutæ lib. 390. , onera realia lib. 21. , Miſſ. 31. =* Advertit, quod in calculo reddituum computatæ ſunt tum diſtributiones quotidianæ, quæ non excedunt annua ſc. 2. 50. monetæ Romanæ, tum emolumenta incerta.

Parochialia, & Missæ, quæ pro Benefactoribus a Canonis applicatur diebus Festis. Tandem inquit = *Significandum EE VV existimo, quod prædicti redditus consistunt præsertim in Prædiis rusticis, exceptis paucissimis alicujus Præbendæ Vrbanis, & in regione, sua natura parum fertili, & grandinibus obnoxia, quæ sunt infortunia non insolita, sed solita, ex quo nonnullis in annis evenit, quod quavis juxta decennium redditus pro parte dominicali sint in supra expressa quantitate, attamen Rustici Mediarii eandem partem dominicam consument vulgo = Colle prestanze =, & hujusmodi creditæ attenta ipsorum Rusticorum paupertate nullius sunt exactioris, & remanent credita puri nominis. Deficiunt enim in dictis Prædiis rusticis Bestiamina in totum, vel in majori parte, unde Rectores ex propriis pecuniis in ingressu Beneficij ea emere coguntur, ut præfatos redditus suis temporibus percipere valeant =*

Dignabuntur EE. VV. præsumere folium Congregationis diei 7. Julii 1781., in quo præfens causa descripta est, ac definire.

An sit locus reductioni oneris applicationis Missæ Conventualis ad dies tantum Festos de præcepto in casu &c.

Non proposita.

MONTIS ALTI DISPENSATIONIS. De bonis *Sess. 24. cap. 17. de ref.* suis disponens Sacerdos Borromæus Marinucci in Testamento, quo decessit anno 1744. mandavit, quod tum sua, tum Sororis Æmerentianæ univèrsa hæreditas erogaretur in erectionem residentialis Beneficij sub titulo SS. Caroli Borromæi, & Æmerentianæ in Ecclesia Parochiali S. Petri Oppidi Castignani: Onus Rectori indixit duo per seipsum celebrandi Sacra qualibet hebdomada, nec non personaliter Choro inserviendi. *Quando li Signori Priore, è Prebendati sono obligati di recitare gli Offizii Divini in esso Coro; ed assistere nelle Messe solenni nelli giorni Festivi di prima, e seconda Classe, e negli Offizii delle Tenebre, e Messe, e per tal causa di nuovo dico, e dichiaro questo Benefizio di residenza per tutti quelli, che non faranno da me di sotto assentati =*

Jus nominandi reliquit descendentibus per lineam masculinam ab Angela Galosi ejus Nepte, Matrimonio collocata cum Cajetano Pignotti, & in istorum defectu substituit filios, & descendentes masculos a Dominico Galosi. Ad passivum vero patronatum nominavit primo Clericum Hyacinthum filium dictæ Angelæ, & casu, quo vel Beneficium dimitteret, vel ad ulteriores Ordines promoveri nollet, prælatum voluit secundo genitum a dicta sua Sorore, & successive alios filios ab eam nascituros, ac tandem vocavit = *Tutti li descendentì Maschi, che nasceranno da detti Figli di mia Nipote, poi tutti li altri descenderanno dal loro sangue sino al ultimo Maschio, che si troverà di detta descendenza Maschile* =

Præter hæc sermonem instituens de filiis ab Angela ejus Nepte descendentibus inquit = *Se accadeffe, che uno di detti figli fosse già Rettore, ed ottenesse in Loreto, qualche Uffizio, Carica, o Dignità sudetta, e poi ottenesse anche questo Benefizio, mi contento possa ritenerlo dispensandolo dalla residenza di qui, col peso però di far celebrare le Messe nella Chiesa, ed Altari sudetti, o pure volendo celebrare in Loreto negli Altari Privilegiati, ne faccia l'attestato compito l'anno nel libro delle Messe, che si ritiene nella Sagrestia di S. Pietro, ma trovi l'assistenza al Coro ne giorni sopra espressi, e la stessa abilità è dispensa dò a tutti gli altri Figli di detta Sign. Angiola mia Nipote, ma non ad alcun altro.*

Cum autem præfatum Beneficium per dimissionem, quam facere intendit Clericus Cæsar Pignotti, proximè sit vacaturum, illudque uti passivè vocatus assequi cupiat Fridericus Pignotti dicti Cæsaris germanus frater, qui in Cathedrali Ecclesia Almæ Domus Lauretanæ provifus reperitur de Præbenda Thesaurariæ, cum onere residenti; Supplex proinde efflagitavit a Sanctissimo D. Nostro indultum retinendi utrumque Beneficium, sub conditione adimplendi per alium onera a Sacerdote Borromæo præscripta. Remissis precibus ad judicium S. Congregationis, ejus petitio rejecta fuit die 18. Augusti superioris anni. Hinc idem Sacerdos Fridericus renovatis precibus idemmet Indultum, quod fuit antea denegatum, denuo modo postulat.

Advertit ipsè Ecclesiam S. Petri Oppidi Castigniani non esse Collegiatam, sed merè receptitiam, in eaque morem investum, ut Præbendati, tum celebrationi Missarum, tum interessentię Chori per substitutum adimpleant, & residentiam Reçtori demandatam, esse causativam, non

vero præeisam . Quare infert petitam facultatem sibi elargiri posse, præsertim quia Beneficij redditus non excedun. sc. 42. 34., nec penitus adversatur Fundatoris voluntati, qui Filiis Angelæ Galosi permisit illius retentionem, quamvis alterum Beneficium residentiæ in Cathedrali Lauretana obtinerent.

Vicarius Generalis Reverendissimi Administratoris testatur, ne dum antea actis Rectoribus, verum etiam aliis in dicta Ecclesia Beneficiatis, qui Præbendati nuncupantur hujusmodi indultum pluries concessum fuisse, & modo tres ex dictis Beneficiatis numerari, quorum duo Romæ, alter vero Asculi degunt, & consuetudinem invaluisse, penes Beneficiatos, ut residentiæ muneri per substitutum satisfiat. Addit insuper Oratori favere reliquos Præbendatos, ipsumque esse passivè vocatum a Testatore, & ex Familia Pigniotti præter Clericum Cæsarem, qui modo est Beneficij possessor, & Ecclesiasticam Militiam deserere intendit, nullum alium adesse, qui dictum Beneficium assequi valeat, nec ex dicta Familia, nec ex parte Sororis matrimonio junctæ spem adesse filios procreandi; Demum concludit = *Unicus igitur est Fridericus in laudata Alma Domo Lauretana Thesaurarius, qui tanquam passive vocatus, & cum polleat qualitatibus a Testatore volitis, posset ex benignitate; & clementia EE. VV. exaudiri pro dispensatione, quam enixis precibus exposcit.*

Juxta hodiernam Ecclesiæ praxim Beneficia simplicia onus residentiæ non præferunt *Fagn. in cap. ut Abbates de ætate, & qualitate præficiendorum num. 74.* Verum si ex Fundatoris præcepto residentiæ lex indicta sit, aut onera Beneficio injuncta servitium personale requirant, tunc a residentia nemo potest excusari = *Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 35. num. 10. Pignatt. consult. 4. nu. 10. tom. 7.* Hinc est, quod duo Beneficia residentiæ onere gravata, sunt incompatibilia, etiam si modici sint redditus. *Fagn. in Cap. super inordinata de Præbendis num. 8.*

Advertit *Gonzalez. ad reg. 8. Cancell. glos. 15. num. 21.* triplicem residentiæ modum assignari; Alia est continua, & præcisa, quæ si non adimpletur inducit tituli privationem; Secunda est non continua, sed certis dumtaxat temporibus limitata: Tertia demum est residentia continua, non tamen simpliciter, sed causativa, ita quod Beneficiatus, licet non residendo privetur fructibus, titulo tamen privari non potest. In præsentis casu ambigi nequit præfatam Beneficium adnexum habere ex lege
fun-

fundationis onus residendi, cum Beneficiatus teneatur, & Missas per se ipsum celebrare, & Ecclesiæ nonnullis diebus cum aliis Præbendis inservire; Videndum tamen est, an hujusmodi residentia præcisa sit, vel potius causativa.

In *Ferrariensis*. agebatur de Cappellania erecta in Ecclesia Cathedrali cum lege, quod Cappellanus teneretur interesse divinis officiis singulis horis Canonicis, & Missam pro Defunctis qualibet die celebrare. Cum Ordinarius, conquestus fuisset apud Sac. Congregationem, quod Cappellanus residentiam non servaret; contra vero Cappellanus ad excludendum onus residentiae præcisæ binas exhibuisset ejusdem Cappellaniae provisiones factas, uti de Beneficio simplici duobus Ecclesiæ Cathedralis Mansionariis, proposito dubio = *An Cappellania de qua agitur sit residentialis præcisè, vel causativè, ita ut Cappellanus non residens sit illa privandus, vel potius distributionibus in casu &c.* = Die 26. Martii 1707. plenis suffragiis responsum fuit Cappellania esse residentialem causativè tantum lib. 57. decret. pag. 98.

Cæterum sustinet *Garzias de Benefic. part. II. cap. 5. n. 161.* quod duo Beneficia habentia onus residentiae, sive illa sit præcisa, sive causativa, semper incompatibilia sunt, nec sine indulto possunt retineri, verumnum. 252. advertit, quod ex Apostolicæ Sedis indulgentia juxta urgente causa conceditur dispensatio retinendi duo Beneficia incompatibilia, & revera Sac. Congr. in *Oscen. Canonatus Pœnitentiarii die 15. Januarii 1724.* indulgit Æmanueli Martinez Montoja, qui in concursu magis idoneus fuerat renunciatus, ut cum Præbenda Pœnitentiarii retinere posset Archidiaconatum de Serablo. In *Leodien. Indulti* Antonius Bertrandus de Halloy postquam deputatus fuerat in perpetuum Coadiutorem Canonatus Collegiatae Ecclesiæ S. Dionisij Leodij, obtinuit a Cápitulo ejusdem Ecclesiæ præsentari ad Vicariam Parochialis Ecclesiæ S. Aldegundæ, cumque exposulasset facultatem retinendi utrumque Beneficium, disputato dubio = *An sit consulendum Sanctissimo pro concessione gratiæ dispensationis in casu &c.* Die 4. Julij 1739. prodiit resolutio = *Attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum Sanctissimo pro gratia, accedente tamen consensu Capituli.*

In *Auximana*, Testator quidam Cappellania institui jusserrat ad Altare S. Luciae Ecclesiæ Parochialis Terre Appigniani, cui Missarum celebrationem cum aliis oneribus in-

junxerat, & legem residendi, & abitandi ejus domum in eadem Terra indixerat; Dubitatum fuit an Cappellanix onera adimpleri possint per substitutum, & duobus examinatis dubiis = I. *An hujusmodi Beneficium sit Sacerdotale, ita ut de illo provisos teneatur per seipsum Missas celebrare, & per substitutum non possit impleri.* II. *An personaliter residere teneatur, ita ut Eminentissimus Episcopus permittere non debeat, ut per alium onera impleri possint* = Die 13. Novembris 1649. fuit responsum = Ad I. *Beneficium, de quo agitur esse Sacerdotale, & posse per substitutum onera impleri.* Ad II. *Eminentissimum Episcopum posse permittere lib. 19. Decret. fol. 2., & reposita causa super dubio = An Rector Beneficij S. Lucie Terræ Appigniani personaliter residere ibidem teneatur, seu potius per alium tale onus impleri possit in casu &c.* Sac. Congregatio die 17. Januarii 1761. respondit = *Affirmative ad primam partem ad formam Testamenti; In reliquis in decisis de anno 1649.*

Nihilominus in *Aquilana Cappellanix*, in qua Testator nullo injuncto onere personaliter adimplendo per Cappellanum, tantummodo demandaverat = *Che sia obligato residere in detta mia casa lasciata per questo effetto* = Cum disputata fuissent bina dubia = I. *An Beneficium, seu Cappellania, de qua agitur habent onus residentie, & quomodo* II. *An prædictum Beneficium sit compatibile cum Parochiali in casu &c.* Die 16. Maij 1733. fuit responsum. Ad I. *Cappellanum teneri residere ad formam Testamenti ad II. Provisum in primo, & die 18. Julij ejusdem anni ad examen revocata causa, perstitum fuit In Decisis.*

Ponderandum, quod Sacerdos Borromæus filiis nascituris ab Angela ejus Neptæ permisit hujusmodi Beneficij retentionem cum Præbenda residentiali in Ecclesia Cathedrali Laureti, hinc videndum an eodem indulto frui possit Orator, qui dictæ Angelæ Nepos est, & ab ea descendit; Sane Testator disponens de jure patronatu activo dixit = *E per Figli intendo che siano compresi ancora tutti li discendenti di linea Maschile da detti figli di Angela* = Ex Textu in lege Liberos §. Sed, & Papius ff. de Verborum signific. habetur = *Filij enim Appellatione sepe, & Nepotes accipi multifariam placere* = In *Firmana Beneficij*, in qua Testator ad Patronatum passivum cujusdam Beneficij a se institui vocaverat filios Julij Laureti, eisque indulserat, ut quousque ad ætatem viginti quinque annorum non pervenissent, loco Officij divini

recitare possent officium parvum B. M. Virginis, & post istorum obitum dictum patronatum detulerat ad Alezium Simonetti, ejusque hæredes, & successores nulla facta dictæ exemptionis mentione, cum dubitatum fuerit, an eadem dispensatio indulta filiis Laureti, censeretur concessa ad gentem Simonettam bina proposita fuerunt dubia = I. *An licuerit Iacobo Balducci Fundatori Beneficij, Iurispatronatus dispensare Rectores pro tempore a recitatione Divini Officij usque ad ætatem annorum vigintiquinque jam expletam, eisque loco divini Officij onus injungere recitandi Officium parvum Beatissimæ Virginis, & quatenus affirmative* II. *An onus hujusmodi expresse injunctum a dicto Fundatore Rectoribus de familia Laureti primo loco ad Beneficium vocatis, censeatur repetitum in Rectoribus de Familia Simonetti secundo loco invitatos.* Die 2. Septembris 1758. Sacra Congregatio respondit. *Ad I. Affirmative Ad II. Negative.*

Videndum quanti sit habenda consuetudo Ecclesiæ Parochialis S. Petri Oppidi Castignani in qua Præbendati inservire solent per Substitutum; Observandum an illa juvari possit Orator contra Fundatoris voluntatem. Hicce ergo perpensis EE. VV. definient.

An sit standum vel recedendum a decisjs sub die 18. Augusti anni elapsi in casu &c.

Die Sabbathi 14. Septembris 1782. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Ultra causas in præcedenti Folio descriptas, quæ in postrema Congregatione decisæ non fuerunt septem aliæ in præsentī adduntur, de quibus omnibus EE. VV. judicium exquiritur.

ILCINEN.

An sit locus reductioni oneris applicationis Missæ Conventualis ad dies tantum Festos de præcepto in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 22. decret. de observ., & evitan. in celeb. Miss.

MONTIS ALTI DISPENSATIONIS :

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 18. Augusti anni elapsi in casu &c.

Indecis.

Sess. 24. cap. 17. de Reform.

*Sess. 22. cap. 8.,
& cap. 9. de Re-
form., & Sess.
25. cap. 3. de
Reform.*

FERRARIEN. CONFRATERNITATIS. Quæ inter Parochum Oppidi Bondeni Ferrariensis Diœcesis, & Sodalitium SSm̃i Sacramenti ejusdem loci excitatæ sunt controversiæ super jure privato quæsiuandi in districtu dictæ Parochiæ, & libera de collectis elemosynis facultate disponendi, primum per judicialem sententiam definitæ fuerunt a Vic. Generali Ferrariensi; Deinde interposita per Parochum appellatione causa ad Tribunal A. C. devoluta est. Cum autem hoc medio tempore Eñus Archiepiscopus nova Sodalitio observanda proposuisset statuta, non desuerunt aliqui ex Sodalibus, qui illa impugnare conati sũnt, qua de re in iudicium vocarunt Promotorem Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis. At alijs post hæc subortis dissidijs, placuit SSmo Domino Nostro causas omnes inter Sodalitium prædictum, & Promotorem Fiscalem, ac Parochum Bondeni jam motas, & in posterum movendas Sac. Congregationi ablegare. Quæstionum capita sub oculis EE. VV. in undecim dispartita Dubiis subiiciuntur, quorum quinque primo ordine descripta ad Sodales, & Parochum spectant, reliqua vero Sodalitium, & Promotorem Fiscalem respiciunt. Quisque ex Collitigantibus propria jura tuetur, hinc permolestum nimis esset, tædioque afficerentur Eñi Patres, si quæ a Defensoribus deducuntur singillatim referrentur; Non abs re tamen erit nonnulla animadvertere, quæ ad causæ decisionem necessaria sunt.

Ad I. dubium, quod attinet observare præstat, quod in Sac. Congregatione Rituum ad componenda, quæ Parochos inter, & Sodalitia excitabantur dissidia, quamplurima anno 1703. proposita fuerant dubia. Refert Benedictus XIV. *Inst.* 105. §. 3. num. 29., quod Card. Colloredus Causæ relator præmonuit Sac. Congregationem, quod = *Alio modo subsunt Parocho hæ Societates cum in eadem Parochiali Ecclesia sunt erectæ, vel in Oratorijs, aut Sacellis, quæ ipsi Parochiæ adijciuntur, alio autem modo cum Societates ejusmodi addictæ sunt publicis, ac liberis Ecclesijs, quamvis intra limites Parochiæ, positæ sunt.*

Et revera quatuor hac de re proposita sunt dubia sic concepta. *I. An Confraternitates Laicorum legitime erectæ in Ecclesijs Parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus. II. An dictæ Confraternitates erectæ in Cappellis vel Oratorijs, tum publicis, tum privatis adnexis Parochialibus*

Ecclesiis , & ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas Functiones . III. An Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ . IV. An Confraternitates erectæ in Oratorijs , tum publicis , tum privatis sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus quoad dictas Functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho , & die 10. Decembris 1703. Ad I. , & II. responsum prodiit Affirmative ad III. , & IV. Negative .

Serio ponderanda sunt acta Pastoralium Visitationum tum Ecclesiæ Parochialis , tum etiam Oratorij *delle Catene* ubi Sodales ad Sacras peragendas functiones conveniunt , ex quibus plura habentur ex Sodalitij erectione ejusque translatione ad d. Oratorium . Patet etiam facultatem factam fuisse Archipresbytero intereundi Congregationibus a Confratribus fieri solitis , eique traditam alteram ex clavibus capsulæ eleemosynarum . Nec est prætereunda animadversio , quod agitur de Confraternitate SSm̃i Sacramenti , quæ in qualibet Ecclesia Parochiali ad formam Constitutionum Apostolicarum erigi debet *Scarfonton. ad Ceccoper. decij. 45. num.6. tom.1.*

Ad II. sustinet *Card. Petra in Commentar. ad Const. I. Anastasij IV. sect. 2. num. 16. , 17. , & 18.* Parochum habere juris assistentiam pro omnibus oblationibus , quæ fiunt in ejus Parochia , eique deberi oblationes recollectas in Cappella sita extra Ecclesiam Parochialem , dummodo sit intra Parochiæ limites , hinc Sac. Congregatio in *Fulginate. 6. Aprilis 1647. rescripsit = Rectori Parochialis Ecclesiæ S. Nicolai Belfortis Diæcesis Fulginaten. deberi oblationes ; quæ fiunt in Ecclesia simplici S. Mariæ Prati existen. intra limites dictæ Parochiæ = lib. 18. decret. pag.310.* Prosequitur tamen idem Auctor cit. in loco *num. 19.* hujusmodi regulam limitari si Oblationes fiant intuitu Cappellæ , & ad certum determinatum effectum ; Tunc enim cum non dentur oblationes ratione administrationis Sacramentorum , cessat quælibet præsumptio Parocho favorabilis , & debet servari voluntas Offerentis erogando scilicet dictas Oblationes pro servitio Cappellæ cui factæ fuerunt ; At semper ad Parocum spectat illarum administratio qui tenetur illas convertere in causam ab offerentibus volitam .

Docet *Ferrarius verbo Oblationes num. 18. , & 19.* cum pluribus aliis ibi allegatis , quod etiam Laici acquirere possunt

sunt jus colligendi oblationes, illasque juxta consuetudinem vel per se ipsos, vel una cum Parocho loci administrare; ex quo infert, quod Confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere, & administrare Oblationes, dummodo laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant. In decretis generalibus S. c. Congregationis Rinquumanni 1703. inter alia dubia adest dubium XVIII., in qua disputatum fuit = *An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, & eleemosynarum in supradictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere*, & die 10. Decembris dicti anni 1703. prodiit resolutio = *Negative* = In præsentî casu spectanda quoque est observantia, atque ex actibus Pastoralium Visitationum inquirendum quid Parocho, quid vero Confratribus tribuendum sit quoad jus recipiendi Oblationes, illasque administrandi.

Certum tamen est, quod si Laicorum Confraternitates, sive cum Parocho, sive ab illo separatæ Fidelium oblationes administrant, illas tamen nec colligere, nec erogare pro libitu possunt, sed omnino requiritur Episcopi auctoritas, & de illarum erogatione coram eodem Ordinario rationem reddere debent. Id expresse statuit Clemens VIII. in Constitutione, quæ incipit *Quæcumque* edita die 7. Decembris 1604., & definivit Sac. Congregatio in *Lunen. Sarzauen.*, in qua disputato VI. Dubio = *An Oblationes, quæ sunt in dicto Oratorio spectent ad ipsum Parochum, vel ad Confratres, & quis debeat esse earum administrator* = die 19. Augusti respondit = *Oblationes spectare ad Confraternitatem, & earum administrationem ad ejusdem Officiales, qui teneantur reddere rationem Episcopo, vel ab eodem deputan. lib. 40. decret. pag. 539.*, & in *Lancianen. Confraternitatis* præ cæteris disputatis Dubiis II. *An Confratres Confraternitatis Mortis Lanciani possint libere quæsturare tam intra Ecclesiam, quam extra per Civitatem, ejusque Territorium, & districtum absque licentia Curie Archiepiscopalis* =, & III. *An libere possint disponere de introitibus, effectibus, & eleemosynis ejusdem Confraternitatis absque licentia Curie Archiepiscopalis* = Die 20. Septembris 1710. eadem Sac. Congregatio respondit ad II. *Negative*, ad III. *Affirmative exceptis eleemosynis, in quibus censuit servandam esse dispositionem Bullæ San. Mem. Clementis VIII. lib. 60. decret. pag. 367.*

Pro solutione Dubiorum III., & V. serio ponderanda sunt decreta edita in Pastoralibus Visitationibus Ecclesiæ Parochialis. In illa expleta die 16. Septemb. 1591. refertur, quod ad Altare Majus adest Schola SS̄ni Corporis Christi, & *Lampas ardens coram SS̄no Sacramento manutinetur sumptibus ejusdem Scholæ*. In altera visitatione habita die 24. Octobris anni 1628. onus assumpsit Sodalitium = *Prima qualibet Dominica singulorum Mensum providere pro Altare, in quo Missa solemnis celebratur sex Candelas ceræ, & quatuor Intorticia, & singulis quintis ferijs pro Missa de SS̄no Sacramento, & in Festis solemnioribus Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi cum tribus diebus sequentibus, Resurrectionis Dominicæ cum duobus sequentibus diebus, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis eamdem Candelarum, & Intorticiorum quantitatem, & qualitatem tradere*. De quo quidem onere mentio etiam habetur in Visitationibus peractis in Oratorio Sodalitatis annis 1712., & 1746.. Advertendum pariter est, quod in dictis Visitationibus Ecclesiæ Parochialis habetur, quod anno 1645. Sodalium *Nullum habet redditum, nisi eleemosynarum, & id ipsum confirmatur in Visitatione diei 2. Junij 1656.*

Ad IV. scire præstat, quod in Visitatione Oratorij Confraternitatis habita anno 1708. conquesti sunt Sodales penes Card. Verme Episcopum Ferrariensem de Archipresbytero, qui omnia Sodalitij Supellectilia in Sacratio Ecclesiæ Parochialis retinebat insteteruntque, ut ipsis restituerentur, & laudatus Episcopus = *Precibus benigne annuendo ea omnia in Inventario contenta mandavit restitui juxta petita, cum hoc tamen quod illa subministrare debeant quandocumque eidem Archipresbytero, vel ejus Cappellano quando contingerit opus esse illis uti pro Functionibus spectantibus ad Societatem SS̄ni Sacramenti, quibus terminatis debeant redire ad manus Societatis, seu Officialium*. Videndum pariter est an ex consuetudine majorem obligationem assumpserint Sodales, ita ut eandem sacras Supellectiles subministrare teneantur ad n̄tum Archipresbyteri etiam pro aliis Functionibus, quæ ad Sodalitium non pertinent.

Ad VI. San. Mem. Clemens VIII. in dicta Constitutione *Quæcumque* §. 5. statuit, quod = *Statuta pro regimine Ordinum Regularium, & Institutorum erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, edita, Con-*
fra-

fraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituen-
dis, & aggregandis, & quibus communicationes Privi-
legiorum, & aliorum prædictorum sunt impartiri non
possint, nisi ea prius ab Episcopo Diocesano examinata, &
pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus ejus-
dem Episcopi decretis, & moderationi, & correctioni in
omnibus semper subiecta remaneant = Ex quo inferunt
Monacellus in Formular. For. Eccles. part. 2. tit. 13. form. 1.
num. 49. Ferrarius verbo Confraternitas art. 6. novæ addi-
tiones ex aliena manu num. 1. posse Episcopum auctori-
tate ordinaria mutare, & variare Statuta Confraterni-
tatum, eisque novas leges quando opus fuerit servandas
proponere.

Ad VII. Tuentur Barbosa de Officio, & potest. Episcop.
part 13. allegat. 78. num. 24. Loterius de re Benefic. lib. 2.
quæst. 10. num. 52., quod Episcopus facultatem habet
adigendi Sodales non solum, ut in eorum numero ali-
quem recipiant, sed etiam ut ex eorum cœtu aliquem ex-
pellant. Sac. Congregatio definivit liberum esse Episco-
po remove Officiales, & Administratores a Confrat-
ribus electos, quoties minus idoneos comperit. In
Aculana ad IV. Dubium sic conceptum = An liceat Re-
verendissimo Episcopo remove Officiales, & Ministros a
Confratribus electos, quatenus non sint idonei, & graves
exceptiones patiantur. Die 24. Martij 1725. respondit =
Affirmativè. Videndum hinc est, an quæ de remotione
Officialium statuta sunt, locum habeant, quoad expulsi-
onem Sodalium.

Ad VIII. certa regula est, quod emolumentorum restitutio
tunc debetur, quando indebite percepta fuerunt. In-
quirendum propterea est, qua de causa Hercules Ferrari
vinculis mancipatus fuerit, ut inde adjudicari possit, num
jure, vel injuria exposcat restitutionem summæ ab eo in
actu dimissionis persolutæ.

Ad IX. Notissima est dispositio Concilij Romani præcipien-
tis, ut ab unaquaque Ecclesia caute, & diligenter asser-
ventur scripturæ, & monumenta ad illam pertinentia;
Quare tit. 12. cap. 6. sic mandat = Hinc ad Ecclesiarum
monumenta servanda, tuta in unaquaque Ecclesia Cathedrali
præsertim Collegiata, & Parochiali ubi tamen instituta
non sunt Archiva quamprimum instituenda præcipimus.
Scripturis omnibus ad eas pertinentibus compulsatis, recen-
sitis, & summatis cum suo Indice, seu Catalogo Archivi-
stæ manu subscripto: Quod in Hospitalibus, Confraterni-
tati-

tatibus, locisque aliis piis consimilibus fieri mandamus, ne scripturæ per manus aberrantes, deperdantur; vel iniqua usurpantium cupidine rapiantur, & occultentur. Si cui vero Ecclesiæ, vel pio loco proprij non suppetant instituendi vires Archivi, a singulis in Episcopali Archivo speciali constituantur Armarium, in quo libri, & Scripturæ omnes suo ordine reponantur = .

Ad X. habendæ præ oculis sunt resolutiones editæ a Sac. Congr. Rituum dicto anno 1703. Sanè quæsitum fuit dubio X. = *An celebratio Missarum solemniium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis sit de juribus Parochialibus.* XV. *An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missæ privatæ assensiente Ordinario Loci, & contradicente Parocho* XIX. *An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta, sive Cantata ante Missam Parochialem sive lectam, sive cantatam, & dicta die 10. Decembris 1703. responsa prodierunt = Ad X. Negative prout jacet, sed licere Confratribus dumtaxat in Festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiæ, vel Oratorij, ut in Brundusina sub die 1. Junij 1601. Ad XV. Affirmative. Ad XIX. Negative nisi aliter Episcopus disponat.*

Ex quibus infert *Benedictus XIV. Inst. 105. num. 94.* mentem Sac. Congr. Rituum non fuisse Episcoporum jura infringere, dum Parochos inter & Sodalitia suborta dissidia composuit, nec eisdem Episcopos præpedire, quin unquam a dictis decretis possent ipsi reddere; quando legitima concurrat causa, aut Diæcesis utilitas aliud exposcat. Et revera laudatus Pontifex in Constitutione = *Et si minime* = sub datum diei 7. Februarij 1742. §. 5. ne Festivitates, quæ sunt in Ecclesiis Sæcularibus, & Regularibus impedimento essent Parocho in exercitio docendi Doctrinam Christianam, injunxit Episcopis, ut Methodum præficerent, qua eadem Festivitates essent celebrandæ.

Quod spectat ad facultatem excipiendi in Oratorio Confraternitatis Sacramentales confessiones, animadvertere præstat, quod in Statutis cl. me. Card. Cerri, quando loquitur de Officio Cappellani, eidem onus injungitur = *di confessare, & amministrare la Sagrosanta Eucaristia a chi si vorrà in detto nostro Oratorio confessare, e comunicare, però con licenza del Signor Arciprete, che sarà pro tempore* = & Sac. Congr. in *Cassanen.* præter alia proposito IV. dubio = *An in Ecclesia, seu Cappella prædictorum Confratrum ad recipiendas Sacramentales ipsorum, ac etiam*
Mu=

Mulierum, & aliorum Confessiones retineri valeant Sedes Confessionales die 12. Augusti 1743. respondit Affirmativè de licentia Episcopi exceptis Mulieribus.

Ad XI. Ponderandum num præsens lis jurè, vel injuria peracta fuerit, an universum Sodalitium respiciat, seu potius peculiare illius personas; Videndum pariter est quid commodi, & utilitatis Sodalitio advenerit, ut inde judicari possit quinam teneantur expensas subire. In *Viterbien. Expensarum litis*. Cum quæsitum fuisset a quibus persolvendæ essent expensæ litis actæ a Clero Viterbienfi contra el. me. Card. Oddi cujus Synodi observantia mordicus impugnabatur, disputato dubio = *An & qui teneantur contribuere expensis litis in casu &c.* die 28. Januarij 1769. respondit = *Teneri eos, qui expresse in litem consenserunt.* Idque etiam definivit In *Imolen. juris convocandi Capitulum die 14. Maij 1774.*

His ergo aliisque ad rem ponderatis non graventur EE. PP. definire.

- I. *An Confraternitas Sanctissimi Sacramenti Terræ Bondenæ habere debeat dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis, ita ut Parochus præter jus Parochiale habeat jus præeminentiæ, & superioritas in casu &c.*
- II. *An competat Confraternitati Jus privativè quæstuandi in Parochiali Ecclesia, & Parochia, pro manutentione olei Lampadis Cere, & suppellectilium pro functionibus Sanctissimi Sacramenti Parochialis Ecclesiæ in casu &c.*
Et quatenus negativè.
- III. *An Confraternitas ultra servitium personale teneatur adimplere supradiçta onera ex propriis Oratorij redditibus, seu potius Parochus ex retractu quæstuarum Sanctissimi Sacramenti, & ex propriis Parochiæ redditibus in casu &c.*
- IV. *An Confraternitas subministrare teneatur propria paramenta, Sacrasque Vestes, & suppellectilia pro Ecclesia Parochiali in iis Sacris functionibus, quæ non pertinent ad Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti in casu &c.*
Et quatenus negativè.
- V. *An teneatur Confraternitas ad manutentionem Cere, & suppellectilium pro Missa festiva Parochiali pro canendis Missis, Vesperis in festivis anni diebus, aliisque Sacris functionibus peragendis in Ecclesia Parochiali, seu potius Parochus ex Parochiæ redditibus in casu &c.*

- VI. *An statuta publicata anno 1780. sint exequenda in casu &c.*
- VII. *An constet de legitima expulsionem Confratrum seu potius sint reintegrandi in pristinum statum in casu &c.*
- VIII. *An constet de damnis, itaut sit locus emendationi, & respectivè restitutioni Emolumentorum perceptorum in occasione carcerationis Herculis Ferrari in casu &c.*
- IX. *An & quomodo Libri, & Scripturæ Confraternitatis sint custodiendæ in Archivo ejusdem Confraternitatis in casu &c.*
- X. *An quomodo, & quo tempore sint celebrandæ Missæ, audiendæ Confessiones, & pulsandæ Campanæ in Oratorio Confraternitatis in casu &c.*
- XI. *An ad litis expensas teneatur Confraternitas, seu potius Carolus Bonatti, alijque subscripti in mandato Procuræ in casu &c.*

Ad I. competere Parocho jus præeminentie in functionibus Ecclesiasticis Confraternitatis ad formam resolutionis S. C. Rituum Anni 1703. Ad 1. & 2. dub. In aliis autem actibus ejusdem Confraternitatis posse Parochum habere præeminentiam, & superioritatem quatenus eidem præsit ex delegatione Archiepiscopi.

Ad II. Negativè, & amplius, & quæstivas faciendas esse ad formam decreti anni 1779. Eñi Archiepiscopi.

Ad III. Expensas necessarias pro cultu SSñi Sacramenti faciendas esse primum ex quæstuis sive a Parocho, sive a Confraternitate in hanc causam faciendis: deinde ex redditibus bonorum intuitu SSñi Sacramenti a Confraternitate acquisitorum, & in subsidium tandem ex redditibus Parochi, & amplius.

Ad IV., & V. Serventur decreta vísitationis Eñi Magalotti anni 1628., & Eñi del Verme annorum 1708., & 1712. Pro festivitibus vero, & functionibus non spectantibus ad cultum SSñi Sacramenti pro videat Eñus Archiepiscopus, prout ipsi opportunum videbitur.

Ad VI. Dilata, & videatur particulariter.

Ad VII. Affirmativè ad primam partem; ad secundam arbitrio Eñi Archiepiscopi, & amplius.

Ad VIII. Negativè in omnibus, & amplius.

Ad IX. Servandos esse Libros, & Scripturas, in Archivo Archiconfraternitatis ad nutum Archiepiscopi, & amplius.

Ad X. Arbitrio Esmi Archiepiscopi, & amplius.

Ad XI. Negativè ad primam partem affirmative ad secundam, & amplius.

Sess. 25. cap. 4.
de Reform.

PLACENTINA LEGATI PII. Adhuc vivens Canonicus Cæsar Casati legatum instituit unius Missæ quotidianæ, & duorum Anniversariorum, quæ singulis annis in suffragium animæ suæ, & quondam Hieronymi Casati germani fratris celebrari mandavit ad Altare S. Jo. Baptistæ de jure patronatus suæ familiæ situm in Ecclesia Sanctissimæ Annunciationis Patrum S. Augustini Oppidi Chiavennæ Landæ, ubi cadaver dicti Hieronymi tumulatum fuerat. Pro dote assignavit capitale librarum sex millium, & quatuorcentum monetæ Parmensis, quam summam loco depositi haberi voluit, quousque in bonis stabilibus collocaretur; Interim vero fructus rependerè promisit in ratione librarum quinque pro quolibet centenariio, & anno. Legatum hoc accedente consensu Prioris Generalis per contractum inter vivos acceptarunt PP. Augustiniani, & onera injuncta adimplere promiserunt.

Capitale prædictum pro rata librarum 4388. erogatum fuit anno 1639. in emptionem nonnullorum Prædiorum existentium in loco, qui dicitur = *la Volpara* = adjecta in stipulatione contractus lege = *Quod dictæ Terræ sic ut supra per dictos Reverendos Fratres emptæ nomine dicti Monasterij debeant esse specialiter hypothecatæ ad favorem d. Domini Casati, & oneris Missæ quotidianæ* =

Cum autem Conventus S. Augustini Chiavennæ Landæ Apostolica auctoritate suppressus fuerit, ejusque bona, & onera ad Conventum ejusdem Ordinis in Civitate Burgi S. Donnini translata extiterint, accidit, ut Ecclesia

ſuppreſſi Conventus pro nova Parochiali fuerit assignata. Hac occasione Religioſi a Sanctiſſimo Domino Noſtro poſtularunt , ut pium Legatum Caſati ad Eccleſiam Burgi S. Donnini transferre dignaretur facta tamen onerum reductione , vel ſaltem facultatem impertiretur reſtituendi hæredibus Caſati libras 4388. erogatas in emptionem Prædiorum *della Volpara* .

Precibus adhæſit Summus Pontifex, qui in audientia diei 13. Septembris 1780. mandavit , ut facta reſtitutione dictarum librarum 4388. , nec non facta ceſſione favore Eccleſiæ Parochialis Chiavennæ = Landæ aliarum librarum 2012. , quæ a Familia Caſati retinebantur , immunes eſſent Religioſi Auguſtiniani a quocumque onere . Præterea Placentino Epifcopo facultatem injunxit reducendi Miſſarum onera ad ratam redituum . Verum cum Marchio Aloyſius Caſati adverſus petitionem Religioſorum reclamaffet , placuit Sanctiſſimo Domino Noſtro rem totam judicio Sac. Congregationis ſubiicere , quocirca cauſa quatuor partita dubiis ab EE. VV. definienda proponitur .

Ad I. advertit Marchio Aloyſius PP. Auguſtinianos reticuiſſe ſtatum , & qualitatem prædiorum *della Volpara* , uberimoſque fructus , qui ab iis percipiuntur , ac ſimiliter reticuiſſe hypothecam , cui Canonicus Caſati in Inſtrumento acquisitionis eadem bona ſubjecit pro tutiori legati adimplemento , quæ quidem ſi Summo Pontifici innotuiſſent , vel gratiam abſolutè denegaffet , vel difficilius conceſſiſſet ; hinc ſuſtinet reſcriptum ſubreptionis vitio laborare : *Mafcard. de probat. concl. 486. num. 17. , & ſequen. Valent. de re Eccl. vot. 14. num. 46. , & 47.*

Addit præterea graviffimum inferri Legato Pio præjudicium ſi Religioſis arbitrium tribuatur deponendi libras 4388. , & bona *della Volpara* applicandi Conventui Burgi S. Donnini , cum ex hiſce bonis percipiantur annua ſc. 47. 37. , quibus additis aliis ſc. 6. 37. a Familia Caſati perſolvendis , conflatur ſumma ſuperabundans legati adimplemento ; Verum ſi reſtituta pecunia in aliis Capitalibus inveſtiatur minori interuſurio , tunc minuentur redditus , qui onerum ſatiſfactioni non amplius ſufficerent .

Perperam obiici, in precibus narratum eſſe prædia *della Volpara* comparata fuiſſe ex pecuniis relictiſ a Canonico Caſati , illaque hypothecata pro ſecuritate legati , quod ipſe inſtituerat ; Reſpondet enim ex involuta huiusmodi narratione Summum Pontificem percipere non potuiſſe via-

culum hypothecæ, cui juxta mentem Fundatoris eadem bona subjecta fuerant, nec onus a PP. Augustinianis in Instrumento acquisitionis assumptum.

Ad II. contendit Canonicum Cæsarem fundatorem in Institutione legati non commodum; & utilitatem PP. S. Augustini respexisse, sed pietatem, & devotionem suam patefecisse erga Ecclesiam, & Altare ubi pium legatum instituerat; Hinc locum non esse onerum translationi, sed omnia illa adimplenda fore a Parocho Clavennæ=Landæ in Ecclesia subrogata in locum antiquæ Parochialis, maxime quia in illa humatum est Cadaver Hieronymi Casati, in cujus animæ suffragium Missarum onera relicta fuerunt.

Quoad III. dubium se refert ad ea, quæ in examine Primi dubii deduxit. Ad IV. demum advertit, quod si prædia *della Volpara* adimplemento pij Legati subjecta remaneant nulla opus erit onerum reductione, cum redditus pro illorum adimplemento sufficiant.

Contra vero Defensores PP. S. Augustini ad I. tuentur; gratiam nullo modo subreptionis, aut obreptionis vitio infectam esse, nihilque expositum, aut reticentum, quod Pontificis animum ab illius concessione retardare potuisset. Expendunt verba supplicis libelli, ex quo totam Canonici Casati dispositionem desumi contendunt, & etiam exposita credunt omnia, quæ legati acceptationem, & Conventus translationem, aliaque necessaria respiciunt.

Ad II. sustinent saltem esse locum Legati translationi, cum non adversetur voluntas Fundatoris, qui animæ suæ suffragium optavit, nihilque de suffragio detrahi, si Missæ in una potius, vel altera Ecclesia celebrentur *Passarin. de stat. homin. quæst. 187. art. 4. num. 1181* Fortius quia pro celebratione Missarum contemplati præcisè fuerunt PP. Augustiniani eisque addictum capitale lib. 6400. Ex quibus arguunt indubia affectionis, & prædilectionis argumenta, quæ translationem suadent ad locum, ad quem Religiosi translati sunt.

Contendunt ad III. non esse locum restitutioni prædiorum; sed tantum restitutioni pecuniarum, quæ in illorum emptionem erogatæ fuerunt, cum Canonicus Casati non bona stabilia, sed pecuniam dederit, & contractus emptionis prædij *della Volpara* nomine Conventus fuerit expletus. Quare si Religiosi immunes fiant ab adimplemento legati, ad nihil aliud teneri putant, quam ad restitutionem

pecuniæ a Fundatore perfolutæ *Rot. cor. Molines decis.* 1284. num. 15. Demum ad IV. observant imminutionem onerum inoportunè expolci a Parocho Clavennæ = Landæ cum non doceat Missarum Eleemosynam auctam fuisse, minusque demonstret redditus Legati decrevisse; atque idcirco reductionem hujusmodi nec expolci a PP. Augustinianis quatenus legati adimplementum ipsis relinquatur.

Plura in præsentis causa animadvertenda occurrunt, & primo ponderandum est quidquid a PP. Augustinianis expolitum fuit in precibus Summo Pontifici oblatis pro unione Conventus Oppidi Clavennæ = Landæ alteri Conventui Burgi S. Donnini, & pro translatione onerum eidem suppresso Conventui inhærentium; Videndum an s b hac generali onerum translatione, compræhendi quoque debeat legatum pium institutum a Canonico Casati. Observandum, quod PP. Ordinis S. Augustini denuo supplicarunt Summum Pontificem pro exemptione ab adimplemento legati, & hac de causa obtulerunt restitutionem pecuniarum, quæ in emptionem prædiorum *della Volpara* fuerunt erogatæ.

Præ oculis habendus est contractus initus inter Canonicum Casati, & dictos PP. Augustinianos, qui legatum acceptarunt. Conventum tunc fuit, quod iidem Religiosi tenerentur libras 6400. = *Omnes, & totas, & integraliter implicare in aliquo fundo stabili, & idoneo, & benecapto ad effectum percipiendi honestos fructos, seu proventus pro celebrari faciendo Missam, & Anniversaria prædicta, nec possint amoveri dictæ libræ sex Mille quatuorcentum, vel aliqua earum pars a manibus d. Domini Canonici etiam non obstante superscripta obligatione in forma depositi, de qua supra facta per dictum Dominum Canonicum, nisi ad effectum eas implicandi ut supra = Nec est prætereundum, quod in Instrumento acquisitionis prædiorum *della Volpara* a Sindaco Conventus declaratum fuit = *Quod dictæ Terræ sic ut supra per dictos RR. Fratres emptæ nomine dicti Monasterij debeant esse specialiter, & specificè hypothecatæ ad favorem dicti Domini Casati, & oneri Missæ prædictæ ad formam conventionis =**

Hicce perpensis animadvertere quoque præstat, quod causæ, ob quas Missarum onera fideles, relinquunt, ut plurimum sunt propriæ animæ suffragium, aut erga aliquem Sanctum peculiaris devotio, vel erga Ecclesiam aliquam affectio. *Ursaya discept. Eccles. tom. 1. discept. 5. n. 1.*; Primo casu Missarum translatio facilius concedi solet: *Gratian. discept. foren. 73. num. 1.*, nam Sacrificium in-

quacumque Ecclesia celebratum fuerit eodem modo semper defunctis prodest : *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst. 1149. num. 9.* ; At quando Missæ demandatæ fuerunt , vel pro affectione , aut pro decore alicujus Ecclesiæ , vel Testator peculiarem erga aliquem Sanctum devotionem suam patefecit , tunc , ne Ecclesiæ cultus imminuatur , translatio non permittitur : *Grat. loco cit. num. 4. Farg. comm. ad sing. can. de jurepat. part. 1. can. 6. cap. 3. num. 5.*

Sac. Cong. cautè se gessit in translationibus concedendis , easque semper denegavit , si alicujus præjudicium adesse cognoverit , ut in *Neapolitana commutationis voluntatis 7. Februarij 1733. in Panormitana translationis oneris Missarum 26. Februarij 1739. in Comen. Translationis Missarum 15. Septembris 1764.* Præsertim si Cadaver Testatoris tumultatum fuerit in Ecclesia in qua Missarum celebrationem ipse demandavit , ut in *Neapolitana Capellaniarum 16. Junij 1731.* , & alibi passim . Ponderanda idcirco est voluntas Fundatoris , qui Missas celebrari voluit in Ecclesia S. Mariæ ab Angelo Annuntiatae , & præcise ad Altare Divi Jo. Baptistæ ab ejus Matre constructum . Ponderandum pariter , quod Cadaver Hieronymi Fundatoris Fratris in eadem Ecclesia tumultatum fuerat , atque hinc dijudicandum .

- I. *An rescriptum Sanctissimi sit exequendum in casu &c.*
Et quatenus negativè .
- II. *An , & ubi , & a quibus sit adimplendum legatum ordinatum a Canonico Cesare Casati in casu &c.*
Et quatenus a Rectore Ecclesiæ Clavennæ = Landæ .
- III. *An Patres S. Augustini teneantur restituere Prædium di Volpara pro alio ex fundis dicti legati assignatum , seu potius tradere pecunias in emptionem dicti Prædij erogatas in casu &c.*
Et quatenus affirmativè ad secundam partem .
- IV. *An & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Dilata ad primam .

SAVONEN. Anno 1761. Sacerdos Dominicus Blomer *Seff; 25. cap. 3. de Reform.*

Civis Savonensis perpetuam Capellaniam obtinuit, cui inest onus quotidie celebrandi Sacrum in Ecclesia Cathedrali dictæ Civitatis. Munus suum fideliter adimplevit ad annum usque 1763. Cum autem de eo tempore Savona discedens domicilium constituerit in Oppido Vulturis Diæcesis Januensis, adimplementum Missarum dictæ Capellanix maxima ex parte prætermisit, qua de re anno 1776. Sacerdos Blomer accersitus Savona, & ab iis, qui satisfactioni Legatorum piorum præfunt, prius monitus fuit, ut Sacrorum oneri juxta Fundatoris præceptum satisfaceret, indeque ab Episcopo coram Vicario Generali extrajudicialiter injunctum, ne sub pæna suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ a d. Civitate discederet nisi reddita ratione adimplementi Missarum suæ Capellanix, quod quidem præceptum in forma pariter extrajudiciali, nullisque adhibitis Testibus de Ordinarij mandato renovatum fuit ab Episcopali Cancellario.

Monitionem hanc sprevit Sacerdos Blomer, & rediens ad Oppidum Vulturis Missam ibi celebravit, & Pœnitentiæ Sacramentum per plures annos ministravit. Interim vero, cum penes Episcopalem Curiam deposita fuisset quædam pecuniarium summa pertinens ad redditus dictæ Capellanix, curarunt Præsides Legatorum piorum illam sequestro subiici, ut sic Missis non celebratis prospicere possent. At in irritum cessit illorum industria, nam Sacerdos Blomer a iudice Ecclesiastico divertens, dictum depositum sibi adjudicari curavit.

Facti tamen pœnitens, & Episcopi mandata executus, compertum fuit prætermisisse celebrationem Missarum 1027. quarum satisfactionem præstita fidejussione infra terminum sex mensium se curaturum ut expleretur promisit. Post hæc suplex adiit S. Congregationem, & fatendo celebrationem Missæ, & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem post suspensionis pœnam sibi injunctam, dispensationem ab irregularitate expostulavit. Hujusmodi instantia rejecta fuit die 2. Decembris 1780. mandatumque, ut prius Missarum adimplemento incumberet. Novastamen exhibet preces, quibus præcepti validitatem inficiatur, proindeque eo instante bina dubia inferius describenda, sapienti EE. VV. judicio subiiciantur.

Ad I. inquit Sacerdos Blomer in jure præfinitum esse, ut suspensio feratur in scriptis, præmissis monitionibus, & cum expressione causæ, ob quam illa infligitur; Hæc omnia

omnia neglecta fuisse contendit ab Episcopo Savonensi ; cum ad præceptum suspensionis devenerit , quin trinam monitionem præmiserit , nec sententiam scripto tulerit , nec causam indictæ suspensionis indigitaverit , proindeque suspensionis pœnam nullitatis vitio laborare = *Text. in cap. 1. de Sententia excommunicat, in 6. Nàvar. in sum. cap. 27 nu. 159.*

Nec trine monitioni defectui supleri existimat per requisitionem factam a Deputatis super adimplemento piorum legatorum ; Observat enim ad suspensionis pœnam monitionem judicalem requiri , & delinquenti personaliter deberi intimari , solumque interpellatio personalis omititur , & per Edictales litteras suppletur , quando reus ipse vel latitat , vel locus permanentiæ ignoratur .

Hinc ad II. infert nulla indigere absolutione , & dispensatione , nam suspensionis pœna contra præscriptum Sacrorum Canonum indicta , si despiciatur nullam parit Irregularitatem . Verum si judicio Sac. Cong. suspensio sustineatur , existimat absolutionem , & dispensationem ab Irregularitate indulgendam esse , tum propter summam , qua premitur paupertatem , tum etiam quia monita Episcopi adimplevit , & de Missis non celebratis rationem reddere non omisit .

Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis paucis se expedit ; Sustinet jure potuisse Episcopum Sacerdoti Blomer præpedire discessum a Civitate Savonensi sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda , nisi prius rationem reddidisset Missarum , quæ celebrare debebat , cumque spreta hujusmodi monitione ad Oppidum Vulturis se contulisset , ibique Sacrum pluries celebrasset , dubium non est , quin in Irregularitatem inciderit . Cæterum advertit in præsentis causa curam omnem eo directam esse , ut Testatoris voluntas impleatur , & Sacerdos Blomer adigatur ad celebrationem Missarum , quæ pro adimplemento oneris Capellanix huc usque satisfacere omisit .

Episcopus in relatione diei 21. Decembris 1780. testatur Oratorem omisisse celebrationem Missarum 1027. prædictumque onus dato etiam idoneo fidejussore adimplere promisisse infra terminum sex mensium ; Advertit suspensionem indictam fuisse absque judicij forma , & propterea nec Fiscum nec quemquam alium adesse , cui satisfaciendum sit , & votum aperiens inquit = *Jam vero rebus sic stantibus in ea sum sententia , ut putem cum d. Sacerdote quoad per ipsum petitam absolutionem a d. suspensione , & irregularitate indulgeri posse .*

In posterioribus litteris datis die 26. Julij 1781. refert onus celebrationis Missarum 1027. nondum adimpletum esse, quamvis infra spatium sex Mensium juxta assumptam obligationem Sacerdos Blomer satisfacere debuisset, idque num ejus pervicaciæ, vel potius paupertati tribuendum sit dijudicare non audet; Demum concludit = *De conversione autem ejus an bona, an mala sit certum dare nuncium non valeo; Siquidem sexdecim jam anni sunt, ex quo ab hac Civitate, & Diœcesi egressus, Vulturis Oppidum inhabitat, quin unquam ullam mihi de suis moribus, & vita fidem exhibuerit, nec aliquid, ex quo ejus vivendi consuetudo deturpari queat ad aures meas pervenit =*

Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. celebrato anno 1215. definivit = *Ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quas necesse fuerit, possit probari monitio, promulgari præsumat = ut habetur ex cap. Sacro 48. de sententia excom.*

Item Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi anni 1245. addit = *quisquis excommunicat excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat propter quam excommunicatio profertur. Exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere infra mensem si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici sigillo autentico consignatas. Si quis autem judicium hujusmodi constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & divinis Officiis noverit se suspensum Et hæc eadem in Suspensionis, & Interdicti sententijs volumus observari = Sic habetur in cap. 1. de sen. excom. in 6.*

Verum quando fertur præceptum aliquid faciendi, & contra transgressores suspensionis poena ipso facto incurrenda statuitur, eo casu sustinent *Layman. lib. 1. de censuris cap. 5. num. 6. Suarez de censuris disp. 3. sect. 8. n. 5.* aliique, quod nulla requiratur monitio, & inobedientes statim comminata poena irretiti evadant, & *Thesaurus de pœnis part. 2. cap. 1. pag. 120.* locum habere ait, tam si præceptum sit particulare, & alicui determinatæ personæ directum, quam si sit universale, & universam Communitatem, & locum compræhendat.

Monacellus *Formul. legal. in suppl. ad 3. Tom. numer. 6.* tuetur, quod quando suspensio juridice fertur, necessario requiritur, ut illa in scriptis publicetur, secus vero

si Episcopus extrajudicialiter agat , tunc enim quamvis verbis indicta fuerit sustinetur , & ministrans in ordine , a quo fuit suspensus fit irregularis .

In *Vercellen*. Irregularitatis cum Vicarius Capitularis præcepisset Sacerdoti Jo. Antonio Buroccho in Episcopali Curia inquisito , ut restitueret litteras patentales concessas pro Confessionibus audiendis , ne hujusmodi facultate in posterum uti valeret , cum tamen ille renuerit , & præsentibus Testibus fuerit suspensus , dubitatum fuit , an esset irregularis , quia celebravit , & proposito dubio = *An Burocchus inciderit in irregularitatem* die 18. Augusti 1703. prodiit responsum = *Affirmative* = *lib. 53. decret. pag. 375.*

Advertendum in præsentis causa , quod Orator in precibus prima vice porrectis Sac. Congregationi ingenue falsus est Episcopum Savonensem sibi injunxisse , ne sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda a Civitate Savonæ discederet , nisi reddita prius ratione adimplerenti Onerum Missarum suæ Capellanæ , & præceptum adimplere minime curasse , cum post reditum ad Oppidum Vulturis pluries Missam celebraverit , & Pœnitentiæ Sacramentum ministraverit , hinc videndum , an in isto casu suppletum hoc modo fuerit defectui Testium , qui adhibiti non fuerunt , dum dicto Sacerdoti præceptum fuit intimatum . Post hæc EE. PP. definient.

I. *An sustineatur suspensio in casu &c.*

Et quatenus affirmative .

II. *An sit locus absolutioni , & dispensationi ab Irregularitate in casu &c.*

Ad I. Affirmativè , & amplius .

Ad II. Affirmativè arbitrio Episcopi , dummodo prius satisfaciat oneribus Missarum non celebratarum , & amplius .

TERRACINEN., ET SEFINA SERVITII CHORI, *Sefs. 22. decret. de observan., & de observan., & evitan. in celeb. Miss., & sefs. 24. cap. 12. de Reform.*
ET MISSÆ CONVENTUALIS. In Terra Arcis Gurgæ una aderat Parochialis Ecclesia sub invocatione B. Mariæ V., cui præter Archipresbyterum, qui curam Animarum exercebat adscripti quoque erant duo Beneficiarii cum onere celebrandi Missam, & Vesperas cum castu singulis Dominicis reliquisque diebus festis perturnum: Ad augendum Sacrarum functionum decus, Episcopus Oldo obtenta die 6. Junij anni 1739. facultate a Sac. Congregatione, Beneficiorum redditus divisit, aliasque duo addidit.

Anno 1699. bon. mem. Præsul Jo. Paulus Ginetti proprio ære in dicto Oppido a fundamentis erigi curavit Ecclesiam in onorem Divi Leonardi, & de mense Julij ejusdem anni per contractum inter vivos sex in illa Beneficia instituit, quæ voluit = *Che non s'intendano, ne reputino per Beneficij Ecclesiastici, ma per semplice celebrazione di Messa, e come fosse un legato meramente laicale, ed opera pia lasciata per celebrazione di Messa* = Beneficiorum possessores adigit ad celebrationem nonnullarum Missarum, Anniversariorum = *ed all'Officiatura del Coro conforme si pratica nelle altre Collegiate, e conforme verrà decretato dal Monsignore Illmo, e Rmo Ercole Monanni Vescovo de Terracina* = .

Pia hæc dispositio diu inadimpléta mansit; At facta translatione Archipresbyteratus, & quatuor Beneficiorum Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ ad alteram S. Leonardi, Episcopus Palombella curavit, ut executioni committeretur voluntas Præsulis Ginetti, & die 18. Decembris 1755. in actu Sacræ Visitationis dictam Ecclesiam S. Leonardi ordinaria auctoritate in Collegiatam erexit, quæ ex Archipresbytero, quatuor Beneficiatis antiquæ foundationis, ac sex aliis recentioris foundationis Ginettæ constitueretur, omnesque Canonicorum titulo decoravit. Nonnullas quoque Chori servitium edidit constitutiones; Jussit enim, quod omnes Dominicis, Festis de præcepto, ac quibusdam aliis diebus horas Canonicas tam Matutinas, quam Vespertinas recitarent, & Missam Conventualem canerent, illamque Dominicis tantum diebus pro Benefactoribus applicarent.

In pastoralis Visitatione, quam anno 1777. peregit hodiernus Episcopus decreto suo mandavit, ut applicationem Missæ pro Benefactoribus reliquis diebus festis de præcepto præfati Canonici non omitterent; Cumque an-

no 1778. in relatione Status Ecclesiæ id isti Sac. Congregationi exposuisset, responsum habuit, quod Capitulares compelleret ad obtinendam declarationem, num illorum Ecclesia esset revera Collegiata. Mandata EE.VV. executus est Episcopus, atque insuper in altera pastorali Visitatione expleta anno 1781. Canonicis prædictis onus injunxit Choro interveniendi, & Missam pro Benefactoribus quotidie applicandi; Hac novitate percussi iidem Canonici gemina dubia in calce transcripta Sacro huic Confessui definienda proponunt.

Ad I. advertunt, nec ad assiduum Chori servitium, nec ad quotidianam Missæ applicationem adigi posse, nisi prius probetur eorum Ecclesiam esse vere Collegiatam; Hanc vero qualitatem in Ecclesia S. Leonardi prorsus deficere sustinent, nec ullum remotissimum argumentum Collegialitatis desumi posse. Inquiunt enim nunquam hac de re Apostolicas litteras expeditas fuisse, quæ omnino requiruntur, ut aliqua Ecclesia hujusmodi dignitate donetur: *Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 14. num. 38.* Statum præterea expendunt omnium Præbendarum dictæ Ecclesiæ, atque ex illarum institutione collegialitatem omnino excludi affirmant.

Pergunt inde ad actus expletos ab Episcopis Oldo, & Palombella. Observant Episcopum Oldo duo vetera beneficia jam erecta in Ecclesia S. Mariæ ad quatuor auxisse, quin ullum de Collegiatæ erectione verbum fecerit; Episcopum vero Palombella illorum translationem ad Ecclesiam S. Leonardi statuisse, quibus sex alios Presbyteros ex pia dispositione Præsulis Ginnetti institutos addidisse, & quamvis de anno 1755. in actu Sac. Visitationis dictam Ecclesiam in Collegiatam erexerit non inde tamen inferri posse ipsos adstrictos esse ad interessendum Choro, & Missam pro Benefactoribus quotidie applicandam. Cum Collegiatarum erectio Summi Pontificis auctoritate omnino expleri debeat *Lotter. de re benefic. d. quæst. 14. lib. 1. num. 49.*

Addunt insuper ex foundationis lege teneri dumtaxat Choro interesse singulis Festis de præcepto aliisque designatis diebus, & Missam pro Benefactoribus applicare qualibet die Dominico, atque hinc arguunt nova onera superaddenda non esse, quoties perspecta sunt illa, quæ ex fundatione adimpleri debent: *Monacell. formul. legal. tom. 4. supplem. ad 1. pag. 28. num. 241.*

Ad II. perpendunt Præbendas exiguos habere fructus, nul-

lumque emolumentum ex quotidianis distributionibus percipere. Insuper plurium Missarum, & Anniversariorum celebratione gravatos esse, proindeque supplicat, ut saltem ex gratia reductio servitij, & applicationis Missæ Conventualis indulgeatur.

Episcopus in litteris datis ad S. Congregationem post quam retulit statum Ecclesiæ S. Leonardi, votum suum his verbis aperit = *Censerem Oratores attenta præsertim tenuitate reddituum obligandos fore ad servandas Constitutiones ut supra editas à prædecessore Palombella inserviendi Choro diebus Festis aliisque ibi expressis, adjuncto tamen onere applicationis Missæ cum cantu pro Benefactoribus non tantum Dominicis, sed etiam aliis de præcepto Festis diebus.*

Certum est quod Clerici Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum servitio addicti tenentur quotidie in Choro Divinum Officium psallere. Id colligitur ex *Clementina 1. de celeb. Miss.*. Nomine autem Officij Divini compræhenditur etiam Missa Conventualis: *Can. De his dist. 12.* Hinc est quod in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis Missa Conventualis qualibet die celebrari debet: *In Cap. Cum Creatura de celeb. Miss.* hæc habentur = *Quidam in Cathedralibus, & Conventualibus Ecclesiis prætextu Missæ semel in die pro Anniversario celebrandæ, Sacra Missarum solemnia, quæ ratione diei, vel Festis solent solemnius celebrari, culpabili negligentia prætermittunt, quasi non sint obligati Domino, & quasi Dominus forte pro tantis obsequiis non sufficeret eis æqua vicissitudine respondere. . . . Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentia obreperere permittatis, quominus, & pro Anniversarijs Defunctorum, & pro Festo, vel Feria secundum temporum congruentiam Missarum solemnia Conventualiter celebretis =*

Dubitatum olim fuit num onus prædictum per solam celebrationem adimpleretur; Et Sac. Cong. censuit, quod Missa Conventualis non obstante quacumque contraria consuetudine pro Benefactoribus in genere applicari deberet, ut videre est in *Squillacen. 17. Martij 1714. in Camerinen. 19. Junij ejusdem anni in Ferrarinen. 18. Martij 1719. in Comen. 11. Maij 1720., & in Veliterna 14. Martij 1722.*, quam sententiam probavit San. Mem. *Benedictus XIV.* in Constitutione = *Cum semper oblatas* = sub datum diei 19. *Augusti 1744. §. 11.*, qui etiam indulgit, ut quando Canonicorum præbendæ exigui sunt redditus onus prædictum ad solos dies festos de præcepto reduci possit *ibidem §. 19.* Affir-

Affirmat laudatus Pontifex *Iust. 107. §. 2. num. 15.* ab obligatione applicandi Missam Conventualem in communes esse Ecclesias omnes, quæ Collegiatæ non sunt; quamvis in illis Horæ Canonicæ, quotidie persolvantur, & Missa cum cantu celebretur; Hinc cum Episcopus Montis Falcis Sac. Cong. retulisset, quod Presbyteri, qui Canonici appellantur addicti servitio Ecclesiæ Parochialis Terræ Martæ Missam Conventualem minime applicarent, proposito dubio = *An Canonici nuncupati Ecclesie S. Mariæ Terræ Martæ teneantur ad celebrationem Missæ Conventualis in casu &c.* die 12. Februarij 1718, plenius suffragiis prodiit resolutio = *Negative* =

Videndum modo est, num Ecclesia S. Leonardi Arcis Gurgræ revera sit Collegiata. Hanc Collegiatæ qualitatem luculenter expendit *Corrad. in præx. benef. lib. 2. cap. 15. a num. 1. ad 8.*, ubi concludit Collegiatarum erectionem solius Apostolicæ Sedis auctoritate fieri debere. Sac. Congregatio in *Conversana* 27. Junij 1626. = *definit Episcopum non posse Ecclesiam Parochialem in Collegiatam erigere* = *lib. 13. decret. pag. 27.* Nec Collegiatam institui posse per decretum Ordinarij etiam si in actu Visitationis editum fuerit juxta definitionem Sac. Congreg. in *Cataneu.*, in qua disputato dubio = *An erectio Collegiætæ facta per Episcopum in actu Visitationis sustineatur* = Die 1. Septembris 1691. responsum fuit = *Negative lib. 41. decret. pag. 133.*

Notandum in præsentī casu, quod Episcopus Palombella Ordinaria tantum auctoritate anno 1755. dictam Ecclesiam S. Leonardi in Collegiatam erexit. Verum, cum liberum esset eidem Episcopo præfinire onera adimplenda a Beneficiatis institutis a Præsule Ginnetti, eisque in erectione Collegiætæ injunxerit applicationem Missæ pro Benefactoribus ad solos dies Dominicos, ponderandum propterea est an onus hujusmodi in foundationis lege indictum augeri debeat. Sane *Monacellus in supplem. ad tom. 1. formular. For. Eccl. n. 239.* advertit quod = *Quando ex lege, & statuto foundationis constat. de qualitate & quantitate servitij Ecclesie, & de numero Missarum, & Horarum celebrandarum a Fundatoribus, & Benefactoribus prescripto, ex eo quia conditiones, quas voluerint, etiam juri communi contrarias apponere potuerunt &c., cessat dispositio juris communis, & interpretandi ratio, & lex foundationis ad usum servanda venit* =

Omnibus mature perpensis dignabantur EE. VV. responsum dare, I. Au

I. *An Canonici Ecclesie Parochialis S. Leonardi Arcis Gurgæ teneantur quotidie Officium in Choro recitare, & Missam Conventualem pro Benefactoribus applicare in casu &c.*

Et quatenus affirmative . . .

II. *An, & quomodo sit locus reductioni dicti oneris in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus .

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. Perspectum est Sac. Congregationi Testamentum Marini Francisci Vanni, qui relictis octo locis Montium pro ædificatione Ecclesie extra mœnia Oppidi Montis Georgei Firmanæ Diœcesis B. Virgini dicatæ, patronatum Cappellæ una cum tota sua hæreditate detulit Hiacynto, Philippo, Annæ Mariæ, & Mariæ Angelæ Vanni, quibus onus injunxit celebrationis duarum Missarum qualibet hebdomada. Perspectum pariter est, quod defunctis hæredibus substituit in hæreditate Annam Catharinam ejus Neptem, eamque quotidiana Missæ celebratione gravavit indicta lege = *Che debba farla celebrare in detta Chiesa della Madonna degl' Angeli, e non altrimenti, ne in altro modo* = . Patent, hæc omnia ex folio istius causæ, quod est ad diem 24. Novembris elapsi anni .

*Sess. 22. cap. 6.
de Reform.*

Oneri celebrationis Missarum in Ecclesia a Testatore præfinita satisfactum fuit ad annum usque 1771., quo instantibus Monialibus S. Andreæ dicti Oppidi, & annuentibus Patronis Missæ translatae sunt ad Ecclesiam earumdem Monialium relicta tantum Missa in die festo Dedicatæ Ecclesie, idque factum fuit vigore indulti Sa. Me. Clementis XIV. die 4. Februarij dicti anni 1771. De hujusmodi translatione conquestus est apud Sac. Congreg. Aloysius Boncori, sed attento Apòstolico Indulto audiri non

non potuit ; Verum impetrata jam facultate aduersus illud reclamandi , de translatione disceptandum modo est .

Inquit Boncorius Indultum translationis Missarum Subreptionis, & Obreptionis vitio laborare. Subreptionem ex eo desumit , quod Pontifici expressum non fuit Ecclesiam proprio Testatoris ære fuisse constructam , in eaque Missarum celebrationem tam enixe fuisse demandatam , ut clausulas adjecerit = *Ne altrimenti , ne in altro modo* = Obreptionem vero deprehendit , ex quo minus recte narratum fuerit unum tantum Sacrum in Ecclesia Monialium celebrari , illudque ob deficientiam Sacerdotum quandoque deficere ; Advertunt enim in Monialium Ecclesia præter Ordinarium Confessarium , alios etiam adesse Sacerdotes in ea frequenter celebrantes , & nunquam Missæ sacrificium defecisse .

Addit in Oppido Montis Georgei de tempore obtentæ translationis adfuisse triginta septem Presbyteros Sæculares , pluresque Regulares, quot modo etiam existunt, nec alia onera inveniri , quam celebrationis octo Missarum . Monasterium S. Andreæ præ cæteris locupletissimum , & sine incommodo alium advocare Sacerdotem posse , qui soluta consueta eleemosyna ibidem sacrum faciat ; Atque hinc infert manifestam esse Indulti subreptionem , & obreptionem , nam si omnia superius expressa narrata Pontifici fuissent Gratiâ denegasset , aut non ita facile concessisset : *Rot. in Oſcen. Canonicatus 15. Junij 1750. §. 7. coram Card. Molino , & in Gerunden. Beneficij 24. Aprilis 1757. §. 9. coram Canillac .*

Præter hæc observat deficientiam quotidianæ celebrationis in Ecclesia S. Mariæ Angelorum detrimento esse Rusticis , qui circa illam degunt , cum destituti remaneant commodo audiendi Sacrum diebus festis præsertim hyemali tempore , quo difficilis ad Oppidum patet accessus , & longe distant aliæ duæ Ecclesiæ , quæ inibi constructæ reperiuntur . Contendit præterea Pontificis Indultum sustineri non posse , quia onerum translationi nunquam assensum perstitit Aloysius Patronus ; nec defectui consensus suppleri per contractum initum inter Patronum , & Monasterium quoad utensilia ; Respondet enim hujusmodi contractum nunquam fuisse perfectum , proindeque nullum ex eo desumi posse consensus argumentum .

A Defensore Monasterij nihil novi deductum est .

De Missarum Translatione ab una ad aliam Ecclesiam actum fuit in *Firmana Translationis Oneris Missarum die 3. præteriti Mensis Augusti*, & tunc nonnulla animadverti, quæ ad rem, de qua agitur conferre posse existimavi. Quandoque Sac. Congregatio indulta Translationis Missarum exequi denegavit, si minus recte impetrata fuisse depræhenderit, ut in *Romana Capellaniarum 16. Junij 1731.*, in *Mediolanen. Capellaniæ 22. Novembris 1738.*, & in *Faventina Translationis 31. Augusti 1771.* Videndum, num in precibus a Monialibus san. mem. Clementi XIV. porrectis fuerit quidquam minus recte expressum, aut fortasse reticatum. Ponderandum an Aloysius Boncori dictæ Translationi assensum præstiterit, an defectui consensus suppleverit diuturna illius acquiescentia, cum per plures annos absque ulla conquisitione passus fuit, ut Missæ in Monialium Ecclesia celebrarentur. Rogantur EE. PP. reassumere Folium Congregationis diei 24. Novembris 1781., in quo præsens causa primum descripta fuit, & definire.

An sustineatur Translatio Oneris Missarum facta ad Ecclesiam Monialium S. Andreæ Montis Georgei, seu potius sit locus illius reportationi ad Ecclesiam Patronalem S. Mariæ Angelorum in casu &c.

FIRMANA UNIONIS. De viribus unionis suppressi Conventus S. Augustini, & adnexæ Ecclesiæ Terræ Montis Fortini Firmanæ Diæcesis, quam de Anno 1776. clar. mem. Card. Paraccianus explevit favore Parochialis, & Plebanicæ Ecclesiæ S. Angeli ejusdem Oppidi, actum fuit in Congregatione diei 16. Martij currentis anni, in qua proposito dubio = *An sit servanda unio, de qua agitur in casu &c* = prodiit responsum = *Negative*, & *Archiepiscopus utatur jure suo contra Parochum pro refectione damnorum Ecclesiæ illatorum*. Cum autem Parochus jura sua tunc non deduxerit, idcirco novam audientiam postulavit, cujus beneficio, quamvis non dum libellum exhibuerit, iterum de meritis causæ agendum

*Sess. 7. cap. 6.
de Reform.*

est. Rogantur Eñi Patres reassumere folium diei 23. præteriti Mensis Februarij, in quo eadem causa descripta legitur, ut definiant.

An sit standum, vel recedendum a decis in casu &c.

*Sess. 23. cap. 1.
Sess. 24. cap. 2.
de Reform.*

VITERBIEN. SEU TUSCANEN. Jamdiu apud Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium conquesti fuerunt Canonici Tuscanenses de proprio Episcopo, qui neglecta illorum Ecclesia Cathedrali, omnes Sacras Functiones, & Pontificales, nec non ipsam quoque Synodum in altera Cathedrali Viterbiensi celebrare contueverat. Hujusmodi lis diu mansit indecisa, sed instante Viterbiensi Capitulo de mandato clar. mem. Card. de Giraud Pro-Auditoris SSmi huic Sac. Confessui remissa fuit. Cum autem nova deinceps superaccesserint quæstionum, & discordiarum semina, factum hinc est, ut causa, omnia complectens, ac in quindecim dispartita dubiis sapienti EE. VV. judicio modo discutienda proponatur. Inutile foret singula rationum momenta referre, quæ in circumferendis libellis deducta sunt. Pauca tantummodo ad singula dubia perpendenda breviter addam, quæ ad illorum dilucidationem conferre possunt.

Ad duo prima dubia quod attinet animadvertendum occurrit posse Episcopum non solum in Civitate, sed in quolibet Diæcesis loco Synodum convocare. Refert Benedictus XIV. in *Synodo Diæcesana lib. 1. cap. 5. num. 2. Concilia Arelatense* 1. celebratum anno 511., & *Oscense* habitum anno 598. indicta fuisse cum expressione = *In loco ubi Episcopus elegerit* =, Verum num. 3. advertit, quod si nullum obstat impedimentum, expedit, ut illa semper in Ecclesia Cathedrali celebretur. Sic etiam Sac. Congregatio in *Acernen.* die 17. Maij 1636. definivit = *Posse Episcopum etiam in dicto Oppido Diæcesanam Synodum congregare, sed satius esse, ut illam apud suam Cathedrali celebret,* lib. 15. decret. pag. 355.

Quan-

Quando verò duæ Cathedralis Ecclesiæ ab uno eodemque Episcopo moderantur, potest Episcopus inspecta juris severitate in Ecclesia quam maluerit Synodum celebrare, cui Ecclesiastici omnes utriusque Diœcesis interesse tenentur, editasque constitutiones inviolabiliter servare: *Frances de Ecclesiis Cathedralibus cap. 8. num. 370. Romæ guerra ad Constit. Synodales Gerundenses lib. 1. tit. 1. cap. 1. num. 120.* Hinc licet in *Geruntina*, & *Cariatena* ad duo dubia proposita *I. An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariatena sustineatur*; & quatenus affirmative *II. An liget Diœcesim Geruntinam*. Sacra Congregatio die 2. Octobris 1706. responsum dederit *Ad I. Affirmative*; *Ad II. Negative*; nihilominus die 1. Februarij 1708. repropoſita causa perſtitum fuit in *decisis quoad primum dubium*; *Ad secundum vero responsum fuit = Prævio recessu a decisis affirmative lib. 58. decret. pag. 13.*

Notat Benedictus XIV. loco citato num. 4. quod ad evitandas inter utramque Ecclesiam similitates, & concordiam fovendam maxime expedire, ut Synodus modo in una, modo in alia habeatur, quam Sententiam secuta est Sac. Congregatio in *Ampurien. Synodi*; in qua cum Episcopus exposuisset = *Approximante tempore celebrationis, Synodi, stante, quod Ampurien. unita sit eque principaliter Civitatem. Diœcesi nullâ in hac parte suffultus consuetudine supplicat ab EE. VV. edoceri, an ipse teneatur celebrare Synodum in utraque Diœcesi = die 8. Maij 1649. respondit = Affirmative alternatim lib. 44. decret. pag. 212.* Verum si consuetudine invecum fuerit, ut Synodus alternis vicibus habeatur in utraque Civitate, tunc non ex decencia, sed ex iustitia huiusmodi alternativa servanda est Sac. Congregatio in *Pennen.*; & *Adrien. 12. Aprilis 1626. lib. 12. decret. pag. 276.*; & *27. Julij 1647. lib. 18. decret. pag. 376.*

Sed in *Maceraten.*, & *Acheruntina*, cum Capitulum Acheruntinum non dum legitime probasset consuetudinem sibi, suæque Ecclesiæ favorabilem, ob quam Synodo ab Archiepiscopo in Civitate Matheratensi indictæ interesse renuebat, & propositis duobus dubiis *I. An licitum sit Archiepiscopo Matheratensi, & Acherentino convocare Synodum Diœcesanam in Civitate Matheræ pro utraque Diœcesi*; seu potius eam celebrare teneatur in Civitate Acheruntina. Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam; *II. An idem Archiepiscopus compellere possit Ecclesiasticos dictæ Civitatis, &*

Diœcesis Acheruntinæ ad interveniendum prædictæ Synodo in casu &c. Sac. Congregatio die 24. Martij 1736. rescripsit = Dilata, non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo jam indictæ in Civitate Mathe-ratenfi sine præjudicio jurium ambarum partium.

Ad III., & IV. advertendum est Honorium III. in cap. *Te referente* 12. de celeb. Miss. scribentem Archiepiscopo Sypontino ita edicere = *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cænæ Domini in Ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnità celebrare = Ex quo infert Card. Petra ad Const. V. Innocentij IV. sec. unic. num. 10. teneri Episcopum, nisi aliqua rationabilis causa contrarium suadeat Sacra Olea in Cathedrali Ecclesia conficere.*

Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* postquam confirmavit ea, quæ de Episcoporum residentia sancte, & utiliter a Summis Pontificibus statuta fuerunt, eosdem admonuit, & in Domino hortatus est = *ne tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item, & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debent, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent = Quod quidem decretum Sac. Congregatio observari mandavit in Calaguritana, & Calceaten. in qua disputato dubio = An Episcopus teneatur saltem diebus, præscriptis a Sac. Concilio Tridentino *Sess. 23. de Reform. cap. 1. residere in alterutra ex Cathedralibus, ibique sacras functiones explere = die 3. Septembris 1740. respondit = Teneri =**

Verum si adsint duæ Cathedrales unitæ, quoties unio est subiectiva Episcopus debet tam Chrisma conficere, quam alias Pontificales functiones peragere in Cathedrali cui fuit facta unio; At si æque principaliter sint unitæ non tenetur modo in una, modo in alia prædictas functiones explere, sed in alterutra, prout sibi placuerit illas exercere valet, quia quoad Episcopum duæ Ecclesiæ habentur tanquam unica Cathedralis: *Card. Petra cum aliis Doctoribus ab eo allegatis loc. cit. num. 12.*

Sac. Congregatio juxta varias unionum species, & invectas consuetudines, subortas hac in re quæstiones defini-
vit: In *Pennen.*, & *Adrien.* die 16. Aprilis 1622. = *cen-*
suit inter has duas Civitates Episcoporum in ingressu, in
Synodo, atque in aliis functionibus Episcopalibus teneri
serva.

servare ejusmodi ordinem alternative, atque hunc ordinem per obitum, vel mutationem Episcopi nequaquam debere interrumpi lib. 12. decret. pag. 96.

In Civitatis Castellane, & Hortane die 18. Junij 1624. ad I. Dubium respondit = Episcopum in aliqua parte alterius ex dictis Diocesibus residentem suę obligationi circa residentiam utique satisfacere, dum tamen in aliqua ex suis Cathedralibus resideat temporibus ab eodem Concilio præscriptis decreto cap. 1. vcrf. eosdem interim admonet Sess. 23. dicto lib. 12. decret. pag. 173. Id ipsum confirmavit die 13. Augusti 1650. in Valven., & Salmonen., quoad Primum dubium, & in eadem causa proposito III. = An Functiones Pontificales debeant alternatim peragi in dictis duabus Ecclesiis Cathedralibus, & an prius in Ecclesia Valvensi uti antiquiori = respondit = Non teneri alternatim, sed tantum prima Pontificalia exercere debere in Ecclesia Valvensi tanquam digniori lib. 19. decret. pag. 71., & 72.

Sustinet Gonzalez ad d. caput. Te referente de celeb. Miss. num. 1. consuetudinem inductam, ut in una tantum ex Ecclesiis Cathedralibus unitis fiat Sacrorum Oleorum benedictio servandam esse; Advertit tamen Card. Petra loco citato num. 14., quoad inducendam talem consuetudinem consistentem in actibus facultativis non sufficere simplicem observantiam, sed requiri actus importantes præscriptionem, id est voluntatem contrariam cum aquiescentia, & Episcopum laudabiliter te gerere, si aliquando in alterutra ex suis Ecclesiis unitis hujusmodi Pontificalia peragat, quemadmodum definivit Sac. Congregatio in Geruntinen., & Cariaten., in qua inter alia disputato IV. dubio = An, & quomodo Episcopus teneatur residere in Cathedrali Geruntina Die 2. Octobris 1706. rescripsit = Negative, & injungendum censuit Episcopo, ut curet residere etiam in Ecclesia Geruntinen. saltem in aliquibus diebus solemnioribus lib. 56. decret. pag. 332., quæ resolutio confirmata fuit die 11. Februarij 1708. lib. 58. decret. pag. 53.

Pro resolutione dubiorum IV. V. VI. VII. VIII. IX., & X. advertendum est Concilium Romanum tit. 12. cap. 3. Episcopis demandasse, ut in Episcopo, & loco quo possit tutiori simul, & commodiori Archivum retineatur; atque in illo, Curie Processus, atque Scripturæ omnes tam ad Episcopi Mensam, quam ad Diocesim etiam universam pertinentes suo ordine reponantur =

tur = Præ oculis pariter habenda est resolutio Sacre Congregationis in Civitatis Castellane, & Hortane die 8. Junij 1624. in qua ad V. dubium definitum est = Episcopum in una ex dictis Civitatibus existentem posse per seipsum cognoscere causas alterius Civitatis, vel Diœcesis adhibito Notario sibi benevisitam in Processibus conficiendis, quam in actis Visitationum conscribendis, sed tamen debere eum habere rationem, ut id non passim, sed raro, & æqua ex causa fiat, & in arduis tantum, & gravioribus negociis; ne Constitutio unionis eludatur dicto lib. 12. decret. pag. 173. Viden Folium in Tuscanen. Concurfus distributum pro Congregatione diei 16. Martij 1771. quod habetur in *Thesaurò Resolutionum* tom. 40. pag. 57.

Agitur in dubiis XI. XII. XIII. , & XV. de prænominatione tum in actibus communibus, tum in actibus alteram ex Ecclesiis respicientibus; & ad rem observat Pitonius *discept. Ecclesiast.* 9. num. 11. in Bullis Apostolicis provisionis Episcopatus duarum Ecclesiarum, quæ invicem æquè principaliter sint unitæ, prænominationem deberi digniori, secus autem in actibus ab Episcopo in Diœcesi exercendis, tunc enim prosequitur idem Auctor cit. in loco num. 16. prænominandam esse Ecclesiam ad quam actus diriguntur, & testatur ita præcisè servatum fuisse in Ecclesiis Viterbiensi, & Tuscanensi.

Hac in re advertenda est resolutio data a Sac. Congregatione in Civitatis Castellane, & Hortane die 8. Junij 1624. in qua ad VI. dubium in hæc verba respondit = *Quemadmodum Episcopus in Civitate Castellana, vel in ejus Diœcesi existens, Civitatis Castellane, & Hortane est appellandus Episcopus, ita e converso, dum in Civitate, vel Diœcesi Hortana moram trahit, Hortane, & Civitatis Castellane Episcopum, nominari, atque inscribi debere; Quod si extra Diœcesim resideat in negociis ad Civitatem, & Diœcesim Hortanensem respicientibus Hortane, & Civitatis Castellane; In spectantibus, vero ad Civitatem Castellanam, & illius Diœcesim, Civitatis Castellane, & Hortane Episcopum esse denominandum lib. 12. decret. pag. 174.*

Hiscæ præhabitis, & serio etiam ponderatis juribus ab utraque parte deducendis, dignabuntur E.E. VV. responsam dare.

I. An Synodus alternatim ab Episcopo convocanda sit in Ecclesia Cathedrali Viterbiensi, & in altera Tuscanensi, seu potius separatim in, & pro unaquaque ex dictis respe-

ctivis

- divis Ecclesis in casu &c.*, & quatenus affirmativè ad primam partem.
- II. *An Clerus unius Ecclesie Cathedralis cogi possit ad interessendum Synodo celebrandæ in altera Ecclesia in casu &c.*
- III. *An ab Episcopo peragenda sint in Civitate Tuscanen. Pontificalia, Ordinationes, & Consecrationes Oleorum saltem alternativè in casu &c.*, & quatenus affirmativè.
- IV. *An Episcopus teneatur residere in Civitate Tuscanen. per aliquod temporis spatium singulis annis in casu &c.*
- V. *An Cancellarius Episcopalis Tuscanen. retinere possit penes Episcopum in quocumque loco commorantem Substitutum approbandum ab Episcopo pro conficiendis Actis respicientibus solam Ecclesiam Tuscanen. in casu &c.* 177
Et quatenus negativè.
- VI. *An acta per ipsum Episcopum extra Ecclesiam Tuscanen. commorantem gesta, & respicientia solam Tuscanen. Ecclesiam retineri debeant per Cancellarium Episcopalem Tuscanen. etiamsi perficiantur per Acta Cancellariæ Viterbij in casu &c.*
- VII. *An Acta per ipsum Episcopum commorantem in Ecclesia Tuscanen. gesta, ac respicientia solam Viterbiensem Ecclesiam vicissim confici, & retineri debeant per Cancellarium Viterbiensem in casu &c.*
- VIII. *An Acta Examinis habendi coram Episcopo in Civitate Viterbij pro Collatione Parochialium, aliarumque Dignitatum Tuscanen. conficienda sint a Cancellario Episcopali Tuscanen., seu potius ab alio quocumque arbitrio Episcopi itaut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16. Martij 1771. quoad tertium Dubium in casu &c.*
- IX. *An reliquæ Scripturæ spectantes ad Ecclesiam Tuscanen., necnon expeditiones, & commissorialia Bullarum, & Acta S. Visitationis Ecclesie Tuscanen. privativè expediri, peragi, ac retineri debeant penes Acta Cancellariæ Tuscanen. in casu &c.*, & quatenus negative.
- X. *An Vicarius Capitularis Ecclesie Tuscanen. Sede Episcopali vacante compellere possit Cancellarium Ecclesie Viterbiensis ad sibi gratis tradendas Scripturas originales, vel earum copias privativè respicientes Ecclesiam Tuscanen. in casu &c.*
- XI. *An in Actibus privativè respicientibus Ecclesiam Tuscanen. Episcopus semper, & ubique denominari debeat Tuscanen., & Viterbien.*

- XII. *An in Actibus communibus respicientibus utramque Ecclesiam Viterbiensem scilicet, & Tuscanensem, cui ex iisdem Ecclesiis competat prænominatio in casu &c., & quatenus affirmative quoad Ecclesiam Viterbiensem.*
- XIII. *An d. prænominatio eidem Ecclesie Viterbiensi competat etiam in iis Actibus communibus, qui ab Episcopo conficiuntur, & evulgantur in Ecclesia Tuscanen.*
- XIV. *An exequendum sit Rescriptum Episcopi sub die 4. Januarij 1779. super separata impressione Kalendarij pro Ecclesia Tuscanen., seu potius servanda sit impressio unius Kalendarij utramque Ecclesiam Viterbien. scilicet, & Tuscanen. complectentis.*
- XV. *An, & cujus Ecclesie prænominatio servanda sit in impressione dicti separati Kalendarij, seu potius quomodo sit providendum in casu &c.*

Die Sabbathi 23. Novembris 1782. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Folium, quod EE. VV. exhibetur, continet causas in præcedenti Congregatione indecisas, aliasque mox adjectas, ut dubia in eo transcripta definiant.

TERRACINEN., ET SETINA SERVITII CHORI, Sess. 22. Decr. de observan., & ET MISSÆ CONVENTUALIS. evit. in celebr.

I. *An Canonici Ecclesiæ Parochialis S. Leonardi Arcis Curie teneantur quotidie Officium in Choro recitare, & Missam Conventualem pro Benefactoribus applicare in casu &c.* *24. Cap. 12. de Reform.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni dicti oneris in casu &c.*

Ad I. Canonicos teneri ad servitium Chori, & applicationem Missæ Conventualis juxta Votum Episcopi: Ad II. Provisum in primo.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. Sess. 22. cap. 6. de Reform.

An justineatur Translatio Oneris Missarum facta ad Ecclesiam Monialium S. Andreae Montis Georgei, seu potius sit locus illius reportationi ad Ecclesiam Patronalem S. Mariæ Angelorum in casu &c.

Dilata.

Sefs. 7. cap. 6.
de Reform.

FIRMANA UNIONIS.

An sit standum ; vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis , & amplius .

Sefs. 23. cap. 2.,
& Sefs. 24. cap.
2. de Reform.

VITERBIEN. , SEU TUSCANEN.

- I. *An Synodus alternatim ab Episcopo convocanda sit in Eccles. Cathedrali Viterbien. , & in altera Tuscanen. , seu potius separatim in, & pro unaquaque ex dictis respectivis Ecclesiis in casu &c. , & quatenus affirmativè ad primam partem .*
- II. *An Clerus unius Ecclesie Cathedralis cogi possit ad interessendum Synodo celebrandæ in altera Ecclesia in casu &c.*
- III. *An ab Episcopo peragenda sint in Civitate Tuscanen. Pontificalia , Ordinationes , & Consecrationes Sacrorum Oleorum , saltem alternatim in casu &c. , & quatenus affirmativè .*
- IV. *An Episcopus teneatur residere in Civitate Tuscanen. per aliquod temporis spatium singulis annis in casu &c.*
- V. *An Cancellarius Episcopalis Tuscanen. retinere possit penes Episcopum in quocumque loco commorantem Substitutum approbandum ab ipso Episcopo pro conficiendis Actis respicientibus solam Ecclesiam Tuscanen. in casu &c. , & quatenus negativè .*
- VI. *An acta per ipsum Episcopum extra Ecclesiam Tuscanen. commorantem gesta , & respicientia solam Tuscanen. Ecclesiam , retineri debeant per Cancellarium Episcopalem Tuscanen. , etiamsi perficiantur per Acta Cancellariæ Viterbii in casu &c.*
- VII. *An acta per ipsum Episcopum commorantem in Ecclesia Tuscanen. gesta , ac respicientia solam Viterbiensem Ecclesiam , vicissim confici , & retineri debeant per Cancellarium Viterbiensem in casu &c.*
- VIII. *An acta examinis habendi coram Episcopo in Civitate Viterbii prò collatione Parochialium, aliarumque Dignitatum*

tum Tuscanen., conficienda sint a Cancellario Episcopali Tuscanen., seu potius ab alio quocumque arbitrio Episcopi ita, ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16. Martii 1771. quoad tertium Dubium in casu &c.

- IX. *An reliquæ Scripturæ spectantes ad Ecclesiam Tuscanen., nec non expeditiones, & commissoria Bullarum, & acta S. Visitationis Ecclesiæ Tuscanen., privative expediri, peragi, ac retineri debeant penes acta Cancellariæ Tuscanen. in casu &c., & quatenus negativè.*
- X. *An Vicarius Capitularis Ecclesiæ Tuscanen. Sede Episcopali vacante, compellere possit Cancellarium Ecclesiæ Viterbiensis ad sibi gratis tradendas Scripturas Originales, vel earum copias privative respicientes Ecclesiam Tuscanen. in casu &c.*
- XI. *An in actibus privative respicientibus Ecclesiam Tuscanen. Episcopus semper, & ubique denominari debeat Episcopus Tuscanen., & Viterbien. in casu &c.*
- XII. *An in actibus communibus respicientibus utramque Ecclesiam, Viterbiensem scilicet, & Tuscanensem, cui ex eisdem Ecclesiis competat prænominatio in casu &c., & quatenus affirmativè quoad Ecclesiam Viterbiensem.*
- XIII. *An dicta prænominatio eidem Eccles. Viterbiensi competat etiam in iis actibus communibus, qui ab Episcopo conficiuntur, & evulgantur in Ecclesia Tuscanen. in casu &c.*
- XIV. *An exequendum sit Rescriptum Episcopi sub die 4. Januarii 1779. super separata impressione Kalendarii pro Ecclesia Tuscanen., seu potius servanda sit impressio unius Kalendarii utramque Ecclesiam, Viterbien. scilicet, & Tuscanen. complectentis, & quatenus affirmativè ad primam partem.*
- XV. *An, & cujus Ecclesiæ prænominatio servanda sit in impressione dicti separati Kalendarii, seu potius quomodo sit providendum in casu &c.*

Dilata ad primam post Reges.

Scfs. 25. cap. 19.
de Regular.

THEANEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

T Maria Beatrix de Caro die 17. Aprilis 1770. regularem Institutum solemniter professa est in Monasterio S. Catharinæ Ordinis S. Benedicti Civitatis Theani. Post elapsam a Professione decennium exposuit SSmo Domino Nostro se a Religione animum semper alienum habuisse, & Professionem per vim, & metum a Parentibus, & Abbatissa incussum emisisse; Hinc restitutionem in integrum adversus lapsum quinquennii exposulavit. Ablegatis precibus Sac. Congregationi, confectoquæ de more Processu, Causa EE. VV. sub dubio inferius describendo definienda proponitur.

Sustinet Monialis de Caro denegandam non esse restitutionem in integrum, quoties de Professionis nullitate confiet. Suam verò Professionem nullam fuisse deducit ex quo vi, metuque sibi illato ad profitendum traducta fuerit; Ait enim quòd Gherardus Patruus per Epistolam ei minatus fuerat, quòd si Religionis habitum induere recusaret = *Vi farò uscire dal Monastero, e vi chiuderò dentro una stanza di mia Casa, dove non vi farò vedere più luce* = Eademque minas passam fuisse paucis ante Professionem mensibus a Vincentio altero ex Patruis, qui cum nec objurgationibus, nec minis Neptis animum flectere posset ad statum regularem amplectentium = *Con impeto cacciò dalla sacca un Coltello detto Passaportù, e mi tirò verso il petto un colpo, e mi ferì leggermente* = Ipsoque demum Professionis die ad locum ubi Professio fieri debebat vi ab Abbatissa traductam fuisse, ac toto Sacræ Functionis tempore semper plorasse, ita ut ab omnibus = *si vedeva che a forza contro sua volontà faceva la Professione* = .

Nec mirum, quòd violentiæ a Vincentio illatæ deponantur dumtaxat ab ipsa Oratrice, & ab unico Teste Carolo Calembò; Siquidem ad probandum metum, qui non ita facile probari potest, admittuntur etiam Testes singulares, nec non Amicorum, & Domesticonum depositions, ac etiam ejusdem Principalis juratum Testimonium: *Innocent. in cap. Vidua num. 5. de Regular. Hostien. ibidem num. 10. Piton. discept. 110. num. 17., & 20.* Præsertim quando adminiculantur a publica voce, & fama, quæ inter Moniales percrebuerat, & a Parentum violenta natura, eorumque pervicaci sollicitudine, ut ipsa Monialis fieret.

Ad.

Addit insuper Professionem ab ea emissam nullam pariter esse ex defectu interni consensus ; Inquit enim , quòd vix Monasterium ingressa fuerat , animum semper alienum a regulari Instituto patefecit . In ipso autem vestitionis actu aversionis signa dedisse , nam tunc formiter restitit ne capilli sibi tonderentur , & adveniente Professionis tempore idipsum confirmasse , cum Sacrum Capitis velamen in terram projecit . Hanc suam aversionem similiter repetitis vicibus pandidisse Monialibus , Confessario , & Episcopo Theanensi , qui ejus voluntatem exploravit . Immo post expletam Professionem fugam a Monasterio tentasse , & a Monasticis usibus temper abhoruisse , quae de re ab Abbatissa pluries repræhensa fuit .

Spernendum verò quid quid Episcopo Theanensi respondit cum pro secunda vice ejus voluntatem exploravit , nam responsum præferens consensum , extortum fuit tam ab Abbatissa , tum etiam a Confessario , qui eò pervenit , ut absolutionem denegaverit = *finche non avessi detto al Vescovo che mi volevo fare Monaca* = Spernendas quoque esse depositiones ejusdem Abbatissæ , & Confessarii , cum omnes conatus impenderint , ut illam ad profitendum inducerent ; proptereaque eorum dicta ad propriam culpam tegendam , flagitiumque excusandum prolata fuisse contendit .

Contra verò Professionis Defensor animadvertit , quòd juxta præsentem Sac. Congregationis praxim ad obtinendam restitutionem in integrum adversus lapsum quinquennii satis non sit fumus , vel semiplena probatio nullitatis Professionis , sed clarissimæ undique requirantur probationes , quæ omnem dubitationem excludant . Has verò probationes in hac Causa deficere sustinet . Notat enim plures examinatos fuisse Testes , sed cæteris præferendum esse testimonium Episcopi Theanensis Honorati , qui Monialis Professionem recepit . Is testatus est dictam Monialem anno 1769. a Monasterio egressam fuisse , ut libere de sui status electione deliberare posset ; & dum ejus voluntatem explorasset , responsum accepisse , quòd religiosum habitum assumere vellet , & quamvis in aliis allocutionibus tam ante , quàm post Professionem suam a Regulari Instituto aversionem demonstraverit , nihilominus aversionem pandidisse quoad Monasterium , in quo Professionem emiserat , non verò quoad statum regularem , quem elegerat ; Atque hinc infert dictam Beatricem sponte sua , non tamen coacte , aut per metum a Con sanguineis incussum Monasticum statum amplexam fuisse ,

Per-

Perperamque objci dictam Monialem exoptasse potius ingredi Monasterium aliquod Civitatis Neapolis, quam Monasterium Theani. Animadvertit enim, quod nullitas regularis Professionis desumi non debet a diversitate loci ubi solemnia vota emissa fuerunt, sed a voluntate profitentis, quæ si non defecerit quoad substantiam obligationis, immutabiliter in quocumque loco Deo sese obligavit, vota servare debet. Ad excludendam verò coactionem, ac interni consensus defectum contendit rejciendas esse quascumque protestationes a Moniali elicitas, sive ante, sive post Professionem, quæ sæpissime per fraudem, & dolum fieri solent, sed tantummodo attendendas esse declarationes, quæ ipsum Professionis tempus percutiunt. Actus verò a Moniali de Caro eo tempore emissi, cum equivoci sint, vel necessariis careant probationibus, nullum coactionis, aut interni consensus præferre defectum.

Episcopus in sua relatione nonnulla, quæ ad Causæ decisionem necessaria sunt, animadvertit, & deinde ita concludit = *Animi tamen mei votum, quod E.E. VV., & hujus Sac. Congregationis judicio submitto, est, Oratricem de Caro mereri petitam restitutionem in integrum, quia jam constat ipsam emisisse Professionem nulla sua deliberata voluntate, nullumque suum determinatum animum cum illa se obligandi Religioni habuisse, sed inductam fuisse minationibus Parentum, opera, & sollicitudine Abbatissæ, studio, atque calliditate Confessarii, & adversus Professionem immediate, & semper reclamasse.* =

Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 19. de Reg. & Monialibus statuit, quod = *Quicumque Regularis prætentat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam Professionem fecisse, aut quid simile, velit habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur nisi infra quinquennium tantum a die Professionis =.* Et huic dispositioni inhærens San. Mem. Gregorius XIII. die 5. Martij 1598. ex voto Sac. Congregationis declaravit *Eos, qui per vim, & metum se Religionem professos prætenderent, nisi infra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi allegarent vim, & metum semper durasse, ut ex lib. 9. decret. ejusdem Sac. Congregationis pag. 55.*

Decursu verò temporis, & iustis de causis hujus discipline rigorem immutatum fuisse, inductumque remedium restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii testatur

statutur Benedictus XIV. in Constitutione = *Si datam hominibus fidem* §. At verò , ubi etiam constanter affirmat, quòd hujusmodi remedium cum extraordinarium in jure vocetur, idcirco inferiores Judices facultate carent illud concedendi, solumque Romano Pontifici reservatum esse.

Profecquitur laudatus Pontifex in citata Constitutione §. *Hujus autem antiquitus restitutionem in integrum impertiri consuevisse, inspecta probabili ratione causarum, quæ ad Professionis nullitatem probandam requirebantur; Verum in more deinde positum esse, ut causa restitutionis in integrum non minus accurate, & rigide examinari debeat, ac si dubium propositum fuisset super ipsa Professionis validitate, aut nullitate; Hac igitur retenta methodo, inquirendum modò est de viribus Professionis Monialis de Caro, ut inde judicium ferri possit, num ei adversus lapsum quinquennii restitutio in integrum sit concedenda. Duplici ex capite Professionem suam nullam esse dicit, ex defectu scilicet interni consensus, & ob vim, & metum sibi a Parentibus illatum.*

Sustinent Doctores, & præsertim *Fagnanus in cap. Si quis de Regul. num. 22. Pellizar. de Monialibus cap. 3. sect. 1. num. 28. Tamburrin. de jure Abbat. disp. 6. quæst. 16. num. 14. tom. 2. Cayet. secunda secundæ quæst. 88. art. 1. alique, quòd Professio facta sine interiori consensu, seu voluntate profitentis, etiam vi, metuque non impellentibus sit nulla, nec profitentem ad servanda vota obstringi, ea potissimum ratione, quia obligatio oritur ex privata hominis voluntate, & ubi deest obligandi voluntas, deficit etiam obligatio; Idque locum habere tam in foro interno, quàm in foro externo, nec defectum consensus suppleri ab Ecclesia tenet *Abbas in cap. Venerabili num. 21. qui filii sint legitimi: Navarr. consil. 10. lib. 2. num. 2. Covar. de Sponsal. cap. 2. num. 1., & 2.**

Advertunt præterea Card. *Turrecremata, Butrius, Hofstien., Zabarella, & cœteri relati in decis. 798. num. 11., 12., & 13. coram Molines* huic Sententiæ non adversari *Text. in cap. Quod interrogasti dist. 27., & in cap. Vidua de Regul.*, quia in primo casu agebatur de Vidua per hypocrisim professa, & propterea, licet Matrimonium contraxisset, coacta a Pontifice fuit ad redeundum in Monasterium, non tamen ex vi voti, & consensus ab Ecclesia suppleti, sed in pœnam sui reatus, quia per fraudem, & dolum profiteri ausa fuerit. In altero verò casu Sanctimonialis illa, quæ velum assumpserat cum animo de-

ponendi, ut ipsa afferebat, non potuit id concludenter probare.

Quamvis supra relati Doctores affirmant Professionem fide, & simulate emissam nullam esse, illud tamen certum est, quod reclamantes adversus hujusmodi Professionem nullam ex defectu interni consensus tenentur indubiis probationibus id ipsum demonstrare, eorumque de interiori dissensu testimonium licet juramento confirmatum nullimode sufficere, cum nimis indignum sit, ut quod suavisque voce dilucide protestatus est, proprio valeat testimonio infirmare: *Cap. Per tua de Probationibus, & Cap. Vidua de Regul.*. Quò verò ad Probationes, quæ requiruntur ad evincendum in foro externo defectum interioris consensus, conveniunt Doctores, quòd non admittitur probatio defectus consensus nulli causæ alligata, etiam si simulatio probetur: *Innocentius in cap. 1. de his, quæ vis, metusque causa sunt.* At quando simulatio alicui causæ alligata est, tunc de ipsa causa inquiri debet, num ea honesta sit, aut inhonesta. Si enim sit inhonesta, tunc rejici debet: *Fagnanus in cap. si quis de Regul. num. 36.* Si autem sit honesta, admittitur ad probandum defectum interioris consensus, qui probatur exterioribus signis, & præsumptionibus, dummodo tamen probationes univocæ sint, graves, & ex omni parte completæ *Turrecremata in d. cap. Quod interrogasii dist. 27. n. 1.*

Sane Monialis de Caro probare nititur coactè a Parentibus ad profitendum inductam fuisse. *In cap. 1. de Reg. statuitur = Nullus tonsatur nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate =*; Hinc *Fagnanus* ad dictum caput a *numer. 20. ad 25.* infert ad regularis Professionis validitatem omnino requiri voluntatem liberam, & nullam omnino esse Professionem emissam per vim, & metum, & licet voluntas coacta semper voluntas sit, tamen ad valide profitendum non sufficit, quia libera, & spontanea non est. Verum non quælibet coactio, sed metus gravis, & cadens in constantem Virum Professionis actum nullum reddit. *Cap. Perlatum de iis, quæ vis met. caus. sunt;* Arbitrio tamen Judicis decernendum relinquitur an metus gravis, vel levis sit: *Fag. in cap. Consultationi numer. 12. de Regul.* Facilius tamen ob sexus imbecillitatem in Fæmina præsumitur intercessisse, quàm in Mascululo *cap. Locum 14. de Sponsalibus.*

Tota igitur inspectio reducitur ad probationem gravis metus, qui si verificetur, restitutio in integrum a Sac. Congregatione concedi solet, ut in *Ulfiponen. restitutio-*

stitutionis in integrum 13. Januarii 1691. in Januen. restitutionis in integrum 30. Januarii 1694. , in Veronen. Professionis 25. Januarii 1698. , & in Cremonen. restitutionis in integrum 18. Novembris 1713. . Et e converso denegatur , si concludenter metus non probetur , ut in Januen. restitutionis in integrum 29. Julii 1690. , in Granaten. restitutionis in integrum 19. Augusti 1690. , in Argentina restitutionis in integrum 13. Februarii 1694. , & in Januen. restitutionis in integrum 14. Julii 1739.

Videndum proinde est num ex Testium dictis probetur Monialem de Caro metum gravem passam fuisse dum solemnia vota emisit ; Ponderandum an qui metum incussit potens fuerit , minasque illatas exequi posset . Observandum num prædicta Monialis posset ullo modo minanti resistere , aut vitare malum , quod timebat , & an malum esset revera in se grave , quæ omnia argumento cap. Dilectus 6. de iis , quæ vi met. causa fiunt concurrere debent , ut metus gravis , & cadens in constantem virum omnino dicatur . Hisce omnibus animadversis , dignabuntur Eñi PP. respondere .

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Affirmativè .

PLACENTINA LEGATI PII . Placuit EE. VV. in postrema Congregatione præsentis Causæ resolutionem ad hanc usque diem differre ; Rogantur Eminentissimi Patres reassumere folium Congregationis diei 14. elapsi mensis Septembris in qua descripta fuit , ac definire .

- I. *An Rescriptum Sanctissimi sit exequendum in casu &c.*
Et quatenus negativè .
- II. *An , & ubi , & a quibus sit adimplendum legatum ordinatum a Canonico Cæsare Casati in casu &c.*
Et quatenus a Rectore Ecclesiæ Clavennæ = Landæ ,
- III. *An Patres S. Augustini teneantur restituere Prædium dī Volparo alio ex fundis dicti legati assignatum , seu potius tradere pecunias in emptionem dicti Prædii erogatas in casu &c.*
Et quatenus affirmative ad secundam partem .

*Sess. 25. cap. 4.
de reform.*

IV. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in ca-*
nsu &c.

Ad I. Negative : Ad II. quoad Auniversalia ea esse
 adimplenda a PP. Augustinianis in eorum Ecclesia Bur-
 gi S. Donnini servata forma foundationis : quo vero
 ad Missas quotidianas eas esse celebrandas in Paro-
 chiali Ecclesia Clavennæ Laudæ per Cappellanium ab
 iisdem PP. deputandum : Ad III., & IV. Negative .

*Sess. 24. cap. 12.
 de reform.*

CIVITATIS PLEBIS JUBILATIONIS : Capitulum
 Cathedralis Ecclesiæ Civitatis Plebis ex viginti & uno
 Capitularibus constituitur, computatis tum Canonicis,
 tum Cappellanis. Hos inter accensetur Canonicus Do-
 minicus Pela, qui completo jam quadragenario Eccle-
 siæ servitio, humiliter supplicavit Sac. Congregationem
 pro obtinendo Jubilationis Indulto. Audito de more Ca-
 pitulo, licet omnes faterentur Oratorem spatio quadra-
 ginta annorum continuo, & laudabiliter inservisse,
 nonnulli tamen ex Canonicis opposuerunt sufficienti
 Pfallentium numero Ecclesiam destitui, si petita jubiliatio
 concederetur, cum alii duo extent Capitulares simili in-
 dulto donati, & alter propter adversam valetudinem
 frequenter a Choro absit, hinc petitioni assentiri recu-
 sarunt, nisi conditione adjecta, quod Canonicus Pela
 ad instar aliorum hebdomadam faciat, & de fallentiis alio-
 rum Canonicorum particeps non fiat, qua de re neces-
 se fuit dubium sapienti EE. VV. judicio definiendum pro-
 ponere.

Observat Canonicus Pela ex assueta Sac. Congregationis
 æquitate morem inductum esse ut Canonici, emerfo con-
 tinuo, & laudabiliter quadragesimo servitii anno, Jubi-
 lationis indulto donentur. Quadragenarium verò servi-
 tium, tum quoad Chori interessentiam, tum in obeun-
 dis Capituli muneribus assidue, & diligenter explevisse
 affir-

affirmat, idque probat ex Episcopi relatione, & plurimum Canonorum juratis depositionibus. Præter laudabile servitium accedere etiam senectutem, ac morbum, cum sexagesimum quartum ætatis annum jam compleverit, & dira oculorum laboret infirmitate.

Sustinet præterea rejciendas esse condiciones, a nonnullis Capitularibus propositas, quas in Indulto Jubilationis adjici debere proponunt. Observat enim vigore Indulti Jubilationis immunem fieri ab omnibus Capituli oneribus, eique tribuendos esse omnes fructus, & distributiones, quæ ab aliis Canonicis Choro interessentibus lucrantur cum Ecclesiæ inservire censeatur qui post diuturnum, & laudabile servitium quiescit. Nec recte opponi divini cultus detrimentum, & præjudicium Ecclesiæ obventurum ob ejus a Choro absentiam; Advertit quod numerus Canonorum, & Cappellanorum Cathedralis ad viginti unum protendatur, a quibus demptis duobus jubilantibus, & altero infirmo, adhuc supersunt decem, & septem Capitulares, qui servato ordine alternativæ Divinum Officium psallere, cæterasque sacras functiones decenter peragere possunt.

Ab altera Parte licet monita nihil hæcenus deductum est.

Episcopus confirmat continuum, & laudabile servitium ab Oratore Cathedrali Ecclesiæ præstitum, refellit adductas a Capitularibus oppositiones, ac demum votum aperiens Jubilationi assentitur, ut ex ejus relatione, quæ inter monumenta Causæ habetur.

Nullum privilegium in jure scriptum legitur, quo Canonicis, qui multorum annorum spatio Ecclesiæ laudabile servitium præstiterunt, Indultum abessendi a Choro concedatur: *Navar. cons. 12. lib. 3. de Cleric. non resident*: Vèrum, cum in veteri lege statutum esset, ut qui a vigesimo quinto ad quinquagesimum ætatis annum in Templo ministerium suum accurate implevisset, ab omni deinceps opere, & labore immunis evaderet *Numerorum Libro cap. 8.* & ipsæ Imperatorum leges veteranis Militibus honestam missionem a laboribus indulgebant; *Leg. à muneribus ff. de vacat. , & excusat. muner. , & leg. 1. Cod. de veter. lib. 12.*, ita ne novæ legis Ministri, Levitarum, & Militum Sæcularium deterioris essent conditionis, sequioribus temporibus inductum est, ut Canonici, aliique servitio Ecclesiæ addicti, qui per annos quadraginta continuo, & laudabiliter Ecclesiis suis inservierunt, vacatione gauderent, quin ex fructibus suorum Beneficiorum quidquam amitterent.

Dubitatum olim fuit, an Decretum Concilij Tridentini-
sess. 24. cap. 12. de ref., ubi præcipitur = *Non licere vigore-
 cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres Menses ab-
 eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse* = abrogaret peculia-
 res Ecclesiarum consuetudines, aut constitutiones de con-
 cedenda jubilatione. Negativam sententiam tenuit. *Ce-
 ved collect. 15. num. 8.* affirmativam verò *Navar. consil.
 12 de Cler. non resid.*. Verum cum in Ecclesia Compo-
 stellana ab immemorabili tempore usu receptum esset, ut
 Beneficiati post annos quadraginta a servitio vacarent,
 & Præbendarum fructus, ac distributiones perciperent;
 Capitulares ejusdem Ecclesiæ post Concilium pe-
 tierunt declarari. *An salva dicta Tridentina sanctione præ-
 missum Statutum quoad concessionem emeritæ requie post
 quadragenarios labores inter Beneficiatos dictæ Ecclesiæ in-
 futurum prout hætenus servari queat* = Et San. Mem.
 Gregorius XIII. audita relatione Sac. Congregationis
 definivit = *Tolerandum esse hoc Statutum* = *lib. 2. Decret.
 pag. 60.*

Quamvis quadragenarium servitium cum qualitate continui,
 & laudabilis jubilatione remunerari consueverit, nihi-
 lominus hujusmodi indulto frui nemo potest si Ecclesia,
 & divinus cultus detrimentum patiat. Gregorius IX.
 in *Cap. cum ad hoc de Cleric. non resid.* scribens Patriar-
 chæ Antiocheno sic mandat = *Sane innotuit, quod
 Ecclesia Antiochena multis ex servitoribus ejus absentibus
 est fere destituta Ministris. Unde mandamus, quatenus
 non obstantibus Apostolicis Indulgentiis, & Prædecesso-
 rum tuorum licentia, absentes Canonicos, & Assisios re-
 voces ad residendum in Ecclesia prædicta; Et si non vene-
 rint, tu de ipsorum Beneficiis, dum absentes fuerint ipsi Ec-
 clesiæ facias congrue deserviri, in utilitatem ejusdem,
 quod ex prædictis Beneficiis superfuerit, convertendo.*
 Sac. Congregatio in generalibus dubiis Jubilationem
 concernentibus, inter cætera ad dubium IV. *An non
 obstante jubilationis indulto Jubilatus cogi possit ad in-
 servendum, si divinus cultus detrimentum patiat. Die 17.
 Decembris 1718.* respondit = *Affirmativè* =

Præ oculis habendus est status Ecclesiæ Cathedralis Civita-
 tis Plebis. Hæc constat ex viginti uno Præbendatis, quos
 inter duo jam Jubilationem obtinuerunt, alter verò
 ob adversam valetudinem inservire non potest. Viden-
 dum an qui supersunt ad obeundas Sacras Functiones eo,
 quo par est Decore, & Majestate sufficiant. S. Congrega-
 tio die 17. Aprilis 1666. Canonico Ecclesiæ Cathedralis

Civitatis Castellane Jubilationem denegavit quamvis per annos quadraginta infervisset, quia a Capitulo obiciebatur, vigore Capitularium Constitutionum nullum nisi infirmum, vel justa causa detentum a servitio Chori eximi posse, tum etiam divini cultus detrimentum, sicut præfata Ecclesia numeraret Præpositum, duodecim Canonicos, & duos Beneficiatos, qui sufficientes pro Sacris peragendis functionibus habiti non fuerunt: *lib. 259 dec. pag. 107.*

Verum in Ripana Jubilationis Cum Crucianus Crucetti Canonicus Collegiatae Ecclesie Montis Pradoni Jubilationem efflagitasset, & Capitulum opponeret, quod demptis Ministris Altari infervientibus, Præposito Curam animarum exercente, & altero Canonico Organum pulsante, tres tantum superessent psallentes in Choro, disputato dubio = *An Jubilationis Indultum sit concedendum Canonico Cruciano Crucetti* = Die 29. Novemb. 1710. prodit resolutio Affirmative = *lib. 60. Decret. pag. 444.* Et in Lucana Jubilationis die 19. Septemb. 1772. Sac. Congreg. precibus annuit Sacerdotis Joannis Matthæi Lombardi Canonici Collegiatae Ecclesie S. Petri Majoris Civitatis Lucæ, licet in ea sex tantum adessent Canonici, & unus ex his propter adversam valetudinem Choro interesse non posset. Juxta Sac. Congregationis praxim antequam Jubilationis Indultum concedatur audiri solet Capitulum, at hujusmodi consensus non ideo requiritur, ut ad gratiam concedendam, vel denegandam omnino sit necessarius, sed solum, ut perspectum sit an aliquid gratiæ concessioni obstat. Si enim Capitulum rationabiles conditiones adjiciat, tunc juxta illas indultum impertiri solet, ut in Bergomen. 8. Augusti 1716. Si tamen injuste dissentiat, aut conditiones exorbitantes adjiciat, tunc spreto consensu, rejectisque conditionibus indulgetur, ut in Aquipendii Jubilationis, in qua contendente Capitulo adigere Canonicum Jubilatum ad celebrationem, & applicationem Missæ Conventualis, disputato I. dubio *An Canonicus Jubilatus teneatur, vel per se, vel per alium ad celebrationem Missæ Conventualis per tūrnū diē 23. Martii 1697.* rescriptum fuit = Negative = Et in Senen. Celebrationis, & Applicationis Missæ Conventualis, Cum Capitulum Ecclesie Metropolitanæ renuisset eximere ab onere celebrandi, & applicandi Missam Conventualem. Canonicum Alexandrum Bandinelli propositis dubiis I. *An Canonicus Jubilatus teneatur celebrare per se ipsum, vel per alium Missam Conventualem per Turnum, eamque applicare pro Benefe-*

nefactoribus in casu &c.; & quatenus negativè = II. *An Canonicus Jubilatus teneatur contribuere Eleemosynæ Misericordiarum Conventualium in casu &c.* Die 12. Maii 1759. resolutum fuit = *Negativè ad utrumque.* =

Canonicus Jubilatus quamvis Choro non interfit, nihilominus tanquam præsens habetur, & lucratur distributiones omnes, quas reliqui Canonici percipiunt, iisque etiam compræhensis, quæ ob aliorum absentiam accrescunt interessentibus = *Ferrar. verbo Canonicus art. 9 num. 104.* . Limitatur tamen hæc regula, si Consuetudo, vel Capituli Constitutiones obstent. In *Reatina Distributionum* propositum fuit dubium = *An Canonico Jubilato vigore Indulti Jubilationis debeantur distributiones, & fallentiæ Canonice absentium, etiam si Choro non interfit* = Die 19. Aprilis 1692. Sac. Cong. respondit = *Affirmativè, dummodo non obstent Constitutiones particulares, & Consuetudo Ecclesiæ* = lib. 42. decret. pag. 117. & in *Civitate Castellane* Cum Capitulum Cathedralis Canonico Paulo Samirrima Jubilationem petenti consensum dedisset sub conditione = *Che il medesimo sia obbligato di fare la sua Eddomada, e non entri nelle Fallenze* = Dubio sic concepto = *An, & quomodo Indultum Jubilationis sit concedendum in casu &c.* Die 29. Novembris 1766. respondit = *Affirmativè demptis conditionibus.*

Placeat EE. VV. decernere .

An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu &c.

Affirmativè demptis conditionibus, & amplius .

*Sess. 22. cap. 8.
de reform.*

PERUSINA MONTIS PIETATIS . Montem Pietatis Perusiæ circa finem Sæculi XVI institutum ex capitali sc. 14000. a pio viro Raynerio Consolini relicto, Apostolica auctoritate confirmavit Clemens VIII. , insuperque pro manutatione Ædium, & Ministrorum facultatem indulgit exigendi ab oppignorantibus scuta duo pro quolibet centenario, & anno . Tractu temporis ad eam egestatem devenit, ut anno 1699. claudi debuerit; Postmo-

modum verò in meliorem statum redactus ad pristinum exercitium restitutus fuit anno 1735. aucto tamen per decennium a Clemente XII. interusurio pecuniæ mutuatæ ad scuta tria pro centenariò, quod quidem indultum ad aliud decennium prorogavit Benedictus XIV.

Advertentes Montis Administri pii Operis Indemnitati provideri aliter non posse, nisi facta ipsis potestate, perpetuo exigendi dictam pensionem scutorum trium pro quolibet centenariò, insteterunt apud san. mem. Clementem XIII. petentes indultum percipiendi eandem summam, nulla tamen cum temporis præfinitione. Ablegatis precibus Sac. Congregationi, & proposita instantia die 20. Aprilis 1771., dilata tunc causæ resolutione rescriptum fuit *Prævia firmatione status, & reddituum Montis, Episcopus cogat Ministros ad redditionem rationis non retardata interim provisionali exactione ad rationem scutorum trium pro centenariò.*

Quæ a Sac. Congregatione demandata fuerant executus est Episcopus, atque ex statu tam activo, quam passivo Montis Consolini compertum fuit dicti Montis Capitale pertingere ad sc. 12780. 15., fructus verò compræhensis interusuriis perceptis ad rationem scutorum trium pro quolibet centenariò ducto calculo ab anno 1742. ad totum annum 1769. summam constituere sc. 9185. 05., expensas verò tum certas, tum incertas per totum id tempus æquare sc. 7349. circiter, quo circa visum est eo temporis decursu Montem lucrasse sc. 1835. 13., quæ in quolibet anno divisa Montis lucrum in annuis scutis 53. 97. $\frac{1}{2}$ constituebant. Hanc summam pio operi sic obventam servandam esse existimavit idem Episcopus ad occurrendum ejusdem Montis indigentis, quæ ex inopinato rerum eventu quandoque subire coactus erat.

Hinc repropoſita Cauſa ſub dubio = *An Rectoribus Montis Consolini Civitatis Perusiæ ſit concedendum Indultum perpetuo exigendi ſcuta tria pro quolibet centenariò in caſu &c.*; Die 11. Januarii 1772. prodiit reſponſum = *Affirmative ad decennium factò verbo cum SSiño, & Episcopus incumbat investimento faciendo*, quæ reſolutio die 13. ejusdem Mensis, & anni a san. mem. Clemente XIV. fuit approbata. Cum autem præfinitum decennii tempus jam exceſſerit, Montis Moderatores Indulti prorogationem ad aliud decennium implorant. Inquiunt enim eundem eſſe ad præſens Montis ſtatum, ac erat anno 1771., & licet hoc ultimi decennii tempore ſubductis

expensis superlucratus fuerit ex usuris oppignorantium sc. 510. 73., adhuc tamen Montis capitale auctum non est ad illam pecuniæ quantitatem, quam in actu erectionis habebat, cum modò vix æquet summam scutorum 13290. 88.

Addunt præterea, quòd si fœnus reduceretur ad scuta duo pro centenariò, non posset tunc haberi lucrum, quod par sit solvendis Ministrorum pensionibus, & occurrendo eventualibus expensis. Demum advertunt ex prædicta interusurii præstatione pauperes non gravari, cum in Civitate Perusiæ alter existat Pietatis Mons, qui pensionem a mutuatariis in eadem quantitate percipere solet.

Episcopus testatur, quòd ex statu activo, & passivo Montis Consolini efformatò ab anno 1771. ad totum Mensem Decembris 1780. capitale auctum reperiri in sc. 510. 73., quæ summa pro unoquoque anno distributa, reducitur quolibet anno ad sc. 51. 07. Inquit, præterea = *Satis non est, ut absque exactiõne scutorum trium ab oppignorantibus Mons præfatus in posterum exerceri valeat. Inspectis enim codicibus ipsius Montis, fructus certi, qui annuatim percipiuntur ex illius capitalibus pertingunt tantum summam sc. 76. 90. ; E contra verò exitus pro stipendiis Ministrorum adscendit ad summam sc. 266. 74. Præterea animadversione dignum esse censeo, quòd inopinatis casibus est providendum, conservandæ sunt ædes, existit alter Mons in hac Civitate, qui scuta tria pro centenariò a Mutuatariis exigit, unde si denegaretur petita facultas Monti Consolino, omnes minori interusurio allecti ad ipsum confluerent, & quam cito cum notabili Pauperum damno universa ex ærario pecunia deficeret Quod spectat ad onus impositum ab isto Supremo Confessu sub die 11. Januarii 1772. de reinvestiendâ pecuniâ pro certo habeant EE. VV., quod tunc temporis pecuniâ supra dicta erat jam erogata in totidem pignoribus existentibus in dicto Monte, ita ut per errorem expositum fuerit de dicto anno EE. VV. dictas pecunias existere, prout serio perscrutatis libris Montis evidenter cognovi, atque perspexi, ideoque summam, quam investiendam præceperunt EE. VV. erat compræhensa in capitali Montis, id est in pignoribus = Demum concludit = Horum omnium e conspectu crederem Oratores dignos implorata gratia.*

Quid quid in jure hac super re animadvertendum erat habebunt EE. VV. in foliis Congregationum 20. Aprilis, & 14.

¶ 14. Decembris 1771. quando præfens *Causa* proposita primum fuit, quæ publici juris sunt in *Thefauro resolutionum Tom. 40.*; In facto tamen ponderandum occurrit, quod licet ab ultimo decennio adauctum aliquantulum sit capitale *Montis Consolini*, nondum tamen restitutum est ad illam pecuniæ summam, quam in actu erectionis habebat. In præfinitione interusurii quantitate ne dum præ oculis habendum est, pauperum levamen, verum etiam curanda ejusdem *Montis* indemnitas, ut absque proprii Capitalis jactura, & quotidianas, & extraordinarias subire possit expensas. Dignabuntur *EE. PP.* definire.

An Rectoribus Montis Consolini Civitatis Perusæ ad aliud decennium sit prorogandum indultum exigendi scutaria pro quolibet centenariò, & anno in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

FIRMANA SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM. *Sess. 21. cap 7. de Reform.* Cum Parochialis Ecclesia S. Lucie Castri Lauri Firmansæ Diæcesis restauratione indigeret; Sacerdos Nicolaus Ciotti ejusdem Ecclesiæ Parochus commisit Petro Augustini Architecto, ut Peritiam efformaret; ac distincte referret sumptus, qui ad operis perfectionem necessarii forent. Muneri suo satisfecit Peritus, retulitque restorationum expensas æquare summam sc. 250., atque ex his sc. 90. expendenda esse pro restaurandis duabus Cappellis SS. Josephi, & Philippi Neri in eadem Ecclesia erectis, reliqua sc. 160. eroganda fore = *al residual Corpo della Chiesa, che non è occupato da dette Cappelle* = Opus prædictum aggressus est Parochus, & ære suo absolvit.

At cum in enunciatis Cappellis bina sint instituta Beneficia, hinc Parochus interpellavit Josephum Remoli, & Fortunatum Carducci illorum Rectores, ut eorum quisque sc. 45. rependeret in reintegrationem expensarum, quas ipse in restaurandis dictis Cappellis de proprio impenderat. Huic contributioni impares esse sustinent Rectores Beneficiorum ob reddituum tenuitatem, quæ de re efflagitant ab *EE. VV.* suspensionem onerum Mis-

farum ; quousque constituatur summa in restaurandis Cappellis erogata.

Inquiunt enim redditus Beneficii S. Josephi vix pertingere ad annua sc. 14. 70. , gravatum verò illud esse oneribus Missarum in sc. 11. 80. , detractisque aliis oneribus vix superesse Rectori in unoquoque anno julios decem . Redditus autem Beneficii S. Philippi Neri quolibet anno computari in summa sc. 10. 50. , onera Missarum pertingere ad annua sc. 05. 20. , & adimpletis aliis oneribus ; Rectori obvenire annua sc. 4. 50. , quo circa cum onera , quibus gravantur Beneficia illorum redditus vix æquent , propterea necessariam esse suspensionem ad tempus oneris Missarum , ut ipsi possint Parocho S. Luciae persolvere quid quid in restaurandis Cappellis impendit . Nec obesse quòd Beneficio S. Josephi in actu erectionis assignati fuerint redditus in sc. 40 = , quia de tempore erectionis censuum , interufuria pertingebant ad annua scuta octo prò centenario , sed post illorum extinctionem , aliorum Censuum investimenta vix perfici potuerunt in ratione trium pro centenario .

Interpellati fuerunt omnes Beneficiorum Compatroni , nec ullus unquam comparuit .

Archiepiscopus , qui exposita confirmat , ait = *Equidem cum eo , quod superest, oneribus detractis, nequeunt iidem Rectores ratam nummorum quadraginta quinque , quam quilibet rependere debet , vel in minimo contribuere ; Suspensionem igitur Missarum ad quatuor annos quoad Rectorem Beneficii S. Josephi , & ad sex quoad alterum cenfeo concedendam , prout iidem Rectores in adjunctis precibus exposcunt ; Eoque magis , quia auditis utriusque Beneficii Patronis eorum consensum præstant pro huiusmodi Missarum suspensione =*

In cap. De his de Ecclesiis ædificandis = hæc habentur = *De his , qui Parochiales Ecclesias habent duximus respondendum , quod ad reparationem , & institutionem Ecclesiarum cogi debeant , cum opus fuerit , de bonis , quæ sunt ipsius Ecclesiæ , si eis supersint conferre , ut eodem exemplo cæteri invitentur Sacrum Concilium Sess. 21. cap. 7. dereform. sic disponit = Parochiales verò Ecclesias etiamsi juris patronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus , & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus , qui si non fuerint sufficientes , omnes Patronos , & alios , qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt ,*

aut

aut in illorum defectum Parochianos omnes remediis oportunitis ad prædicta cogant =

Ex hac Tridentini dispositione quosdam veluti gradus Doctores constituunt inter eos, qui ad opus restorationis Ecclesiæ tenentur. Hos gradus enumerat *san. mem. Benedictus XIV. Inst. 100. num. 9. cum pluribus sequen.* Illud tamen certum est, quod cum Ecclesia restaurari debet, ad reparationem contribuere tenentur ii omnes, qui Beneficia etiam simplicia in ea obtinent. Siquidem in *cap. 1. de Ecclesiis ædificandis* sic statuitur = *Quicumque Beneficium Ecclesiasticum habent ad Tecta Ecclesiæ restauranda, vel ad ipsas Ecclesias emendandas omnino adjuvent, & nonam, & decimam reddant =*. Hinc postulante Episcopo Narniensi = *An possit Beneficia, quacumque dignitate Beneficiati præfulgeant, etiam si gaudeant Palatinorum privilegiis, ad restaurandam Ecclesiam, in quam transferuntur tituli, quatenus restauratione indigeant, gravare = Sac. Congregatio die 24. Martii anni 1657. respondit = Dictos Rectores Beneficiorum, etiam in quacumque Dignitate constitutos teneri post translationem secutam ad futuram restorationem Ecclesiarum, ad quas Beneficia fuerunt translata = lib. 20. Decret. pag. 197.*

Sustinet Barbosa ad Concilium Tridentinum *Seff. 21. cap. 7. de reform. num. 9., & 10.* quod ad Ecclesiarum reparationem cogendi sint Rectores, dummodo prius deducantur necessaria ad eorum sustentationem. Ponderandum in hac causa, quod Rectores Beneficiorum Sancti Josephi, & Sancti Philippi Neri redditus habent, qui onerum satisfactioni vix sufficiunt, & propterea cum nulla fructuum pars detrahi ab illis possit, videndum an pro reintegratione expensarum, quæ in restaurandis eorum Cappellis erogatæ sunt suspendi debeant onera Missarum iisdem Beneficiis inhærentia: *Amostaz. de causis piis lib. 1. cap. 14. num. 36., & lib. 2. cap. 12. num. 35.* tenet quod ob necessitatem construendi novam Ecclesiam, si alia desint media, possint in illius fabricam applicari legata pia Missarum.

Sacra Congregatio in *Lisbonen.*, cum jam antea Rectoris Cænobii S. Ægidii Congregationis Canonorum Regularium S. Joannis Evangelistæ preces rejectæ fuissent, quibus petebat Sacrorum onerum suspensionem quousque perficerentur nova ædificia Ecclesiæ, & Conventus, eaque subinde instaurasset proposito Dubio = *An sit locus suspensioni onerum, ita ut sit recedendum a decisis in*

casu &c. = Die 20. Septembris 1760. plenis suffragiis rescripsit = In *decisis* = At in *Auximana* pro reædificatione Fabricæ Parochialis, & Collegiæ Ecclesiæ Oppidi Montis Fani indulgit ad decennium suspensionem Sacrorum 1600., & postulante Capitulo dictæ gratiæ prorogationem ad aliud decennium, dubio sic concepto = *An sit locus prorogationi Indulti suspensionis Missarum in casu &c.* Die 11. Januarii 1766. responsum fuit = *Ad sexennium absque spe. ulterioris prorogationis, & injunctis Anniversariis facto verbo cum SSmo.*

Cæterum eveniente casu, quod Ecclesiæ Rector sustentationem suam ex Beneficio solum percipiat, neque ulli sint, qui Pensiones, aut Beneficium simplex in illa possideant, mandat tunc Sac. Concilium Ecclesiam Patronorum expensis refici debere; Et huic dispositioni inhærendo præfinitur Patronis terminus, quo Ecclesiam restaurent, vel jus nominandi dimittant. In *Ragufina* vehementi Terræmotus impetu dejecta Ecclesia Parochiali Oppidi Umblæ de jure patronatus Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ, cum Canonici ad Templum rursus erigendum necessarias expensas conferre recusarent, disputatum fuit dubium = *An, & cujus expensis reædificanda, seu reparanda sit Ecclesia* Die 3. Augusti 1686. Sac. Congregatio sic respondit = *Præfigendum esse Capitulo terminum sex Mensium ad reædificandam Ecclesiam, vel ad renunciandum juri præsentandi lib. 36. Decret. pag. 378.*

Ponderandum propterea est, an quæ de Patronis Ecclesiarum Parochialium statuta sunt servari quoque debeant quoad Patronos Beneficiorum simplicium, & an in præfenti casu cogendi sint habentes jus nominandi ad Beneficia S. Josephi, & S. Philippi Neri, ut vel persolvant expensas factas in restaurandis Cappellis, in quibus eadem Beneficia sunt instituta, vel illorum Patronatum dimittant. Decernent nunc EE. VV.

An, & quomodo sit locus suspensioni oneris Missarum in casu &c.

Die Sabbathi 14. Decembris 1782. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infra scripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Septem sunt causæ, quæ in præsentis folio notantur, reliquas duas, quæ indecisæ remanserunt habent EE. VV. in folio postremæ Congregationis diei 23. elapsi mensis Novembris, quod opportune resumitur poterit.

PERUSINA MONTIS PIETATIS.

An Rectoribus Montis Consolini Civitatis Perusiæ ad aliud decennium sit prorogandum indultum exigendi scuta tria pro quolibet centenariis, & anno in casu &c. *Sess. 22. cap. 8. de Reform.*

Affirmative, & scribatur Episcopo, quod anno quolibet investiatur summa quæ annuatim supererit; necnon referat de annuo reddito alte-Montis Pietatis.

FIRMANA SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM.

An, & quomodo sit locus suspensioni oneris Missarum in casu &c. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

Negative, & ad mentem, & mens est quod præfigatur terminus Patronis ad solvendum quod revera per Parochum expensum fuerit in restorationem Cappellarum coram Episcopo liquidan., quo termino elapso, & solutione non facta, idem Episcopus Patronum cecidisse à jure Patronatus declaret.

*Sess. 25. cap. 19.
de Regul. , &
Monial.*

THEANEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM :
Contendens Maria Beatrix de Carò per vim , & metum a Parentibus illatum Professionem emisisse in Monasterio S. Catharinæ Ordinis S. Benedicti Civitatis Theani , petiit in integrum restitui ob lapsum a Professione quinquennium . Remissis a SS^mo Domino nostro precibus Sac. Congregationi , petitioni annuere existimarunt EE. VV. in postrema Congregatione diei 23. elapsi Mensis *Novembris* , qua die disputato dubio = *An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.* = responderunt = *Affirmativè* = Cum vero causa ad trames Benedictinæ Constitutionis iterato examini subiici debeat , idcirco , interpellato Defensore Professionis , causa nunc reproponitur .

Quid quid hac in re animadversione dignum fuit habent EE. VV. in folio distributo pro dicta Congregatione diei 23. *Novembris* mox præteriti , eoque proinde reasumpto non graventur definire .

An sit standum , vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis .

*Sess. 7. cap. 7. ,
& Sess. 24. cap.
13. de Reform.*

BRICTINORIEN. CONGRUÆ . Unionem Parochialis Ecclesiæ S. Cassiani de Rocca ejusdem S. Cassiani jamdudum factam Mensæ Episcopali Bricinoriensi perpetuo dissolvit san. mem. Gregorius XIV. illamque una cum omnibus suis redditibus ad pristinum statum restituit . Ne autem huiusmodi dissolutio detrimento esset Episcopali Mensæ , eidem univit alteram Ecclesiam Parochialem S. Donati loci de Polenda , injuncto tamen onere Episcopo , ut Parochianorum Curam exerceri faceret per Presbyterum Secularem ab Examinatoribus Synodalibus approbandum , eique ex proventibus ejusdem Parochiæ congruam persolveret .

Cum autem experientia compertum esset grave præjudicium , quod spiritali Animarum saluti obvenerat ; Hinc SS^mus Dominus Noster , instante Episcopo , per Apostolicas litteras expeditas die 11. *Aprilis* 1778. dictam Parochialem S. Donati ad statum collativum redegit , insuperque Parocho nonnulla assignavit prædia , reliqua vero bona , ac jus percipiendi decimas Mensæ Episcopali reservavit . De huiusmodi bonorum divisione conquestus est Populus dicti loci Polendæ , & illius preces Sac. Congregationi ablegatæ fuerunt , cui etiam facultas data est cognoscendi , ac decidendi super prætensa
subre-

subreptione, & obreptione Litterarum Apostolicarum, qua de re causa sub dubiis inferius describendis ab E.E. VV. definienda proponitur.

Qui jura tuetur Oppidanorum loci Polendæ inquit Apostolicas Litteras non esse irritandas in ea parte, qua Parochia ad pristinum Collationis statum restituitur, cum inficiari nequeat magis utile, ac providum esse, ut Populus habeat Parochum non amovibilem, qui oves suas cognoscat, & nutriat; Verum obreptionis, & subreptionis vitio laborare sustinet altera in parte, quia minus recte narratum fuit bona assignata, pro congrua Parochi sustentatione sufficere, cum ex illorum fructibus detractis oneribus parum emolumenti percipiat.

Advertit namque capitale bonorum, quæ fuerunt assignata vix pertingere ad sc. 1100., quorum fructus juxta taxam legalem computantur in annuis scutis 44., Expensas vero subeundas a Parocho pro onerum adimplemento ascendere ad sc. 20., quibus si addantur alia sc. 12. pro satisfactione Missæ Parochialis conflatur summa sc. 32., hinc ducto calculo superesse dumtaxat sc. 12., quæ ad Parochi sustentationem, & Fabricæ Ecclesiæ mantentionem impares omnino comperiuntur. Hinc infert circumventum fuisse Pontificem, dum ei relatum fuit bona prædicta ad parandam Rectori congruam, & onera adimplenda sufficere.

Perperam vero opponi, quod ultrabona stabilia, Parochus lucrari possit emolumenta Funerum, & Altaris, cum hæc eventualia, & incerta sint, nec debeant in partem Congruæ computari *Lott. de re Benefic. lib. 1. quæst. 2. num. 1.* minulque recte objici Sacerdotem Franciscum Milandi modernum dictæ Ecclesiæ Archipresbyterum Parochiam acceptasse cum ea bonorum quantitate, quam modo retinet. Afferit enim dictum Sacerdotem fuisse deceptum in narratione sufficientis quantitatis bonorum, & redituum; Ac præterea advertit consensum tacitum ex acceptatione Beneficij desumptum non obesse, quominus uberior Congrua constitutatur, si Congruæ jam assignatæ tenuitas probetur. *Pignatell. consult. 126. num. 2. tom. 4.*

Ad II. sustinet Congruam assignandam esse in annuis sc. 132., illamque præstandam a Mensa Episcopali, quæ reliquos Parochiæ redditus percipit; Nec hujusmodi assignationem in minori summa fieri posse, quia juxta Sacri Concilii dispositionem Parocho in unoquoque anno scuta 100. deductis oneribus tribui debent; Cum vero

Archi-

Archipresbyter, loci Polendæ teneatur expendere sc. 32. pro subeundis oneribus Parochiæ infixis, congruum idcirco esse affirmat, ut Parochialis Præbenda in dicta quantitate sc. 132. constituatur. Fortius quia ob nimiam Paroeciæ latitudinem pro Sacramentorum administratione indiget opera alterius Sacerdotis, cui saltem in utroquoque anno pro stipendio sc. 20. rependere teneatur. Tandem ad III. contendit teneri Episcopum tam de tempore præsentis, quam in futurum ad subeundas expensas, quæ requiruntur in necessariis peragendis Ecclesiæ instaurationibus, & in comparandis pro illius uti Sacris Supellectilibus, cum Mensa Episcopalis potiorem partem reddituum Parochiæ, & præsertim decimas percipiat.

Contra vero Promotor Fiscalis advertit dismembrationem Parochiæ S. Donati a Mensa Episcopali, ejusque restitutionem ad statum collativum fecutam fuisse accedente consensu Episcopi Bricinoriensis, qui illum præstitit sub expressa conditione, quod novus Parochus aquiescere deberet factæ assignationi Bonorum, & onus assumeret restaurandi ædificia, & sacra utensilia providendi. Has vero condiciones libenter acceptasse Sacerdotem Franciscum Milandi modernum Parochum Polendæ, qui si illas ad præsens observare recusat Parochiam dimittere poterit, cum non aliter Episcopus novæ Parochiæ erectioni assensum præstitit quam sub conditionibus in Apostolicis Litteris appositis. Cæterum ait vera omnia fuisse, quæ Pontifici narrata sunt, ut ad erectionem Parochiæ S. Donati deveniret, & propterea earundem Litterarum Apostolicarum validitatem infringi nullo modo posse.

Ad II. inquit, Archipresbyterum Milandi jam recepisse illam bonorum quantitatem, quæ utriusque partis consensu, & Apostolicæ Sedis auctoritate pro Parochiæ mantentione statuta est; Hinc infert locum modo non esse Congruæ augmento, Parochumque his bonis contentum esse debere, quæ ipse in actu institutionis Beneficij acceptavit. Inane vero esse diffugium, quod Plebania S. Donati ante tempus unionis ditata esset annuo redditu sc. 300., cum id Populus Polendæ absque ulla legitima probatione asserat, & ex actis Pastoralis Visitationis an. 1573. constet redditus dictæ Parochialis S. Donati non excedere summam sc. 80.

Ad III. Advertit, Ædificiorum restauraciones, sacrorumque utensilium mantentionem Parochiæ Rectori incumbere,

cum

cum ab Episcopali Mensa nonnulla prædia ei fuerunt assignata sub expressa lege, ut illa interservirent pro ejus congrua sustentatione, onerumque adimplemento. Ad rem conferre videntur, quæ a Sac. Concilio Tridentino statuta sunt in *sess. 24. cap. 13. de ref.* = Primò namque disponitur, ut = *In Parochialibus etiam Ecclesiis, quarum fructus æque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per Beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum Symbola, ac collectas, aut qua commodiori videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat* = Deinde verò additur = *Parochiales Ecclesiæ, quæ summam ducatorum centum secundum verum annum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.*

Ex hisce Decretis, & si desumi non possit præcisa quantitas Congruæ Parochialis, tamen exploratum est, mentem Sac. Concilij fuisse, ut Parochus sufficientes redditus haberet pro sui sustentatione, & pro subeundis Parochiæ oneribus. Patet id ex altero Concilij decreto *Sess. 7. cap. 7. de Reform.* ubi pro Beneficiis Curatis, Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, aut Monasteriis unitis injungitur Episcopis = *Ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur ab iis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum portione, etiam super certa re assignanda ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur.*

De Parochorum, seu Vicariorum congrua sollicitus fuit S. Pius V., qui in Constitutione, cujus initium = *Ad exequendam* = edita die 1. Novembris 1567. sublato Episcopis arbitrio quoad taxationem Congruæ Vicariorum, mandavit, ut portio iisdem Vicariis assignanda = *non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis eis omnino assignetur, nisi Vicariis solitum fuisset plus assignari.* = Advertit = *Barbosa juris Eccles. lib. 3. cap. 6. n. 43. & 44.* cum aliis Doctoribus ibi allegatis, quòd in præfinitenda Congrua Vicariis Curatis computari solum debeant illæ obventiones, quæ licet incertæ dicantur, certæ nihilominus sunt, non autem illa emolumenta, quæ semper

incerta sunt, & dependent a labore personali, uti sunt eleemosynæ Altaris, Funerum, & similia.

Notat *Pignatellus consult. 31. num. 1. tom. 3.* habendam esse rationem num Vicarius, vel Collegium, seu Monasterium, cui Cura est unita teneatur expensas subire pro manutentione Ecclesiæ Parochialis; Hac proinde de causa Sac. Congreg. modo majorem modo minorem huiusmodi Vicariis portionem assignavit. In *Ferrariensis*. Cum ex Constitutione Innocentii X. tres Ecclesiæ Parochiales illius Diocæsis unitæ fuissent Monachis Olivetanis, & Cura Animarum a Vicariis perpetuis à Clero Seculari exerceretur, postulavit Episcopus = *Quenam portio annua sit a Monachis assignanda Vicariis Curatis perpetuis supradictarum Ecclesiarum = Die 23. Februarij 1657.* responsum fuit = *Sufficere congruam scutorum octuaginta illarum partium, liberam ab omni onere lib. 21. decret. pag. 184.*

In *Papiensis* postquam S. Pius V. Conventui S. Petri Martyris Viglevani Ordinis Prædicatorum perpetuò univerat Præposituram Curatam Ecclesiæ S. Petri Loci de Celavegna, Religiosi exercitium Curæ Animarum Presbytero Seculari commiserunt, assignata Congrua in summa librarum Imperialium biscentum. Cum autem Vicarius Curatus Congruæ augmentum exposulasset, Sac. Congreg. die 2. *Maij 1722.* distulit causæ resolutionem, voluitque, ut ducto calculo per decennium, sedulo inquireretur de Præposituræ statu, insuperque de oneribus, quibus gravatus erat Vicarius perpetuus, nec non etiam de redditibus incertis, quos perciperet. Ex Ordinarii relatione compertum fuit redditus Præposituræ Conventui unitæ ascendere ad summam scut. 1041. monetæ Romanæ; emolumenta incerta Vicarii Curati non computata Congrua perfringere ad scut. 82. ejusdem monetæ, expensas verò ab illo erogandas pro onerum adimplemento esse lib. 115. aut 120. Hinc propositis Dubiis *I. An Patres Dominicani Conventus S. Petri Martyris Viglevanen. teneantur subministrare congruam asserto Parocho Præposituræ Loci de Celavegna; & quatenus negativè = II. An eidem asserto Parocho, seu Præposito debeat stipendium, & pro qua summa præstandum in casu &c.* Die 16. *Martij 1723.* decisum fuit *Faciendum esse augmentum usque ad scut. 40. Monetæ Romanæ non computatis in certis.*

Ponderandum in præsentis casu num ex bonis assignatis Archipresbytero Loci Polendæ tot redditus habeantur, qui suffi-

sufficiant pro illius congrua sustentatione, & pro onerum adimplemento. Præ oculis habendus est status reddituum Parochialis Ecclesiæ S. Donati, atque hinc videndum quid emolumentum ex illis percipiat Mensa Episcopalis Bricinoriensis, ut inde dijudicari possit, num æqua sit assignatio prædiorum facta ab Episcopo Parocho Polendæ. Inquirendum pariter est quid Mensa Episcopalis impenderit pro manutentione Vicarii, tum etiam pro adimplendis oneribus, antequam Parochia ad statum collativum restitueretur. Demum ponderandum an petitioni augmenti Congruæ obstet acceptatio Beneficii facta a Sacerdote Milandi. Post hæc dijudicent EE. VV.

- I. *An sustineantur Litteræ Apostolicæ in casu &c.*
Et quatenus Affirmativè.
- II. *An, & in qua summa sit assignanda Congrua Archipresbytero in casu &c.*
- III. *An, & cujus sumptibus faciendæ sint reparationes, nec non Sacræ Supellestiles in Parochiali Ecclesia S. Donati, tam de tempore præsentis, quam in futurum in casu &c.*

Dilata, & ad mentem, & mens est, quod scribatur Episcopo Ariminesi juxta Votum R. P. D. Secretarii.

BRICTINORIEN. TRANSLATIONIS ECCLESIAE PAROCHIALIS. Oppidum Teodorani, quod jure Feudi spectat ad Mensam Archiepiscopalem Ravennæ, in spiritualibus subjacet Episcopo Bricinoriensi. Sacerdos Mathæus Amaducci ejusdem Oppidi Archipresbyter, ab anno 1779. exposuit Sac. Congregationi unicam Parochialem Ecclesiam sub invocatione S. Laurentii sitam esse in loco campestri, & ab Oppido distare quartam partem unius Miliarii; illius fabricam fatiscentem deprehendi, nec tutam esse pro asservandis Sacris Supellestilibus, aliisque ad Curæ Animarum necessariis. Præter hæc addidit, domum Parochialem intra Mœnia Teodorani sitam reperiri, atque ob id gravia obvenire incommoda Populo, & ipsi Archipresbytero, quibus non sine difficultate præsertim hyeme ad Ecclesiam Parochialem patebat accessus; Hinc impossibile esse Sacras Functiones explere, & Sacramenta mini-

*Sess. 22. cap. 7.
de Reform.*

nistrare, ac proinde Infirmi absque Sacramentis decedebant, cum ob distantiam non posset, quando necessitas adforet, occurrere.

Ad tam gravia avertenda damna proposuit Archipresbyter Translationem Parochialis S. Laurentii ad Oratorium S. Mariæ de Platea situm intra Oppidum, & parum ab ædibus Parochialibus distans. Testatus quoque est sibi jam oblatam fuisse eleemosynam scut. 150. ut dictum Oratorium in ampliorem formam redigeret. Quare ad alias subeundas expensas facultatem petiit imponendi Collectam super Populo, & applicandi superextantes redditus Locorum Piorum. Omnia, quæ ab Archipresbytero narrata fuerunt confirmavit Episcopus Bricinoriensis, qua de re die 15. *Januarij* 1780. indulta fuit Parochiæ translatio una cum Titulo, & Oneribus Missarum, sub lege tamen, quòd prædicta Onera in nova construenda Ecclesia adimplerentur, & in ea Icon præferens Imaginem S. Laurentii apponeretur.

Ubi primum hæc Populo innotuerunt statim de hujusmodi translatione conquestus est, precesque exhibuit, quibus narravit Cives Teodorani, tribus tantum demptis familiaribus, toto anni tempore in agris moram trahere, atque ob id magis commodum ipsis esse pro Sacramentorum perceptione adire Ecclesiam S. Laurentii, quàm alteram S. Mariæ de Platea; Hanc verò humiditate ita sordescere, ut Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum ea quæ par est decencia asservari non posset. Cum autem hoc medio tempore secuta fuerit demolitio Oratorii S. Mamantis, quòd ab Ecclesia S. Laurentii parum distabat, novæ hac de causa a Populo delatæ sunt querimonix, & binis concordatis dubiis utramque quæstionem concernentibus, ea sapienti EE. VV. iudicio definienda exhibentur.

Qui Incolarum causam agit sustinet, in translationibus Ecclesiarum Parochialium Populum interpellari debere, publica que indicere Comitia, ut unusquisque quid sentiat libere dicere possit, id autem prætermisum fuisse contendit; nec sufficere contentum a quibusdam Parochianis præstitum, cum nonnulli ex iis intra Oppidi mænia domicilium habeant, alii non sint Familiarum capita, reliquos vero calliditate, & Industria Notarii Bastelli seductos fuisse.

Advertit insuper aliena a veritate prorsus esse, quæ pro obtinenda translatione narravit Parochus Amaducci. Afferit namque in Ecclesia S. Laurentii nullum adesse peri-

periculum , nec sepulcra in ea existentia foetorem edere .
 Nunquam plurium annorum spatio Latronum direptionibus obnoxiam fuisse ; Decenter , & summa custodia Sacram Eucharistiam in illa servari ; Ac demum habito respectu ad universam Parochiam in loco commodioris sitam reperiri , summaque facilitate posse Archipresbyterum Populo sibi credito in vitæ discrimine Sacramenta præbere .

Ex his omnibus infert , justam deesse translationis causam ; Hanc verò translationem denegandam quoque existimat , quia spirituali animarum salutem adversatur ; Notat enim quod si Parochialis Ecclesia statuatur intra Castrum , impeditur Populus Sacramenta frequentare , diebus Festis Missæ Sacrificium audire , Pueri denique Catechesibus desituerentur , cum ob Viarum asperitatem , Ventorum impetum , Niviumque copiam , non sine vitæ periculo Castrum adire possint ; Addit præterea substituendam Ecclesiam irregularis esse structuræ , & licet ad illius ædificationem requiratur conspicua summa sc. 1200. , non inde tamen universo Populo sufficere , nec unquam a nimia humiditate liberam evasuram .

Ad II. contendit Archipresbyterum ex condicto cum Familia Bastelli insciis prorsus Parochianis demolitionem Ecclesiæ S. Mamantis demandasse , Statuam S. Titularis , aliaque ornamenta subripuisse ; Hanc vero Ecclesiam etiam Alienigenarum concursu in nonnullis anni diebus decoram esse , hinc illius reædificationem sumptibus tum Archipresbyteri , tum Familiæ Bastelli demandandam esse . Spemendum verò dissugium desumptum a decreto lato in Pastoralis Visitatione anni 1779. , nam in dicto decreto illius demolitio demandata non fuit , & negligentia perficiendi reparaciones in eodem decreto præscriptas demolitionis pœnam non meruisse .

Contra verò Promotor Fiscalis Curie Episcopalis advertit revocari haud posse indictam translationem Tituli Parochialis Ecclesiæ S. Laurentii ad alteram Ecclesiam S. Mariæ de Platea , cum illa demandata fuerit auctoritate Sacræ Congregationis ad preces Archipresbyteri , plenissime probatis causis , quibus nitebatur , annuentibus Archiepiscopo Ravennatensi , & Brixinoriensi Episcopo , ac demum maxima jam ex parte executam ; illamque solum impugnari si per reticentiam veri , aut suppositionem falsi extorta deprehendatur ; Nullum tamen obreptionis aut subreptionis vitium interfuisse contendit ; Toto namque perscrutato supplici Libello a Sacerdote Amaducci por-

porrecto; quiddid in illo narratum fuit validissimis monumentis comprobatum esse, ita ut argui non possit Sac. Congregationem in indulgentia translationis gratia deceptam fuisse, immo ex rationum momentis in precibus adductis efficacis defumi argumentum; quo translationis gratia sustineri, & exequi omnino debeat.

Negat translationem expetitam fuisse, quin Parochiani, aliique interesse habentes interpellati fuerint, cum de exquisito Populi consensu testimonium perhibeat non solum Ordinarius sed etiam Archipresbyter aliique quamplurimi testes; Demum a veritate alienum esse, quod nova Ecclesia S. Mariæ de Platea sit inaccessibleis, quod impervium sit iter, & periculis obnoxium, cum ad hujusmodi refellendas exceptiones Archipresbyter onus assumpserit aperiendi accessum ad dictam Ecclesiam ex alio Castri latere ubi Ventorum impetus arcetur.

Ad II. ait compertum fuisse in Pastoralis Visitatione expleta anno 1779., quod Ecclesia S. Mammantis ruinam minabatur, & licet de eo tempore illius restauratio mandata fuerit, restorationis tamen opus nunquam expletum fuisse, quia nec Patronus aderat, nec peculiares redditus pro Fabrica, hinc redargui non posse Episcopum si illius demolitionem demandavit, & quæ aderant cæmenta in constructionem novæ Ecclesiæ S. Mariæ de Platea, ubi Simulacrum S. Mammanti translatum fuerat adhiberi iussit.

De translatione Ecclesiarum disponit Sac. Concilium *Seff. 22. cap. 7. de Reform.*, quod si collapsæ fuerint, & restaurari non possint ex fructibus, & proventibus, quomodo-cumque ad eas pertinentibus, & Parochiani, qui omnibus juris remediis cogendi sunt, nimia egestate laborent = *Ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur* = Sac. Congreg. ex proposita commoditatis causa, annuente Parocho, & consentiente Populo Ecclesia a prærupto Monte ad planitiem transferri permisit. In *Amerina Translationis*: Agebatur de Parochiali Ecclesia Castri Guardæ in vertice altissimi, & prærupti montis sita ubi antiquitus Incolæ ad numerum usque 480. morabantur, & tractu temporis relicta antiqua statione habitacula ad radices ipsius Montis construxerunt. Cum autem in planitie altera esset extructa Ecclesia S. Ægidio dicata, petatum fuit, ut ad illam uti Populo magis commodam antiqua Parochialis transferretur, hinc proposito dubio = *An sit locus petitæ Translationi* = Die 8. Maij 1706. prodiit resolutio = *Affirmativè ad novam Ecclesiam*

clesiam ædificandam; & interim per modum provisionis omnia munia Parochialia censuit exercenda esse in Ecclesia S. Ægidii lib. 56. decret. pag. 151.

At nulla interveniente necessaria, & legitima causa juris rigorem servavit, & Translationes fieri non permisit. Castrum Arcis Ferrariæ *Parmen.* Diæcesis in duas Villas divisum erat, harum una utpote in cacumine Montis sita appellabatur = *Villa di sopra* = Altera vero in planitie posita dicebatur = *Villa di sotto* = homines utriusque Villæ ab uno regebantur Parocho, & Ecclesia Parochialis sub invocatione S. Mariæ Magdalenæ extructa, erat in summitate Montis; Cum autem intra fines Territorij Villæ inferioris erectum esset Oratorium Divo Francisco dicatum, Parmensis Episcopus ad illud transferri mandavit Ecclesiam Parochialem, quæ inserviret pro hominibus Arcis Ferrariæ superioris, & inferioris. De hujusmodi translatione conquestus est Populus antiquæ Parochiæ, propositaque causa, cui titulus *Parmen. Translationis Parochiæ* sub dubio = *An translatio Parochialis sustineatur, sive potius sit revocanda in casu &c.* Die 2. Decembris 1719. plenis suffragiis rescriptum fuit = *Ad primam dubii partem negativè, ad secundam affirmativè, & curet Episcopus, ut executioni mandetur oblatio augmenti scutorum decem annuorum facta ab hominibus Ville superioris!*

In *Civitatis Castelli Translationis.* Cum Sacerdos Joannes Baptista Fabri Parochus Ecclesiæ S. Blasii in Agro Civitatis Castelli sitæ exposuisset, dictam Ecclesiam indecoram esse, & non ita facile ad illam patere accessum, Sac. Cong. die 23. Augusti 1755. permisit quod ritulum Parochialis transferri possit ad aliam Ecclesiam a Marchione Nicolao Galeotti ædificatam in vertice Montis Valentini intra fines ejusdem Parochiæ; At reclamante Populo translationem sine ulla causa, & in ipsius præjudicium decretam fuisse, disputato proinde dubio = *An sustineatur translatio, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.* die 13. Martij 1762. prodiit resolutio = *Prævio recessu a decisis, translationem non susineri, & Episcopus provideat restorationi Ecclesiæ S. Blasii prout de jure, & contra quos de jure =*

Sedulo advertendum est, an justa concurreret causa translationis ruralis Ecclesiæ S. Laurentii ad alteram S. Mariæ de Platea intra mœnia Oppidi Teodorani constructam. Cumque major Incolarum pars in agris domicilium habere, asseratur, hinc inquirendum an magis expediat translationem

nem confirmare, vel potius antiquæ Parochialis restauratio-
nem decernere. Præ oculis habendum est quod *Alexan-*
der III. in Cap. Ad Audientiam 3. de Ecclesiis edificandis
permittit novas Ecclesias construere, si ob nimiam distan-
tiam Parochialis, Populus ad illam accedere non possit.
Dignabuntur EE. VV. definire.

- I. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 15. Janua-*
rij 1780.
I. *An Ecclesia S. Mammantis sit reducenda in pristinum, &*
cujus sumptibus in casu &c.

Ad I. Dilata, & scribatur Episcopo Ariminensi jux-
ta instructionem R. P. D. Secretarii.

Ad II. Negative, & amplius.

Sess. 22. cap. 6.
de Reform.

FIRMANA TRANSLATIONIS ONERIS MISSA-
RUM. Capellaniam instituit Jo. Cyrus Chinozzi cum
onere Capellano celebrandi designatis diebus Missam in
Ecclesia SS. Philippi Nerii, & Petri de Alcantara, quam
proprio aere extruxerat extra mœnia Oppidi Montis Vi-
donis Firmanæ Diœcesis. Hujusmodi Capellania va-
cavit anno 1780., quo tempore Philippus, & alii Fra-
tres Pavoni postularunt Missarum translationem ad aliam
Ecclesiam extra locum, cum in Oppido Sacerdotes inve-
niri non possent, qui illarum satisfactionem adimplerent.
Petitioni eorundem Fratrum restitit Communitas, &
proposita instantia in Congregatione diei 3. elapsi Mensis
Augusti sub Dubio = *An sit locus translationi Oneris Mis-*
sarum in casu &c. = prodiit responsum = *Negative, &*
scribatur Archiepiscopo juxta mentem. Mens autem fuit,
ut Missæ celebrarentur in Ecclesia a Testatore designata.
soluta per Pavonios eleemosyna ad rationem taxæ perpe-
tuæ, & quatenus non inveniatur Sacerdos indigena,
advocetur pro celebratione exterus.

Huic resolutioni non acquiescentes Fratres Pavoni novam
Audientiam impetrarunt, & causa ad examen revoca-
tur. Reassumpto igitur Folio Congregationis diei supe-
rius relatæ Emi Patres dijudicabunt.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 24. cap. 13.
de Regular.,
& Monial.

FULGINATEN. PRÆEMINENTIARUM. Detre-
stantes nonnulli ex Clero Seculari Fulginatensi inté-
resse Exercitationibus, quæ pro solutione Casuum Mo-
ralium

ralium ad præscriptum Concilii Romani habebantur, postulavit Episcopus ab EE. VV. = *An Clerici omnes hujus Civitatis in Sacris constituti, itemque Protonotarii Apostolici non participantes teneantur adesse mensualibus Congregationibus Casuum, nec non accedere ad publicas Professiones.* Exquisito hac super re Voto Eñi Cardinalis Borromei, die 29. Aprilis anni 1780. responsum fuit, posse Episcopum omnes cogere, & reluctantes puniri juxta modum à Concilio Romano præfinitum.

Quod a Sac. Congregatione decisum fuerat exequi curavit Episcopus. Siquidem legem tulit, qua omnes de Clero Seculari adigit, ut Conventui resolutionum Casuum Moralium interessent. Ordinarii præceptum nullus impugnare ausus fuit, verum de ordine, & loco sedendi in hujusmodi Conventu quæstio orta est. Canonici namque Collegiatæ Ecclesiæ SSñi Salvatoris, qui in aliis Functionibus post Capitulum Ecclesiæ Cathedralis cæteros de Clero præcedunt, primum sessionis locum à sinistra Episcopi vindicare contendunt. Restitit eorum prætensionem, tum altera Collegiata S. Mariæ infra Portas, tum Canonici Ecclesiæ Cathedralis, qui protestati sunt velle tueri jura Beneficiatorum Capituli, & Parochorum Civitatis; Quæstionem comescere non potuit Episcopus; hinc habito à Canonicis SSñi Salvatoris recurso ad Sacram Congreg. controversia ab EE. VV. modò definienda est.

Fatetur Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ SSñi Salvatoris primum locum deberi Capitulo Cathedralis, ejusque Beneficiatis, & Mansionariis, cum hi omnes unum corpus constituent, ac propterea in capitularibus comitiis protestati sunt præminentiam Capitulo Cathedralis non impugnare; Verum hujusmodi præminentiam supra Collegiatam S. Mariæ infra Portas, cæterosque de Clero Capitulum SSñi Salvatoris sibi debitam contendit. Inquit enim Concilium Romanum in hisce Conventibus demandasse, ut quisque = *finita l'Orazione si ponga a sedere con ordine* = Hunc autem ordinem referendum esse, ne dum ad simplicem actum sedendi, sed ad locum, quo unusquisque adsidere debeat juxta gradum, & Personarum qualitatem, ac præcedentiam unicuique debitam; Hinc infert, quòd quemadmodum Canonicis Ecclesiæ Cathedralis cæteris dignioribus in Aula Episcopi, ubi Exercitationes Morales habentur primus sedendi locus datus est, ita succedere post ipsam immediate debeat Capitulum SSñi Salvatoris, quòd in omnibus Ecclesiasticis functionibus reliquis de Clero præcedit.

Aldi insuper Ecclesiam SS^mi Salvatoris Insignem esse Collegiatam, ideoque illius Canonicis præminentiam supra Parochorum Collegium, aliosque de Clero Seculari tribuendam esse = *Sacr Congreg. Rituum in Verulana 11. Decembris 1613.*, & *in Faventina 12. Maij 1616.* = Id ipsum re discussa declarasse *die 9. Decembris 1752.* quoad Canonicos S. Mariæ infra Portas; Demum favere contendit immemorabilem; Quare injuria modò oppugnari, quòd tum ex juris dispositione, tum etiam ex observantia debetur.

Quin objiciatur Exercitationes Casuum Moralium non esse ex functionibus publicis, atque in iis convenire Presbyteros non collegialiter congregatos, sed uti singulos. Respondet enim, quòd num actus publicus sit, vel privatus djudicari debet, non à qualitate loci, in quo celebratur, sed ab ejusdem actus natura. Cum igitur in hisce Ecclesiasticorum Coetibus agatur de rebus ad animarum regimen, & Ecclesiasticam disciplinam spectantibus, actum publicum certo dici & jure censeri. Præterea advertit, quòd Canonicis Collegiatarum etiam non collegialiter unitis, si Functionibus Ecclesiasticis intersint, adhuc præcedentia debetur = *Scarfonton. ad Ceccoper tom. 1. tit. 14. num. 1.*, & *seq.* Tandem concludit, quòd quemadmodum dignior locus datus est Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, & Parochorum Collegio, eadem honoris prærogativa tribuenda sit Canonicis Collegiatæ SS^mi Salvatoris, cum omnes eodem modò, & forma Exercitationibus Moralium quæstionum intersint.

Interpellati fuerunt omnes, qui hac in re interesse habere poterant, & licet annus & ultra jam effluerit, nullus tamen unquam comparuit; Verum ex folio nomine Canonicorum S. Mariæ infra Portas Episcopo porrecto eruitur illorum Mens, quòd excepto Capitulo Cathedralis, & Collegio Parochorum in Congregationibus Casuum Moralium nemini competat locus distinctus, cum omnes brevi indumento, & non unitim illis intersint; Cæterum advertunt, quòd si petitioni Canonicorum SS^mi Salvatoris annuere placeat, eisdem pariter distincto in loco sessio assignari debeat.

Episcopus testatur quòd = *In Decisionibus casuum Moralium ex veteri Diœcesis consuetudine præter eum, qui præest, Canonicos Cathedralis, Parochos (quos inter Prior Sanctissimi Salvatoris, & Theologum, qui eos solvit, nemini unquam particularis locus fuit destinatus* = Addit hanc = *De sedibus dissentionem subortam, componere quoad potui modis omnibus curavi, & cum plenum difficultati-*
bus

bus negocium compererim, infectum reliqui, & antiquum morem retinendum censui = Demum concludit = Ad me quod attinet, & si semper novam, & inusitatam existinaverim Oratorum petitionem, eis tamen libenter obsecundarem.

Concilium Romanum anni 1725. tit. 15. cap. 9. enixe præcipit, quod tum in Civitate, tum in Diœcesis Oppidis qualibet hebdomada Exercitationes casuum Moralium, & Sacrorum Rituum habeantur = *Methodo servata Synodali, quæ legetur in Appendice* = In Appendice autem *Methodo* 17. num. 4. de loco sedendi hæc habentur = *Finita l'Orazione si porrà ciascuno a sedere con ordine la metà per parte, ed in mezzo in faccia al Clero sederà il Prefetto.*

Benedictus XIV. de *Synodo Diœcesana* lib. 3. cap. 10. num. 7. immediate post Capitulum Cathedralis, & Abbates locum sedendi in Synodo tribuit Canonicis Collegiatarum Civitatis, ita tamen ut antiquior, & dignior Collegiata Civitatis præferatur aliis Collegiatis ejusdem Civitatis. Ponderandum an, quæ de ordine sedendi in Synodo, ubi omnes cū propriis insignibus accedunt statuta sunt, servari quoque debeant in Conferentiis Casuum Moralium in quibus quotidiana veste indutus quisque interest. Videndum quanti habenda sit consuetudo, & an obstet Canonicis SSm̃i Salvatoris post legem ab Episcopo latam ex oraculo Sac. Congregationis, in qua omnes de Clero Seculari Civitatis concti sunt Resolutionibus Casuum Moralium interesse. Hisce animadversis, vestrum nunc erit Em̃i PP. discernere.

An in Congregationibus Casuum post primum locum assignatum Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis a dexteris Reverendissimi Episcopi, debeat Capitulo, & Canonicis Collegiætæ SSm̃i Salvatoris primus locus a sinistris ejusdem Rm̃i Episcopi in casu &c.

Affirmativè.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. Onera Missarum, quæ ex dispositione Marini Francisci Vanni celebrari debebant in rurali Ecclesia S. Mariæ Angelorum sita prope mœnia Oppidi Montis Georgei Firmanæ Diœcesis, die 4. Februarij anni 1771. facultate tributa a san. mem. Clemente XIV. ad Ecclesiam Monialium S. Andreæ ejusdem loci translata fuerunt. Translationem hanc impugnavit apud Sac. Congregationem Aloysius Boncori, qui tamen obstante Pontificio

Seff. 22. cap. 6. de Reform.

rescripto audiri non potuit. Verum facta potestate adversus illud reclamandi, de translatione agendum erat in Congregatione diei 23. elapsi Mensis Novembris, qua die instantibus Monialibus dilata fuit resolutio. Nunc autem urgente Boncorio proponitur causa, cujus merita perpendent EE. VV. in foliis dierum 24. Novembris 1781.; & 14. Septembris mox elapsi, quibus reassumptis dignabuntur dijudicare.

An sustineatur translatio oneris Missarum ad Ecclesiam Monialium S. Andreæ Montis Georgei, seu potius sit locus illius reportationi ad Ecclesiam Patronalem S. Mariæ Angelorum in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

*Sess. 21. cap. 3.
de Reform.*

PISAUREN: MASSÆ COMMUNIS. In Testamento, quod condidit anno 1715. Sacerdos Joannis Maria Rossi jussit, ut universa sua hæreditas in quinque partes divideretur. Unius partis usumfructum reliquit Lucie Grandi ejus Nepti; reliquas vero inservire voluit pro institutione quatuor Capellaniarum cum onere quarundam Missarum; Has vero Capellantias in totidem Canonicorum Præbendas erigi mandavit, casu quo Ecclesia Parochialis S. Michaelis Archangeli Oppidi S. Angeli Diocesis Pisaurensis in Collegiatam erigeretur. Post hæc Sacerdos Petrus Corradi in Testamento exarato anno 1717. legatum instituit nonnullorum bonorum, ut aucto Præbendarum numero ad finem perduceretur Collegiatæ institutio a præfato Sacerdote Rossi demandata.

Supervento hujusmodi legato statim de erectione Collegiatæ cogitatum fuit. Anno 1718. san. mem. Clemens XI, Apostolica auctoritate Parochiale Beneficium in dicta Ecclesia S. Michaelis Archangeli institutum ad Prioratus dignitatem evexit. Quatuor Præbendas ex redditibus hæreditatis Sacerdotis Rossi, tres vero ex legato Conradi pro Canonicis instituit, quos omnes quibusdam anni diebus Divinum Officium persolvere, aliasque Sacras Functiones in dicta Ecclesia explere præcepit.

De reddituum partitione statuit laudatus Pontifex, ut = *Omnia, & singula fructus, & emolumenta hæreditatis primodiçti Testatoris; & ex legato hæreditatis secundo dicti Testatoris provenientia in unam Massam communem congeri debeant, & ex illa ducatis duodecim auri pro cujuslibet ex quatuor priorum, & trium posteriorum Canonicorum pro Præbendis detractis, reliqua omnia, ac etiam incerta quæcumque in usum distributionum quotidianarum inter*

dictos quatuor priores, & tres posteriores Canonicatus Præbendas obtinentes, ac horis Canonicis, aliisque Divinis Officiis interessentes juxta providam ordinationem de super faciendam dividenda, & repartienda cedere, & conventi debeant.

Quod de communi Massa, & distributionibus quotidianis sancitum fuerat, executioni demandatum nunquam exitit; Nam loco distributionum quotidianarum per Capitulare Statutum approbatum ab Episcopo Pisarenfi die 15. Septembris dicti anni 1718. subrogatæ fuerunt Punctaturæ a Canonicis e Choro absentibus persolvendæ. Modo vero Canonici institutionis de Rubeis bona Canonicatum inter se divisa retinent, & unusquisque integrum fructum suæ portionis percipit, Canonici fundationis de Corradis, licet in communi capitalia possideant, dividunt tamen pro æquali rata illorum fructus, nec ullam partem pro distributionibus relinquunt, sed qui Choro non interfunt certam pecuniæ summam persolvunt.

Morem hunc improbarunt in Sacra Visitatione Episcopi Pisarenfes, novissimè autem Terentius Consoli Canonicus fundationis de Rubeis preces exhibuit Sac. Congregationi, quibus postulavit, ut quæ de communi Massa, & quotidianis Distributionibus in Bulla erectionis præfinita sunt exequantur; Huic petitioni adhærere recularunt, qui Præbendas possident institutas a Sacerdote Corradi, opus ideirco est, ut hodie exquiratur judicium EE. VV. super dubiis inferius transcriptis.

Ad I. fatetur Terentius Consoli Capitulis Ecclesiarum Collegiatarum liberum esse pro regimine suæ Ecclesiæ Leges, & Statuta condere, verum advertit Statutum editum a Capitulo Collegiæ S. Angeli Constitutionibus Apostolicis, & Sac. Concilii Tridentini decretis adversari, quoties in illo institutio Massæ communis pro quotidianis distributionibus prætermittitur fuit, hinc sustinet easdem Constitutiones penitus esse delendas; Fortius quia conditæ sunt contra legem præfinitam in Bulla erectionis Collegiæ, in qua demandatur, quod ex bonis omnibus tum hæreditatis de Rubeis, tum Legati Corradi Massa communis fieret, & detractis ducatis duodecim auri pro Præbenda uniuscujusque Canonici, superexstantes redditus in usum distributionum quotidianarum converterentur. Quin obstat illas fuisse approbatas ab Ordinario de tempore erectionis Collegiæ, cum nec Capitulum, nec Episcopus invertere posset quid quid a san. mem. Clemente XI. statutum fuerat.

Ex his infert etiam ad II. dubium, non posse Capitulum, tam ex supra recensitis bonis, quam ex aliis obversionibus, & proventibus ad ipsum spectantibus omittere institutionem Massæ communis, nam hac retenta Methodo, indicta lex in Apostolicis Litteris servatur, quilibet ex Canonicis parem habebit portionem, & Capitulares omnes ea qua par est diligentia inservient Ecclesiæ, cujus reditus ob alias Fidelium largitiones post Collegiatæ erectionem obventas adauctæ sunt.

Ad III. advertit claram esse erectionis Bullam, in qua præcipitur, quod detractis ducatis duodecim auri singulis Canonicis in titulum Præbendæ assignandis omnes superextantes reditus utriusq. hæreditatis in usum distributionum quotidianarum convertantur; Nec in minimo obesse decretum Concilii Tridentini, quo mandatur, ut in Ecclesiis, in quibus nullæ sunt distributiones fiat separatio tertię partis redituum Præbendarum, quæ in distributiones quotidianas convertatur, cum in præsentis casu adsit lex erectionis Collegiatæ contrarium disponens, cui omnino adhærendum est.

Ad IV. sustinet quotidianas distributiones æquis partibus dividendas esse inter omnes Canonicos, qui Choro cæterisque Divinis Officiis interfunt, vel in designatis a jure casibus tanquam interessentes habentur, ab illis vero amittendas, qui a Chori servitio absunt.

Ex alia vero parte, Canonici foundationis Corradi ad I. Dubium tuentur, editas a Capitulo Constitutiones omnino servandas esse, cum illæ confectæ noscantur statim post secutam Collegiatæ erectionem, Divinis, & Ecclesiasticis sanctionibus contrariæ non sint, approbatæ jam fuerint ab Episcopo, & sub juris jurandi fide ab omnibus Capitularibus receptæ.

Ad II. sustinent nunquam in jure statutum reperiri, quod Canonici æqualem habere debeant Præbendam, cum plurimæ extent Cathedrales, & Collegiatæ Ecclesiæ, in quibus tot sunt Massæ, quot fuerunt Testatores, qui Præbendas institui mandarunt; Addunt præterea, nec Ecclesiæ servitio, aut divino cultui obesse, quod alii ex Canonicis pinguiori, alii vero magis tenui potiuntur Præbenda, ex his inferunt expetitam Massæ Communis institutionem denegandam esse; Fortius quia duo Testatores, qui propria bona pro erectione Collegiatæ contulerunt diversa onera, diversasque leges, etiam quoad Bonorum administrationem ediderunt. Nec obesse, quod ex Apostolicis Litteris erectionis Collegiatæ, insti

institutio Massæ communis indicta sit; Afferunt enim Pontificis verba adeo stricte intelligenda non esse, ut nullam tum ex his, quæ præcedunt, tum ex aliis quæ sequuntur verbis interpretationem admittant.

Ad III. advertunt uniuscujusque Præbendæ redditus vix æquare summam sc. 36., cumque pro distributionibus quotidianis assignata fuerint ex unaquaque Præbenda sc. 12. dubium non esse, quin hac retenta methodo impleatur mens Sacri Concilii Tridentini, quod mandat, ut tertia pars fructuum in quotidianas distributiones convertatur. Demum ad IV. contendunt, quotidianas distributiones iis præstandas esse, qui Choro adsunt, atque etiam inter præsentés tantum dividendam illorum partem, qui absque legitima causa Ecclesiæ servitium deserunt.

Episcopus in sua relatione improbat statutum Capituli utpote contrarium Bullæ erectionis Collegiatæ, & votum aperiens inquit = *Puto fore, & esse exaudiendum Oratorem pro petita formatione Massæ Communis Distributionum, & pro implemento, & executione etiam in hac parte Litterarum Apostolicarum.*

Cum primo Ecclesiæ tempore Clerici ex collatis Fidelium Eleemosynis communi Mensa omnes alerentur, hinc est, quod Beneficia ex solis distributionibus constare visa sunt *Thomass. de vet., & nova Eccles. disciplina part. 3. lib. 2. cap. 35.* Verum secuta ex post bonorum divisione, & unicuique Beneficio suis peculiaribus fundis assignatis, secerni ceperunt fructus Præbendarum, & Distributionum, ut Ecclesiastici hoc præmio adlecti frequentius ad Ecclesiæ servitium convenirent. Primus omnium, qui hujusmodi distributiones excogitavit fuit Ivo Carnotensis, prout habetur in ejus Epistola 219., in qua sic legitur = *Cum in quampluribus Canonorum Carnotensium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas Horas Caronicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam Præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi.*

Morem hunc probavit *Honorius III. in Cap. Licet de præbendis, & dignitatibus, & Bonifacius VIII. in cap. Unico de Clericis non residentibus in 6.* Novissime vero Concilium Tridentinum inherendo Constitutionibus Apostolicis hac de re editis *Sess. 21. cap. 3. de Reform:* mandavit in singulis Cathedralibus, & Collegiatis, ubi deef-

deessent quotidianæ distributiones , vel adeo tennes forent , ut facili negotio contemnerentur = tertiam partem fructuum , & quorumcumque proventuum , & obventionum tam Dignitatum , quam Canonicatum separari debere , & in distributiones quotidianas converti , quæ inter Dignitates obtinentes , & cæteros Divinis interessentes proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegato in ipsa prima fructuum deductione faciendam , dividantur , salvis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum , in quibus non residentes , seu non servientes , nihil , vel minus tertia parte percipiunt .

Ex Sac. Concilii dispositione Canonici Cathedralium , & Collegiatarum Ecclesiarum pro distributionibus quotidianis tertiam partem fructuum in Communi Massa erogare tenentur ; At cum in Bulla erectionis Collegiatae S. Angeli. mandatum sit , quod omnia bona tum hæreditatis de Rubeis , tum Corradi in Communi Massa congeri debeant , ut ex illorum redditibus Præbendæ , & Distributionum stipendia persolvantur , hinc videndum , an præsidio Tridentini decreti excusari possint Capitulares , ne Massam communem conficiant juxta præscriptum in dictis Apostolicis Litteris . Ponderandum pariter est ; an per facultatem tributam Canonicis in eadem erectionis Bulla condendi Constitutiones Capitulares derogatum censeatur oneri conficiendi dictam Massam communem . Hisce omnibus animadversis decernent EE. VV.

- I. *An Constitutiones Capitulares sint servandæ in casu &c. Et quatenus negativè .*
- II. *An inter Canonicos Ecclesiæ Collegiatae S. Michaelis Archangeli Oppidi S. Angeli sit locus consecutioni Massæ communis omnium , & singulorum fructuum , reddituum , & proventuum , jurium , & emolumentorum provenien. tam ex hæreditate bon. mem. Joa. Baptiste de Rubeis , quam ex legato bon. mem. Canonici Petri Corradi in casu &c. Et quatenus affirmativè .*
- III. *An , & pro qua rata fructus , redditus , proventus , & emolumenta prædicta etiam incerta cedere debeant in usum Distributionum quotidianarum in casu &c. Et quatenus affirmativè .*
- IV. *An , quomodo ; & inter quos hujusmodi quotidianæ Distributiones sint dividendæ , & repartierendæ in casu &c.*

Finis .

I N D E X

R E S O L U T I O N U M

*Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii
propositis anno 1782.*

A

Absenti ab una ex Ecclesiis, in quibus habet onus residendi Beneficiatus; nec non retinendi duo Beneficia, quorum unius munia per alterum Sacerdotem implendi indultum eidem Beneficiato, alias per summaria precum denegatum, confirmavit Sacra Congregatio in *Montis Alti Dispensationis* 14. Septembris pag. 129.

Absenti a Choro facultatem, quæ competit Canonicis, aliisque superioris Cleri, competere innuit Sacra Congregatio Clero inferiori ad tempus, arbitrio Episcopi præstiniendum *Vigle vanen.* 23. Februarii pag. 17., & seqq.

Sicuti etiam quotidianas distributiones tempore præstiniendæ vacationis *ibid.*

Absenti a servitio Chori venia Canonicis Ecclesiarum Cathedralium indulgetur etiam tempore Adventus, & Quadragesimæ, si ex diuturna consuetudine servatum id fuerit, & peculiare circumstantiæ id suaderent, sicuri resolvit Sacra Congregatio in *Ferentina Servitii Chori* 3. Augusti pag. 117., & seqq.

Ob quadragenarium servitium laudabiliter præstitum Canonico competere sancivit in *Narnien. Jubilationis* 3. Augusti pag. 105.

Etiam si spatio decennii abierit a servitio Ecclesiæ, quia perspectum habuit, id evenisse ex necessitate, non autem ex voluntate *ibid.*

Absentia decennalis a servitio Ecclesiæ, utpotè necessaria, & non voluntaria impedimento non fuit quominus non competeret jubilationem Canonico, qui per quadraginta annos laudabiliter intervixit, ut in *Narnien. Jubilationis* 3. Augusti pag. 105.

Absentia tempore facultatem, siue indultum lucrandi quotidianas distributiones competere Clero inferiori Capituli Cathedralis Viglevanensis decrevit Sacra Congregatio in *Vigle vanen.* 23. Februarii pag. 17., & seqq.

Absolvendam esse Archiconfraternitatem S. Rocchi Civitatis Anconæ pro Millis in
Tom. LI.

præteritum non celebratis, satisfactis prius centum pro unica vice, facto verbo cum Sanctissimo, resolvit Sacra Congregatio in *Anconitana Missarum ad II. dub. pag. 48.*

Absolutionis gratiam ab incurta irregularitate per Sacerdotem, qui veteris sub pœna suspensionis, licet extrajudicialiter indicta, & renovata, nè a loco discederet, nisi prius onera Missarum impleteret, & de adimplimento redderet rationem, discessit, Missam celebravit, exceptisque confessiones Sacramentales, arbitrio Episcopi remisit, satisfacto prius onere Missarum non celebratarum, ut in *Savonen.* 14. Septembris pag. 143. & seqq.

Adimplerentum præteritum oneris Missarum Archiconfraternitati S. Rocchi Anconæ, satisfactis prius centum pro unica vice, remissum fuit, ob defectum reddituum, facto verbo cum Sanctissimo in *Anconitana Missarum* 20. Aprilis ad II. dub. pag. 48.

Administrans Confirmationis Sacramentum in visitatione Ecclesiarum Diocesis suæ Ordinarius nequit exigere aliquid procuratoris causa a Communitatibus, quacumque contraria consuetudine non obstante *Ferentina Visitationis Sacrorum Liminum* 20. Aprilis pag. 47.

Administratorem rei frumentariæ ab Antistite loci ad certam quantitatem Annonæ annuatim tradendam rectè compulsus fuisse censuit Sacra Congregatio, approbando illius decretum & rescindendo Sententiam Syndicatoris eundem absolventem, ut in *Terracinen.* & *Privercen.* 3. Augusti pag. 105.

Administratores Montis Consolini Civitatis Perusiæ petentibus prorogationem exigendi scuta tria pro quolibet centenariis, concessum fuit ad decennium indultum, ut in *Perusina Montis Pietatis* 14. Decembris pag. 181.

Reliqua vid. sub verb. *Exigendi indultum.*

Administratores, siue Præfetti, Ratiocinatoris, & Exactoris, seu Collectoris deputationem pro exigendis redditibus Locorum Piorum a Cardinali Visitatore expletam, su-

fineri censuit Sacra Congregatio in *Sutrina* 16. *Marit. ad I. dub. pag. 30.*

Eundem tamen administratorem, qui male se gesserat, removendum fore edixit *ibid. ad II. dub.*

Nec non redditionem rationis ab eodem, per insolite exhibitam, respuit *ibid. ad III. dub.*

Propter quod iussit Vicario Capitulari, ut terminum eidem Administratori ad reddendam rationem præfinit, impartita tamen ipsimet facultate inspiciendi Libros, & documenta, indeque pronunciet ipse Vicarius sententiam Syndicatoriam *ibid. ad IV. dub.*

Adventus tempore licet Canonicis Ecclesiarum Cathedralium abesse a Chori servitio, si ex diuturna consuetudine id servatum continuo fuerit, & peculiare circumstantiæ suaderent, ex resolutis in *Ferentina Servitii Chori* 3. *Augusti pag. 117. & seqq.*

Aedes adnexas Ecclesiæ incolere teneri Canonicos Collegiæ S. Michaelis Civitatis Firmi curam animarum exercentes, aliisque eas locare prohibuit Sacra Congregatio in *Firmana* 8. *Junii ad III. dub. pag. 81. & seqq.*

Sicuti quoque præscripsit, vilia quædam inibi minime exerceri, & sordida retineri, ad normam decreti Archiepiscopi in actu visitationis promulgati *ibid. ad IV. dub.*

Alterum quoque adfirmavit decretum, quo prohibebatur Canonicis, ne in superiori Cubiculo diebus festivis, & æstivis Mensibus horæ Canonice persolverentur *ibid. ad V. dub.*

Aedis in restauratione erogatas expensas a Patrono, non esse eidem rescindendas censuit Sacra Congregatio in *Derthonen.* 3. *Augusti ad I. dub. pag. 114. & seqq.*

Quo vero ad venditionem ejusdem rescriptit ad mentem, quam explicando, mandavit Episcopo, ut inspiceret utrum restaurari posset, quo casu eam restaurare faceret, contra verò, quod, prævia Edictorum affixione, venderetur, & pretium retrahendum deponeretur in Aede sacra, ad effectum investiendi favore Cappellanæ *ibid. ad II. dub.*

Aedis inter Concanonicos divisa Beneplacitum Apostolicum pro venditione, & investimento pretii unius ratæ jam concessum, confirmavit Sacra Congregatio in *Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici* 13. *Julii pag. 97.*

Vid. *Beneplacitum Apostolicum.*

Æstivis mensibus ne persolverentur horæ Canonice in quodam Superiori Cubiculo Collegiæ Ecclesiæ S. Michaelis Civitatis Firmi, decretum Archiepiscopi in actu visitationis promulgatum, quo cum id Canonicis prohibebatur, adfirmavit Sacra Congregatio in *Firmana* 8. *Junii ad V. dub. pag. 81. & seqq.*

Sed omninò recitari debere in exteriori Choro prædictæ Ecclesiæ præcepit *ibid.*

Affines in quarto gradu cum Testatore preferendos esse in consequendis Subsidii Dotabilibus censuit Sacra Congregatio illis puellis, quæ tantum in quinto gradu conjunctæ sint, in *Ferrarien. Subsidiorum Dotabilium* 26. *Januarii pag. 11.*

Alienandi causa portionem Bonorum inter Concanonicos divisorum, nec non ejusdem pretium investiendi concessum Beneplacitum Apostolicum confirmavit Sacra Congregatio, quæ ulterius modum adiecit, nempe cum obligatione conficiendi rein vestimentum pretii scutorum 800. in bonis liberis raris, & fructiferis ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenariis, & anno, vel quatenus pretium non solvatur cum obligatione solvendi per Empiorem fructus recompensativos ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenariis, & anno, & cum reservatione dominii usque ad solutionem integri pretii, & cum solitis clausulis; ut in eadem *Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici* 13. *Julii pag. 97.*

Alienandi Domum, quoad facultatem a Patrono petitam, rescriptit Sacra Congregatio ad mentem, ut in *Derthonen.* 3. *Augusti ad III. dub. pag. 114. & seqq.*

Vid. sub verb. *Aedes.*

Alienigena Presbyter. Vid. *Presbyter alienigena.*

Ampliationi Indulti pontificii retinendi aperam fenestram prospicientem in Ecclesia taxative largiti, & per obitum Indultarii expirati, locum non esse respondit Sacra Congregatio in *Firmana Servitutis* 8. *Junii pag. 83. & seqq.*

Annona ad certam quantitatem annuatim tradendam rectè compulsam fuisse Administratorem ab Antistite loci censuit Sacra Congregatio approbando illius decretum in actu visitationis laicum, & rescindendo sententiam Syndicatoriam eundem absolventem in *Terracinen.* & *Privernen.* 3. *Augusti pag. 105.*

Antistes quicumque, utrum tempore Sedis Episcopalis vacantis conferre Ordines valeat Religiosis degentibus in Diocesi, ubi vacat Sedes, cum dimissorialibus literis suorum Prælatorum, & attestatione Vicarii Capitularis, testantis de vacatione prædictæ Sedis, nihil retolvens Sacra Congregatio, mandavit, ut exhiberentur decreta annorum 1619. 24. *Augusti*, & 20. *Julii 1775.*, facto verbo cum Sanctissimo, ut in *Tirafanen. Visitationis Sacrorum Liminum* 13. *Julii pag. 96. & seqq.*

Antistiti visitanti Ecclesias Diocesis suæ, & Sacramentum Confirmationis administranti vetuit Sacra Congregatio, ne aliquid exigeret a Communitatibus procurationis causa, quacumque consuetudine in contrarium non obstante *Ferentina Visitationis Sacrorum Liminum*

missum 20. Aprilis pag. 47.

Antistitis decretum, quo cum vetuit Canonicum ascendere ad Sacros Ordines, approbavit Sacra Congregatio in *Tirafonen. Ordinum 26. Januarii pag. 2. ad I. dub.*

Censuit tamen, eidem posse Ordines conferre, juxta ejus arbitrium, & conscientiam *ibid. ad II. dub.*

In actu visitationis latum, quo cum compulsus fuerit Administrator rei frumentariæ ad tradendam annuatim certam quantitatem Annonæ, approbavit Sacra Congregatio, reiiciendo sententiam Syndicatoris eundem absolventem, ut in *Terracinen. & Privernen. 3. Augusti pag. 105.*

Præceptum, utcumque extrajudicialiter injunctum, & renovatum Sacerdoti sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ, ne discederet a Civitate, nisi prius onus Missarum non celebratarum impleret, & de adimplimento rationem redderet, validum fuisse resolvit Sacra Congregatio, ita ut ejus violatorem Presbyterum in irregularitatem incidisse, in *Savonen. 14. Septembris ad I. dub. pag. 143. & seqq.*

Apostolicæ litteræ in decernendo, num sustineri debeant, dilata Causæ resolutione, jussit Sacra Congregatio, ut scriberetur Episcopo, juxta votum R. P. D. Secretarii in *Brixinorien. Congruæ 14. Decembris pagin. 132. & seqq.*

Apostolicarum Litterarum expeditio pro admissione ad Parochialem Ecclesiam concessa fuit alteri ad eam concurrenti, etsi secundo loco delecto, tanquam eidem jam provisa Parochia a Sancta Sede Apostolica in *Liburina Parochialis 26. Januarii pag. 3. & seqq.* quam Sacra Congregatio confirmavit in *eadem 23. Februarii pag. 11.*

Apostolicum Beneplacitum. Vid. *Beneplacitum Apostolicum.*

Apostolicum Privilegium; Vid. *Privilegium Apostolicum.*

Appellatio ab irrationabili judicio Episcopi a Sacerdote interposita pro adjudicanda sibi Ecclesia Parochiali, rejecta fuit a Sacra Congregatione in *Liburtina Parochialis 26. Januarii pag. 3. & confirmata in eadem 23. Februarii pag. 17.*

Applicandam esse pro Benefactoribus Missam Conventualem Dominicis, & diebus festis de præcepto, aliisque designatis, exceptis ferialibus, in quibus ad eam tantum canendam, juxta votum Episcopi, teneri Canonicos Ecclesiæ Parochialis, ad instar Collegialitatis erectæ, edixit Sacra Congregatio in *Terracinen. & Setina Servitii Chori, & Missæ Conventualis 23. Novembris ad I. dub. pag. 161.*

Cujus oneris ulteriorem reductionem abnegavit, non obitante præbendarum exiguitate, *ibid. ad II. dub.*

Applicari posse Seminatio indigenti aliqua fru-

ctuum rata, qui supersint Hospitali alias censuit Sacra Congregatio, quæ tamen recedendo a decisis, præscripsit, nihil esse præstandum ab Hospitali Seminario, ac insuper injunxit Episcopo, ut omnino incumbat executioni piæ voluntatis Fundatorum, & Benefactorum Hospitalis: nec non certiorum redderet eam de adimplimento, ut in *eadem Eugubina Applicationis 20. Aprilis pag. 43. & seqq.*

Applicationem Missarum Conventualium reducendam esse ad dies festos de præcepto resolvit Sacra Congregatio in *Ilinen. 14. Septembris pag. 129.*

Archiconfraternitati S. Rocchi Civitatis Anconitane redactum fuit onus Missarum ad numerum ab Antistite insinuatum, ob diminutionem reddituum, ut in *Anconitana Missarum 20. Aprilis ad I. dub. pag. 48.*

Jussit verò Sacra Congregatio, ut pro tempore antea, quo celebratæ Missæ non fuerant, celebrarentur centum unica vice, facto verbo cum Sanctissimo pro absolutione *ibid. ad II. dub.*

Archipresbytero Congrua in qua summa assignari debeat in decernendo, dilata dubii resolutione, jussit Sacra Congregatio, ut scriberetur Episcopo, juxta votum R. P. D. Secretarii in *Brixinorien. Congruæ 14. Decembris pag. 182. & seqq.*

Archivo in proprio Confraternitatis asservari, & custodiri debent omnes libri, scripturæ, & monumenta ad eam spectantia, ad numerum Ordinarii loci, edixit Sacra Congregatio in *Ferrarien. Confraternitatis 14. Septembris ad IX. dub. pag. 130. & plur. seqq.*

Ascensum ad Sacros Ordines ab Episcopo denegatum Canonico, approbavit Sacra Congregatio in *Tirafonen. Ordinum 26. Januarii pag. 2. ad I. dub.*

Censuit tamen; eidem posse conferre, juxta ejus arbitrium, & conscientiam *ibid. ad II. dub.*

Ad Sacrum Ordinem Subdiaconatus validum fuisse pronuntiavit in *Poznanien. 11. Maii ad I. dub. pag. 63.*

Inclinavit tamen pro dispensatione, facto verbo cum Sanctissimo, *ibid. ad II. dub.*

Quam resolutionem confirmavit in *eadem 15. Julii pag. 95.*

Augustiniani Fratres cujusdam Conventus postmodum suppressi, teneri adhuc satisfacere onera a Testatore demandata, rescripsit Sacra Congregatio in *Placentina Legati Pii ad II. dub. pag. 169. & seqq.*

Nempe quoad Anniversaria, in eorum Ecclesia, servata forma fundationis; quo vero ad Missas quotidianas celebrandas eas esse per Cappellanum ab iisdem Religiosis deputandum in nova Parochia e suppresso Conventu erecta *ibid.*

Propter quod Pontificium resciptum, quo eis impertiebatur facultas, ut immunes eva-

derent à satisfactione onerum, & restituendi, siue cedendi vel hæredibus defuncti, vel prædictæ novæ Parochiæ quidquid consequenti erant, & adhuc consequi debebant, exequendum non esse censuit *ibid. ad I. & III. dub.*

Nec locum esse reductioni Missarum respondit *ibid. ad IV. dub.*

B

Beneficia curata, hoc est cum Animarum cura, sicuti Dignitates, & Canonicatus in Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus obtinentes, satisfacere præcepto Tridentini sels. 24. cap. 12. de refor., si professionem Fidei emittant ante possessionem, annuit Sacra Congregatio in *Tirafonen. Visitationis Sacrorum Liminum 11. Maii ad I. dub. pag. 63. & seqq.*

Eos autem, qui distulerunt professionem eandem explere intra primum bimestre à die possessionis dimittendum, fructibus dicti bimestris decursis non privati resolvit *ibid. ad primam partem II. dubii.*

Privari tamen censuit à die elapsi dicti bimestris *ibid. ad secundam partem dicti II. dubii.*

Beneficia residentialia duo retinendi indultum, & consequenter ab una ex Ecclesiis abessendi, sub conditione adimplendi per alium Sacerdotem munia, per summaria precum alias Beneficiato denegatum, confirmavit Sacra Congregatio in *Montis Alti. Dispensatis 14. Septembris pag. 119.*

Beneficiatos non teneri, sed Patronos ad restitutionem Cappellarum Patronalium Ecclesiæ Parochialis, sub poena amissionis juris nominandi, ex resolutis in *Firmana. Suspensionis Onerum Missarum 14. Decembris pag. 181.*

Reliqua vid. *Missarum onerum suspensio.*
Beneficiatos una cum Clericis Beneficiatis Lauretanae Ecclesiæ Cathedralis teneri contribuire ad expensas litis necessarias pro commutatione horarii ad psallendum in Choro, demandavit Sacra Congregatio in *Laurentina Horarii 8. Junii ad II. dub. pag. 82. & seqq.*

Beneficiatum, seu Rectorem Ecclesiæ teneri implere onera censuit Sacra Congregatio in *Parmen. 26. Januarii ad I. dub. pag. 5. & seqq.*

Non obstantem concordiam ipsam inter, & Sodales Confraternitatis celebrata, defectu consensus Patroni, & Beneplaciti Apostolici *ibid. ad secundam partem dicti I. dubii.*

Reductionem Missarum ob reddituum tenuitatem a Rectore Ecclesiæ, vel a Confraternitate petitam, denegavit Sacra Congregatio præcipiens, ut Beneficiatus supplicaret *ibid. ad II. dub.*

Beneplacitum Apostolicum indultum pro venditione, & investimento pretii rare unius Domi inter Concannonicos divite confirmavit Sacra Congr., quæ præterea motum explicavit, nempe: *cum obligatione conficiendi reinvestmentum pretii scutor. 870. in bonis liberis tuis, & fructiferis ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenari, & anno, vel quatenus pretium non solvatur cum obligatione solvendi per Emptorem fructus re-compensativos ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenari, & anno, & cum reservatione domini usque ad solutionem integri pretii, & cum solitis clausulis: ut in eadem Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici 13. Julii pag. 97.*

Bimestri primi fructibus decursis non privati eos, qui, obstructi ad professionem Fidei emittendam, distulerunt istam explere intra dictum bimestre resolvit Sacra Congregatio in *Tirafonen. Visitationis Sacrorum Liminum 12. Maii ad primam partem II. dubii pag. 63. & seqq.*

Privari tamen voluit ex post decurrendis *ibid. ad secundam partem dicti II. dubii.*

Reliqua vid. sub verb. *Fidei professio.*

Bonorum inter Concannonicos divitorum pro venditione, & investimento pretii unius rare Beneplacitum apostolicum, jam indultum, confirmavit in eadem Nullius Sublacen. Beneplaciti Apostolici 13. Julii pag. 97.

Vid. *Beneplacitum Apostolicum.*

Bonorum redditus intuitu Sanctissimi Sacramenti à Confraternitate acquisiti, erogari debent in expensis necessariis pro cultu ejusdem Sacramenti, si deficient questus sive a Parocho, sive a Confraternitate in hanc causam faciendæ, & quatenus non sufficient, erogari debent in subsidium redditus ipsius Parochiæ, ex resolutis in *Ferrarien. Confraternitatis 14. Septembris ad III. dub. pag. 130. & plur. seqq.*

C

Camerarius Canonicus. Vid. *Canonicus Camerarius.*

Campanas quoad tempus pulsandi in Oratorio Confraternitatis sub titulo Sanctissimi Sacramenti in Oppido Boudeni Diocesis Ferrariensis canonicæ erectæ, Sacra Congregatio ablegavit arbitrio Archiepiscopi, ut in *Ferrarien. Confraternitatis 14. Septembris ad X. dub. pag. 130. & plur. seqq.*

Canonicæ horæ. Vid. *Horæ Canonicæ.*

Canonicatus, vel dignitates obtinentes in Metropolitanis Ecclesiis, vel Cathedralibus satisfacere præcepto Tridentini sels. 24. cap. 12. de refor., si professionem emittant ante possessionem, licet post institutionem, seu collationem, censuit Sacra Congregatio in *Tirafonen. Visitationis Sacrorum Liminum*

17. *Maii ad I. dub. pag. 63.*

Reliqua vid. sub verb. *Fidei professio.*

Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Civitatis Firmi in decernendo an omnes & singuli teneantur contribuere pro expensis utensilium Parochialium, seu potius ad eas solummodo teneantur Prior, & Subprior curam Animarum gerentes, nihil resolvens Sacra Congregatio, mandavit eidem Priori praefigi terminum ad deducenda jura sua in Sacra Congregatione, ut in *Firmana 8. Junii ad VII. dub. pag. 81. & seqq.*

Canonici Ecclesiarum Cathedralium indulgetur venia abessendi a servitio Chori etiam tempore Adventus, & Quadragesimae, si ex diuturna consuetudine servatum id fuerit, & peculiariis circumstantiis suaderent, ex resolutis in *Ferentina Servitii Chori 3. Augusti pag. 117. & seqq.*

Cathedralis Ecclesiae Ilcinenfis concessum fuit indulgentiam reductionis applicationis Missae Conventualis ad dies festos tantum de precepto, ut in *Ilcinen. 14. Septembris pag. 129.*

Canonici, & Capitulo Collegiatae insignis interessentibus Congregationibus Casuum moralium, & Sacrorum Rituum competere primum locum a sinistris Episcopi, sancivit Sacra Congregatio in *Fulginatens. Praeeminentiarum 14. Decembris pag. 192. & seqq.*

Canonici S. Mariae in Caelum Assumptae Terrae Anquillarum, quos teneri singulis diebus Choro intervenire alias resolutum, restatum dein fuit servitium ad omnes dies festos de precepto, Adventus, & Quadragesimae cum rota octava Paschalis, atque etiam ad totas Octavas Sanctissimi Corporis Christi, & festi Assumptionis Beatae Mariae Virginis, salvis aliis functionibus, juxta elenchum exhibitum, ut in *eadem Sutrina Officiariae 23. Februarii pag. 16.*

Illis Collegiatae Ecclesiae Civitatis Firmi mandavit Sacra Congregatio servare Constitutionem Synodi anni 1660. tam quoad Confessiones excipiendas ab eis curam Animarum adnexam habentibus tam quoad alias functiones Parochiales diebus festivis, & ferialibus hora divinorum Officiorum explendas in *Firmana 8. Junii ad II. dub. pag. 81. & seqq.*

Nec non eos curam Animarum exercentes teneri incolere aedes adnexas eidem Ecclesiae, aliisque eas locare vetitos edixit *ibid. ad III. dub.*

Sicuti quoque praescripsit vilia quaedam in iisdem aedibus non exerceri, nec sordida retineri, ad normam decreti Archiepiscopi in actu Visitationis promulgati *ibid. ad IV. dub.*

Cujus alterum adfirmavit, quo vetitum erat Canonici, ne in superiori Cubiculo diebus festivis, & mensibus aetivis horae Canonicae persolverentur *ibid. ad V. dub.*

Laurentinae Ecclesiae Cathedralis horarium pro psallendo in Choro dudum praetinitum, immutari posse, sic suadente illorum majori incommodo, indulgit Sacra Congregatio, ac servari quoque jussit resolutionem ab ipsis captam anni 1774., circa quam, si quid erit innovandum, consultam esse voluit, ut in *Laurentana Horarii 8. Junii ad I. dub. pag. 82. & seqq.*

Beneficiarios, & Clericos ejusdem Cathedralis demandavit teneri contribuere ad expensas litis pro commutatione Horarii obtinenda necessarias *ibid. ad II. dub.*

Canonico denegatum ab Episcopo ascensum ad Ordines Sacros adprobavit Sacra Congregatio in *Tirafonen. Ordinum 26. Januarii pag. 2. ad I. dub.*

Censuit tamen, posse eidem conferre juxta suum arbitrium, & conscientiam *ibid. ad II. dub.*

Petenti reductionem Missarum ob tenuitatem reddituum, ex gratia indulgit Sacra Congregatio, adjecto opere residendi in Ecclesia, juxta votum Episcopi in *Placentina 23. Februarii pag. 15.*

Canonico, qui spatio quadraginta annorum Ecclesiae laudabiliter intervixit, jubilacionem competere sancivit Sacra Congregatio in *Narnien. Jubilacionis 3. Augusti pag. 105.*

Etiamsi per decennium abluerit a servitio Ecclesiae, quia ex necessitate, non ex voluntate id evenisse dixit *ibid.*

Idem resolvens, rejecit condiciones a Capitulo propositas, nempe ut jubilatus Canonici, ad instar aliorum de gremio, hebdomadam faceret, & de fallentis alienis particeps non fieret in *Civitate Plebis Jubilacionis 23. Novembris pag. 170. & seqq.*

Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis Civitatis Firmi in singulos an repartiri debeant annuatim jus perpetuum convocandi Capitulum, seu potius competere Priori dictae Collegiatae Ecclesiae in decernendo, nihil resolvens Sacra Congregatio, mandavit praefigi terminum eidem Priori ad deducenda jura sua in Sacra Congregatione, sicuti habetur in *Firmana 8. Junii ad I. dub. pag. 81. & seqq.*

Teneri ad servandam constitutionem Synodalem anni 1660. tam quoad Confessiones excipiendas ab eis, qui curam Animarum adnexam habent, quam quoad alias functiones Parochiales diebus festivis, & ferialibus hora divinorum Officiorum explendas *ibid. ad II. dub.*

Eos curam Animarum exercentes teneri incolere aedes adnexas Ecclesiae praedictae, aliisque eas locare vetitos edixit *ibid. ad III. dub.*

Sicuti quoque prohibuit, inibi vilia exerceri, ac sordida retineri, ad normam decreti Archiepiscopi in actu Visitationis promulgati *ibid. ad IV. dub.*

- Cujus alterum decretum adfirmavit, quod cum vetitum erat Canonicis, ne in superiori Cubiculo diebus festis, & æstivis mensibus persolverentur horæ Canonice *ibid. ad V. dub.*
- Canonicos Ecclesie Parochialis, ad instar Collegialitatis erectæ, teneri ad servitium Chori, & Missam Conventualem applicandam pro Benefactoribus Dominicis, & diebus festis de præcepto, aliisque designatis, exceptis ferialibus, in quibus teneri tantum ad eam canendam, juxta votum Episcopi, resolvit Sacra Congregatio in *Terracenen.*, & *Serina Servitii Chori*, & *Missæ Conventualis* 23. *Novembris ad I. dub. pag. 161.*
- Propter quod locum non est ulteriori reductioni dictorum onerum, non obstante Præbendarum exiguitate, respondit *ibid. ad II. dub.*
- Canonicos in minoribus constitutos, & de massa grossa participantes teneri Officium divinum singulis diebus recitare, resolvit Sacra Congregatio in *Fulden. Visitationis Sacrorum Liminum* 3. *Augusti pag. 106.* & *seqq.*
- Canonicum Camerarium, seu Depositarium pro tempore Ecclesie Collegiæ S. Michaelis Civitatis Firmi prohiberi, absque assensu Capituli, expensas quascunque erogare, etiam sub prætextu, quod extraordinariæ sint, præter obulos quinquaginta, sancivit Sacra Congregatio in *Firmana*, 3. *Junii ad VI. dub. pag. 81.*, & *seqq.*
- Capitularia officia Collegiæ Ecclesie S. Michaelis Civitatis Firmi quolibet anno mutanda esse, seu renovanda in Comitibus Capitularibus ad id specialiter habendis, præcepit Sacra Congregatio, juxta decretum visitationis editum 11. *Maii 1781.*, in *Firmana* 8. *Junii ad VIII. dub. pag. 81.* & *seqq.*
- Capituli conditiones propositas, quoad jubilationem unius Canonici, qui deservivit Ecclesiam continuo, & laudabiliter per quadraginta annos, rejecit Sacra Congregatio in *Civitatis Plebis jubilationis* 23. *Novembris pag. 170.*, & *seqq.*
- Capitulo, & Canonicis Collegiæ insignis interessentibus Congregationibus Casuum moralium, & Sacrorum Rituum primum locum competere a sinistris Episcopi sancivit Sacra Congregatio in *Fulginaten. Præminentiarum* 14. *Decembris pag. 192.*, & *seqq.*
- Capitulum Collegiæ Ecclesie S. Michaelis Civitatis Firmi jus perpetuum convocandi in discernendo; utrum comperat Priori dictæ Ecclesie, seu potius repartiri debeat idem jus annuatim in singulos Canonicos, nihil resolvens Sacra Congregatio, mandavit præfigi terminum eidem Priori ad deducenda jura sua in Sac. Congregatione, sicuti habetur in *Firmana* 8. *Junii ad I. dub. pag. 81.*, & *seqq.*
- Absque ejus assensu, prohiberi Canonicum Camerarium expensas quascunque erogare etiam sub prætextu, quod extraordinariæ sint, præter julia quinque, sancivit Sacra Congregatio *ibid. ad VI. dub.*
- Capitulum Ecclesie Cathedralis Ferentinæ teneri intervenire Choro juxta solitum, excepto nempe tempore Adventus, & Completorio tempore quadragesimali, ob diuturnam consuetudinem, & peculiare circumstantias in casu concurrentes, resolvit Sacra Congregatio in *Ferentina Servitii Chori* 3. *Augusti pag. 117.*, & *seqq.*
- Capitulum Lauretanæ Ecclesie Cathedralis posse immutare horarium pro psallendo in Choro dudum præfixitum, sic suadente illorum majori incommodo, indulgit Sacra Congregatio, ac servari quoque jussit resolutionem a Canonicis captam anni 1774., circa quam, si quid erit innovandum, consultam esse voluit, ut in *Lauretana Horarii* 8. *Junii ad I. dub. pag. 82.*, & *seqq.*
- Beneficiatos, & Clericos ejusdem Cathedralis teneri contribuere ad expensas litis, pro commutatione horarii obtinenda, necessarias *ibid. ad II. dub.*
- Cappellania adjudicari denegavit Sacra Congregatio Sacerdoti a Fundatrice delecti cum qualitate, ut oriundus & subditus esset, sed potius loco illius sustineri censuit nominatio a Patrono facta alterius in subditum adlocuti, in *Veliterna Cappellanie* 23. *Februarii pag. 16.*
- Cappellania utrumque Laicalis retineri nequit ab eo, qui promotus fuit ad dignitatem Episcopalem, quatenus onus infixum habeat celebrandi per se ipsum, ut sancitum fuit in *Firmana Cappellania* 16. *Martii ad I. dub. pag. 49.*
- Delectionem alterius Cappellani ab aliis quibus ex Patronis factam, tanquam validam adprobavit *ibid. ad primam partem II. dubii.*
- Improbavit autem alteram a reliquis Patronis secundo loco expletam *ibid. ad secundam partem dicti II. dubii.*
- Primo autem delecto Cappellano præcepit Sacra Congregatio, ut infra terminum duotum mensium accederet ad Cappellaniam, inibique per se ipsum celebraret *ibid. ad II. dub.*
- Quam resolutionem confirmando Sacra Congregatio, ablegavit preces novi Cappellani D. Secretario cum Sanctissimo, ut in *eadem* 13. *Julii pag. 93.*
- Cappellaniæ favore ad effectum investiendi, ut deponeretur in Aede Sacra pretium retrahendum ex venditione Domus oneri Missarum subjectæ, casu quo restaurari non possit, prævia Edictorum affixione, non pronubendis Filiabus Patroni, sicuti ipse postulabat, mandavit Episcopo Sacra Congregatio in *Derthonen.* 3. *Augusti ad III. dub.*

dub. pag. 114. & seqq.

Vid. sub verb. *Ædes.*

Cappellano redactum fuit Missarum onus. ob tenuitatem reddituum, cum obligatione residendi in Ecclesia, juxta votum Episcopi ut in *Placentina* 23. *Februarii pag. 15.*

Cappellanus a Fundatrice delectus cum qualitate, ut oriundus, & subditus esset, rejectus fuit, ac loco illius sustineri censuit Sacra Congregatio nominatio a Patrono facta alterius in subditum adlecti in *Veliterna Cappellania* 23. *Februarii pag. 16.*

Carcerationem ob sequutam alterius ex sodalibus Confraternitatis sub titulo Sanctissimi Sacramenti in Oppido Bondeni Ferrariensis Diocesis, canonice erectæ, refectionem damnorum ab ipso passorum abnegavit Sacra Congregatio in *Ferrariensis Confraternitatis* 14. *Septembris ad VIII. dub. pag. 130. & plur. seqq.*

Catum moralium, & Sacrorum Rituum, congregationibus interessentibus Capitulo, & Canonicis insignis Collegiæ primum locum a sinistris Episcopi competere sancivit Sacra Congregatio in *Fulginatensis Præminentiarum* 14. *Decembris pag. 192. & seqq.*

Cathedralibus in Ecclesiis dignitates, seu Canonicatus obtinentes satisfaciunt præcepto Tridentini sess. 24. cap. 12. de reformatione, si professionem Fidei emittant ante possessionem, licet post institutionem, seu collationem, sancitum fuit in *Tirajonensis Visitationis Sacrorum Liminum* 11. *Maii ad I. dub. pag. 63. & seqq.*

Reliqua vid. sub verb. *Fidei professio.*

Cathedralis Ecclesia Cerviæ distribuere non valet Sacram Synaxim tempore Paschatis Parochianis Villæ Castilionis. sine licentia proprii Parochi, ex resolutis in *Cervien.* 16. *Marii pag. 31. & seqq.*

Cathedralium Ecclesiarum Canonicis indulgeri potest facultas abessendi a Choro etiam tempore Adventus, & Quadragesimæ, si ex diuturna consuetudine servatum id fuerit, & peculiare circumstantiæ suaderent, ex resolutis in *Ferentina Servitii Chori* 3. *Augusti pag. 117. & seqq.*

Catholica Fides. Vid. *Fides Catholica.*

Causæ legitimæ & rationabilis defectus reddidit invalidam, & irritam unionem Ecclesiæ factam, ut in *Firmana Unionis* 16. *Marii pag. 29. & in eadem* 23. *Novembris pag. 62.*

Reliqua vid. *Unio.*

Causæ rationabilis ob defectum abnegata fuit translatio oneris Missarum in *Firmana Translationis Oneris Missarum* 3. *Augusti pag. 110. & seqq.*

Cujus abnegatio confirmata extitit in *eadem* 14. *Decembris pag. 192.*

Celebrationis Missarum onus in Oratorio, seu Ecclesia *del Poggio* nuncupata Anconitanæ Diocesis constare in numero ab Eminenti-

simo Episcopo insinuatæ, respondit Sacra Congregatio in *Anconitana* 13. *Julii ad I. dub. pag. 96.*

Earundem Missarum reductioni locum non esse censuit *ibid. ad II. dub.*

Quoad tempus ejusdem in Oratorio Confraternitatis sub titulo Sanctissimi Sacramenti in Oppido Bondeni Diocesis Ferrariensis faciendæ, ablegavit arbitrio Archiepiscopi, ut in *Ferrariensis Confraternitatis* 14. *Septembris ad x. dub. pag. 130. & plur. seqq.*

Chorales vacationes. Vid. *Vacationes chorales.*

Chori a servitio venia abessendi indulgetur Canonicis Cathedralium etiam tempore Adventus, & Quadragesimæ, si ex diurna consuetudine servatum id fuerit, & peculiare circumstantiæ suaderent ex resolutis in *Ferentina Servitii Chori* 3. *Augusti pag. 117. & seqq.*

Chori Horarium pro psallendo Canonicis Lauretanæ Ecclesiæ Cathedralis dudum præfinitum, immutari posse, sic suadente majorum illorum incommodo, indulget Sacra Congregatio; ac servari quoque jussit resolutionem ab ipsis captam anni 1774., circa quam, si quid erit innovandum, consultam esse voluit, ut in *Lauretana Horarii* 8. *Junii ad I. dub. pag. 81. & seqq.*

Pro qua obtinenda ad litis expensas necessarias contribuere Beneficiatos, & Clericos beneficiatos ejusdem Capituli demandavit *ibid. ad II. dub.*

Chori servitium præstari debere a Canonicis Ecclesiæ Parochialis, ad instar Collegiataris erectæ, Dominicis, & diebus festis de præcepto, aliisque designatis, juxta votum Episcopi, edixit Sacra Congregatio in *Terracinen.*, & *Setina Servitii Chori*, & *Misise Conventualis* 23. *Novembris ad I. dub. pag. 161.*

Cujus oneris reductionem denegavit, non obstante allegata Præbendarum exiguitate *ibid. ad II. dub.*

Chori servitium, quod continuum pro Canonicis Ecclesiæ S. Mariæ in Cælum Assumptæ Terræ Anguillare aliàs resolutum, redactum dein fuit ad omnes dies festos de præcepto, Adventus, & Quadragesimæ, cum tota octava Paschatis, atque etiam ad totas Octavas Festivitatibus Sanctissimi Corporis Christi, & Festi Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, salvo aliis functionibus, juxta elenchum exhibitum, ut videre est in *eadem Sutrina Officiatura* 23. *Februarii pag. 16.*

Choro in exteriori Collegiata Ecclesiæ S. Michaelis Civitatis Firmi omnino recitari debere horæ Canonicæ præcepit Sacra Congregatio, ad normam decreti Archiepiscopi in actu visitationis promulgati, quo cum prohibebatur Canonicis, ne illæ persolverentur saltem diebus festis, ac æstivis mensibus

- fibus in quodam superiori Cubiculo prædica-
 & Ecclesiæ, in *Firmana* 8. Junii ad *V. dub.*
pag. 31. & seqq.
- Abessendi ob servitium per quadraginta
 annos a Canónico laudabiliter præstitum,
 facultatem eidem competere fancivit Sacra
 Congregatio in *Narnien. Jubilationis* 3. *Augu-*
gusti pag. 105.
- Nulla curata decennali absentia, quia
 perspectum habuit, id evenisse ex necessi-
 tate, non autem ex voluntate *ibid.*
- Chr. sma conferens Ordinarius in visitatione
 Ecclesiarum Diocæsis suæ nil exigere debet
 a Communitatibus procurationis causa,
 quacumque contraria consuetudine non ob-
 stante, *Ferentina Visitationis Sacrorum Lim-*
inum 20. *Aprilis pag. 47.*
- Circumstantiæ peculiare, quæ suadent abes-
 sendi a servitio Chori tempore Adventus,
 & Quadragesimæ, observari possunt a Ca-
 nonicis Ecclesiarum Cathedralium, ex reso-
 lutionis in *Ferentina Servitii Chori* 3. *Augusti*
pag. 117. & seqq.
- Clausuræ fenestras potius, quàm ampliati-
 onem retinendi eam apertam prospicientem
 in Ecclesia taxativè largiti, ob mortem in-
 dultarii expirati, locum esse censuit Sacra
 Congregatio in *Firmana Servitutis* 8. *Junii*
pag. 85. & seqq.
- Clericos Beneficiatos, sicuti Beneficiatos ip-
 sos Capituli Lauretanae Ecclesiæ Cathedra-
 lis teneri contribuere ad litis expensas, ne-
 cessarias pro obtinenda commutatione hora-
 rii ad psallendum in Choro, demendavit
 Sacra Congregatio in *Lauretana Horarii* 8.
Junii ad II. dub. pag. 82. & seqq.
- Clero inferiori competere vacationes chora-
 les ad tempus, arbitrio Ordinario præsi-
 niendum, quæ indulgentur Canonicis, ac
 aliis superioris Cleri, innuit Sacra Con-
 gregatio in *Viglevanen.* 23. *Februarii pag.*
17. & seqq.
- Sicuti quoridianas distributiones vacatio-
 nis tempore *ibid.*
- Cognatio Spiritualis an contracta nec nè fuis-
 set per eum, qui levavit Infantem è Sacro
 Fonte, jam antea Domi baptizatum ob im-
 minens mortis periculum, non definivit Sa-
 cra Congregatio, sed rem ablegavit D. Sec-
 retario cum Sanctissimo, ut in *Ventimilien.*
Cognationis Spiritualis 13. *Julii pag. 97.*
- Collatio Sacrorum Ordinum Vid. *Ordinum*
Sacrorum collatio.
- Collector. Vid. *Administrator.*
- Collegialitatis ad instar Parochialis Ecclesiæ
 erectæ Canonicos teneri ad servitium Cho-
 ri, & Missam Conventualem applicandam
 pro Benefactoribus Dominicis, & diebus
 festis de præcepto, aliisque designatis, ex-
 ceptis ferialibus, in quibus teneri tantum
 ad eam canendam, juxta votum Episcopi,
 resoluit Sacra Congregatio in *Terracinen.*
 & *Setina Servitii Chori, & Missæ Conven-*
- tualis* 23. *Novembris ad I. dub. pag. 161.*
- Propter quod locum non esse ulteriori re-
 ductioni dictorum onerum, non obstante
 Præbendarum exiguitate, respondit *ibid.*
ad II. dub.
- Collegiatae Ecclesiæ S. Michaelis Civitatis Fir-
 mi jus perpetuum convocandi Capitulum in
 decernendo, an Priori competat, seu pot-
 tius repartiri annuatim debeat in singulos
 Canonicos, nihil resolvens Sacra Congre-
 gatio, mandavit præfigi terminum eidem
 Priori, ad deducenda jura sua in Sacra
 Congregatione, veluti habetur in *Firmana*
8. Junii ad I. dub. pag. 31. & seqq.
- Illius Canonicis edixit servandam esse
 Constitutionem Synodalem Firmanam anni
 1660. tam quoad confessiones excipiendas
 ab iis curam Animarum adnexam habenti-
 bus, quàm quoad alias functiones Parochia-
 les diebus festivis, & ferialibus hora Divi-
 norum Officiorum explendas *ibid. ad II.*
dub.
- Nec non præcepit iis curam Animarum
 exercentibus teneri incolere ædes adnexas
 Ecclesiæ ejusdem, nec aliis locare posse
ibid. ad III. dub.
- Improbavit dein vilia quædam in eisdem
 ædibus exerceri, & sordida retineri, ad
 normam decreti Archiepiscopi in actu visi-
 tationis promulgati *ibid. ad IV. dub.*
- Collegiatae insignis Capitulo, & Canonicis
 interessentibus Congregationibus Casuum
 moralium, & Sacro-um Rituum primum
 locum competere a sinistris Episcopi fanci-
 vit Sacra Congregatio in *Fulginaten. Prac-*
minentiarum 14. *Decembris pag. 192. &*
seqq.
- Communio Paschatis fieri debere a Parochia-
 nis Villæ Castilionis in eorum Paræcia cen-
 suit Sacra Congregatio in *Cervien.* 16. *Mar-*
tii pag. 31. & seqq.
- Non autem in Cathedrali Ecclesia *ibid.*
- Communitates nil persolvere debent, ex cau-
 sa procurationis, Ordinario proprio in visi-
 tatione Ecclesiarum suæ Diocæsis, & ad-
 ministratione Sacramenti Confirmationis,
 quacumque contraria consuetudine non ob-
 stante *Ferentina Visitationis Sacrorum Limi-*
num 20. *Aprilis pag. 47.*
- Commutatione voluntatis Fundatorum in de-
 cernenda, dilata Causæ resolutione, jussit
 Sacra Congregatio afferendas esse eorun-
 dem dispositiones in *Fulginaten. Applicatio-*
nis 26. *Januarii pag. 1.*
- Commutationem horarii pro psallendo in Cho-
 ro dudum præfinito licere Canonicis Laure-
 tanae Ecclesiæ Cathedralis, sic suadente il-
 lorum majori incommodo, indulgit Sacra
 Congregatio, ac servari quoque jussit reso-
 lutionem ab ipsis captam anno 1774. circa
 quam, si quid erit innovandum, consultam
 esse voluit, ut in *Lauretana Horarii* 8. *Junii*
ad I. dub. pag. 32. & seqq.

- Pro quâ obtinenda , ad litis expensas necessarias teneri contribuere Beneficiatos , & Clericos Beneficiatos ejusdem Capituli demandavit *ibid. ad II. dub.*
- Computum dati , & accepti cum suis juribus , & documentis ab Administratore per insolite exhibitum , respuit Sacra Congregatio in *Sutrina 16. Martii ad III. dub. pag. 30.*
- Reliqua vid. *Administrator.*
- Concordia inita inter Rectorem Ecclesiæ , seu Beneficiatum , & Sodales Contraternitatis , ut ab istis impleantur onera , invalida declarata fuit ex defectu ejus solemnium in *Parmen. 26. Januarii ad secundam partem I. Dubii pag. 5. & seqq.*
- Ita ut reductionem Missarum ob reddituum tenuitatem per Contraternitatem petitam , denegavit Sacra Congregatio præcipiens , ut Beneficiatus supplicaret *ibid. ad II. dub.*
- Quæ omnia confirmavit in *eadem 23. Februarii pag. 17.*
- Conditiones a Capitulo propositas quoad jubilationem anni Canonici , qui deservivit Ecclesiæ laudabiliter , & continuo per quadraginta annos , rejecit Sacra Congregatio in *Civitate Plebis Jubilationis 23. Novembris pag. 170. & seqq.*
- Conferens Sacramentum Confirmationis Ordinarius in visitatione Ecclesiarum Diocesis suæ nil exigere potest a Communitatibus procuracionis causa , quacumque contrariâ consuetudine non obstante *Ferentina Visitationis Sacrorum Limum 20. Aprilis pag. 47.*
- Confessiones Sacramentales Fidelium , quoad tempus audiendi , in Oratorio Contraternitatis sub titulo Sanctissimi Sacramenti canonice erectæ in Oppido Bondeni Diocesis Ferrariensis , Sacra Congregatio ablegavit arbitrio Archiepiscopi , ut in *Ferrariens. Contraternitatis 14. Septembris ad x. dub. pag. 130. & plur. seqq.*
- Confirmatio , vel restitutio translationi Parochiæ aliis indulgæ , antequam decerneretur , jussit Sacra Congregatio , ut scriberetur Episcopo , juxta instructionem R. P. D. Secretarii in *Briſſinorien. Translationis Ecclesiæ Parochialis 14. Decembris ad I. dub. pag. 137. e & seqq.*
- Contraternitates Laicorum habere dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis , ad formam resolutionis Sacræ Congregationis Rituum anni 1703. ad I. , & II. dub. , ita ut Parochus , præter jus parochiale , habeat etiam illud præminentis , censuit Sacra Congregatio in *Ferrariens. Contraternitatis 14. Septembris ad I. dub. pag. 130. & plur. seqq.*
- Necnon Superioritatem in cæteris actibus , quatenus ipsidem præsit ex delegatione Ordinarii *ibid.*
- Prohibentur ipsæ quæstare in Parochiali Ecclesia , quovis sub prætextu *ibid. ad II. dub.*
- Expensæ verò necessariæ pro cultu Sanctissimi Sacramenti expleri debent primum ex quæstibus sive a Parocho , sive a Contraternitate in hanc causam faciendis , deinde ex redditibus Bonorum intuitu Sanctissimi a Contraternitate acquiritorum , & in subsidium ex redditibus ipsius Parochi *ibid. ad III. dub.*
- Libri , & Scripturæ asservari debent in Archivo ejusdem Contraternitatis ad num. Ordinarii Loci edixit *ibid. ad ix. dub.*
- Occasione alicujus litis non Contraternitatem ipsam , sed eos , qui expressè in litem consenserunt , teneri ad expensas , decrevit *ibid. ad xi. dub.*
- Congregationibus Casuum moralium , & Sacrorum rituum intereleatibus Capitulo , & Canonicis insignis Collegiæ primum locum à sinistris Episcopi competere sancivit Sacra Congregatio in *Fulginate. Præminentiarum 14. Decembris pag. 192. & seqq.*
- Congruæ Parocho assignanda in decernenda certa quantitate , & cujus sumptibus reparaciones Ecclesiæ , & suppellectiles Sacræ expleri debeant , dilata dubiorum resolutione , jussit Sacra Congregatio , ut scriberetur Episcopo , juxta votum R. P. D. Secretarii in *Briſſinorien. congruæ 14. Decembris pag. 182. & seqq.*
- Consanguineis duabus Testatoris dotis ab eodandis , augendas esse demandavit Sacra Congregatio in sentis tercentum pro unaquaque earum in *Ferrariens. Subsidiorum Dotulim 26. Januarii pag. 1.*
- Suspensa tamen , & dilata dotis constitutione erga alteram Puellam , tamquam in quinto gradu cum dicto Testatore conjunctam , suis temporibus unice expectendam censuit *ibid.*
- Consensus interesse habentium defectus reddidit irritam , & invalidam unionem Ecclesiæ factam , ut in *Firmana Davonis 16. Martii pag. 29. & in eadem 23. Novembris pag. 162.*
- Reliqua vid. *Unio.*
- Constitutionem Firmanæ Synodus anni 1660. tam quoad confessiones excipiendas a Canonicis curam Animarum adnexam habentibus , tam quoad alias functiones Parochiales diebus festivis , & ferialibus hora Divinorum Officiorum explendas , servandam esse edixit Sacra Congregatio in *Firmana 8. Junii ad II. dub. pag. 31. & seqq.*
- Consuetudinis etiam immemorabilis vigore non obstante , veniit Sacra Congregatio Ordinario percipiendi aliquid a Communitatibus ex causa procuracionis , occasione visitationis Ecclesiarum suæ Diocesis , & administratione Sacramenti Christmas , ut in *Ferentina Visitationis Sacrorum Limum 20. Aprilis pag. 47.*
- Continentiæ votum contractum pro validitate Ordinationis ad Subdiaconatum dispensandum

dum esse censuit Sacra Congregatio, factum tamen verbo cum Sanctissimo in *Pojnamen.* 11. *Maii ad II. dub. pag. 63.*

Quam resolutionem confirmavit in *eadem* 13. *Julii pag. 95.*

Conventualem Missam ad dies festos de præcepto reducendam esse resolvit Sacra Congregatio in *Licmen.* 14. *Septembris pag. 129.*

Et per decennium, ob tenuiores redditus, redegit in *M. levitana Missæ Conventualis* 11. *Maii pag. 72., & seqq.*

Conventualem Missam applicandam pro Benefactoribus Cominiciis, & diebus festis de præcepto, aliisque designatis, exceptis ferialibus, in quibus ad eam canendam tantum, juxta votum Episcopi, teneri Canonicos Ecclesiæ Parochialis, ad instar Collegialitatis erectæ, resolvit Sacra Congregatio in *Terracinen.*, & *Setina Servitii Chori- & Missæ Conventualis* 23. *Novembris ad I. dub. pag. 161.*

Cujus oneris reductionem abnegavit, non obitante Præbendarum exiguitate, *ibid.* ad *II. dub.*

Conventus licet postmodum suppressi Fratres Augustiniani satisfacere debere onera a Testatore demandata resolvit Sacra Congregatio in *Placentina Legati Pii* 23. *Novembris ad II. dub. pag. 169., & seqq.*

Nempè quoad Anniversaria in eorum Ecclesia, servata forma fundationis; quo verò ad Missas quotidianas celebrandas esse in nova Parochia, ex suppresso Conventu erecta, per Cappellanum ab iisdem Religiosis deputandum, edixit *ibid.*

Propter quod Pontificium Rescriptum, quo facultas eis impertiebatur, ut immunes evaderent ab onere, cum obligatione restituendi sive hæredibus defuncti, sive prædictæ novæ Parochiæ quidquid consequuti erant, & cedendi quidquid adhuc consequi debebant, non esse exequendum censuit *ibid.* ad *I. & III. dub.*

Nec locum esse reductioni Missarum respondit *ibid.* ad *IV. dub.*

Convocandi Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ S. Michaelis Civitatis Firmi jus perpetuum in decernendo, an competat Priori dicte Collegiatæ Ecclesiæ, seu potius repartiri debeat annuatim in singulos Canonicos, nihil resolvens Sacra Congregatio, mandavit præfigi terminum eidem Priori ad deducenda jura sua in Sacra Congregatione, uti habetur in *Firmana* 8. *Junii ad I. dub. pag. 81. & seqq.*

Cubiculo in superiori quodam Ecclesiæ Collegiatæ S. Michaelis Civitatis Firmi Decretum Archiepiscopi, nè Canonici saltem diebus festis, & aktivis mensibus horæ Canonice pertolverentur, confirmavit Sacra Congregatio in *Firmana* 8. *Junii ad v. dub. pag. 81. & seqq.*

Cultus Sanctissimi Sacramenti. Vid. *Sanctissime*

mi Sacramenti cultus.

Curata Beneficia. Vid. *Beneficia Curata.*

D

DAmnorum refectionem ab altero ex Sodalibus Contraternitatis sub titulo Sanctissimi Sacramenti canonicè erectæ in Oppido Bondeni Ferrariensis Diocesis pallo- rum propter sequitam ejus carcerationem, abnegavit Sacra Congregatio in *Ferrariens. Confraternitatis* 14. *Septembris ad vi 11. dub. pag. 130. & plur. seqq.*

Decedens Episcopus ad Oppida suæ Diocesis, occasione visitandi Ecclesias, & conferendi Sacramentum Chrismatis, nequit exigere quidquam a Communitatibus procreationis causa, quacumque contraria consuetudine non obitante, ut in *Ferentina Visitationis Sacrorum Lignum* 20. *Aprilis pag. 47.*

Decennalis absentia. Vid. *Absentia decennalis.*

Decreta Visitationis Eminentissimi Magalotti anni 1618., & Eminentissimi del Verme annorum 1708., & 1712. mandavit Contraternitati sub titulo Sanctissimi Sacramenti canonicè erectæ in Oppido Bondeni Ferrariensis Diocesis observari, circa subministrationem propriorum paramentorum, facrarum vestium, & suppellectilium Parocho pro Ecclesia Parochiali in iis sacris functionibus, quæ non pertinent Contraternitati; pro Festivitatibus vero, & functionibus non spectantibus ad cultum Sanctissimi Sacramenti provideri decrevit Sacra Congregatio ab Archiepiscopo, ut magis opportunum eidem videbitur, in *Terracinen. Confraternitatis* 14. *Septembris ad IV. & V. dub. pag. 130. & seqq.*

Decretum Episcopi, quo cum vetuit Canonicum ascendere ad Sacros Ordines, approbavit Sacra Congregatio in *Tirajonen. Ordinum* 26. *Januarii ad I. dub. pag. 2.*

Censuit tamen, eidem posse Ordines conferre, juxta ejus arbitrium, & conscientiam *ibid.* ad *II. dub.*

Archiepiscopi Firmani promulgatum in actu visitationis, quo cum prohibebatur villa exerceri, & foraida retineri in ædibus adnexis Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis, servatum voluit Sacra Congregatio in *Firmani* 8. *Junii ad IV. dub. pag. 81. & seqq.*

Ipsius alterum, quo vetitum erat Canonicis, nè in superiori Cubiculo diebus festis, & aktivis mensibus horæ Canonice, admittantur *ibid.* ad *v. dub.*

Ejusdem aliud editum 11. *Maii 1781.* servatum voluit, quo cum præcepit, Officia Capitularia quolibet anno mutanda esse, seu renovanda in Capitularibus Comitibus ad id specialiter habendis *ibid.* ad *viii. dub.*

Ab Antistite loci latum, quo cum com-
pellebatur Administrator rei trumentariae
ad annuatim tradendam certam quantita-
tem Annona, approbavit Sacra Congrega-
tio, rejiciendo Sententiam Syndicatoris eun-
dem absolventem, ut in *Terracinen.*, &
Privernen. 3. Augusti pag. 105.

Defectus consensuum interesse habentium, ac
causa legitima & rationabilis, hoc est,
necessitatis, & utilitatis Ecclesiae reddidit
unionem Ecclesiae factam irritam, & inva-
lidam, ut in *Firmana Unionis* 16. Martii
pag. 29. & in *eadem* 23. Novembris pag.
162.

Reliqua vid. *Unio*.

Rationabilis causa, & urgentis necessi-
tatis impedimento fuere translationi oneris
Missarum, ut in *Firmana Translationis*
Oneris Missarum 3. Augusti pag. 110. &
seqq.

Quod confirmatum fuit in *eadem* 14. De-
cembris pag. 192.

Deficientia Sacerdotum alienigenarum non
fuit reputata causa rationabilis, vel urgens
necessitas pro indulgenda translatione oneris
Missarum ab Ecclesia a Testatore designata,
ad aliam, ut in *Firmana Translationis*
Oneris Missarum 3. Augusti pag. 110. &
seqq.

Sed potius augmentum eleemosynae ad
ratam perpetuae injunxit Sacra Congregatio,
nec non vocationem Sacerdotum exterorum
ibid.

Quae omnia confirmavit in *eadem* 14. De-
cembris pag. 192.

Delectionem alterius Cappellani ab aliquibus
ex Patronis factam validam reputavit Sacra
Congregatio in *Firmana Cappellania* 16.
Martii ad primam partem II. dubii pag. 29.

Et per consequens, improbavit alteram
a reliquis Patronis secundo loco expletam
ibid. ad secundam partem *disti* II. dub.

Delectionem ab urna factam nominis Puella-
rum, quae jam praeteritis annis doratae fue-
runt ad nominationem Gubernatoris tunc
temporis existentis Societatis Mortis, im-
probavit Sacra Congregatio in *Viterbien.*
Docum 20. Aprilis pag. 48.

Præcepit immò, ut earum Nomina in
Urna retinerentur, donec fuerint sorte
extracta pro altera consequenda Dote
ibid.

Dependentiam a Parocho debent habere Con-
fraternitates in explendis functionibus Ec-
clesiasticis, ita ut Parochus, praeter jus
parochiale, habeat etiam illud praëminen-
tiae ad formam resolutionis Sacrae Congre-
gationis Rituum anni 1703. ad 1. & 11. dub;
censuit Sacra Congregatio in *Ferranen.*
Confraternitatis 14. Septembris ad 1. dub.
pag. 130. & plur. *seqq.*

Et superioritatis etiam in ceteris actibus,
quatenus hinc Parochus praesit ex delega-

tionem Archiepiscopi *ibid.*

Depositarium Canonicum, seu Camerarium
pro tempore Collegiatae Ecclesiae S. Michae-
lis Civitatis Firmi prohiberi, absque assen-
su Capituli, expensas quaevisque erogare,
etiam sub praetextu quòd extraordinariae sint,
praeter Julia quinque, sancivit Sacra Con-
gregatio in *Firmana* 8. Junii ad vi. dub.
pag. 31., & *seqq.*

Deputationem Administratoris pro exigendis
redditis Locorum Piorum a Cardinali Vi-
sitatore expletam sustineri censuit Sacra
Congregatio in *Sutrina* 16. Martii ad 1. dub.
pag. 30.

Reliqua vid. *Administrator*.

Diaconatus Ordinem suscipere possunt habentes
indultum extra tempora, diebus iis festi-
vis, quibus Fideles, audita Missa, operibus
fervilibus vacant ex Apostolica dispensatione,
resolvit Sacra Congregatio in *Tirafonen.*
Visitationis Sacrorum Liminum 11. Martii
pag. 64.

Diebus festivis nè persolverentur horae Canonicæ
in superiori Cubiculo, decretum Ar-
chiepiscopi Firmani, in actu visitationis
promulgati, quo cum id veritum erat Canonicis,
adfirmavit Sacra Congregatio in
Firmana 8. Junii ad v. dub. pag. 31. &
seqq.

Sed in Choro exteriori praedictae Ecclesiae
omniò recitari debere præcepit *ibid.*

In iis de præcepto tantum applicari debere
Missae Conventualis resolvit Sacra Con-
gregatio in *Ilcinen.* 14. Septembris pag.
129.

Sicuti redegit etiam, sed per decennium
solummodò, ob tenuiores redditus in
Melvitana Missae Conventualis 11. Martii pag.
72. & *seqq.*

Dignitas Episcopalis. Vid. *Episcopalis di-
gnitas*.

Dignitates Ecclesiasticas, sive Præbendas,
seu Canonicatus obtinentes in Metro-
politani Ecclesiis, sive Cathedralibus præcepto
Tridentini sess. 24. cap. 12. de refor. statuta-
cere censuit Sacra Congregatio, si ante pos-
sessionem emittant professionem Fidei, li-
cèt post institutionem, seu collationem in
Tirafonen. *Visitationis Sacrorum Liminum*
11. Martii ad 1. dub. pag. 63. & *seqq.*

Reliqua vid. sub verb. *Fidei professio*.

Diminutioni Missarum, quae a Testatore præ-
fixae fuere, & demandatae ut celebrentur
in Oratorio, seu Ecclesia *del Poggio* nuncu-
pat. Anconitanae Diocesis, locum non esse
censuit Sacra Congregatio in *Anconitana*
13. Julii ad II. dub. pag. 96.

Diminutis redditibus, redactum fuit onus
Missarum Cappellano, cum obligatione
reliendi in Ecclesia, juxta votum Episcopi
in *Placentina* 23. Februarii pag. 35.

Sicuti etiam redacta fuerunt Missae, juxta
numerum ab Antistite insinuatam, ut in

Anconitana Missarum 20. Aprilis ad I. dub. pag. 43.

Voluit tamen Sacra Congregatio, ut pro tempore anteacto, quo celebratae non fuerunt Missae, celebrarentur centum pro unica vice, facto verbo cum Sanctissimo pro gratia absolutionis *ibid. ad II. dub.*

Necnon Missae Conventualis ad dies festos de praecepto, atque per decennium in *Mantuanensis Missae Conventualis 11. Maii pag. 72. & seqq.*

Dicesseis suae Ecclesiarum in visitatione, & administratione Sacramenti Confirmationis veruit Sacra Congregatio Ordinario, ne aliquid exigeret a Communitatibus ex causa procuratoris, quacumque contraria consuetudine nob obstante, ut in *Ferentinensis Visitationis Sacrorum Luminum 20. Aprilis pag. 47.*

Dispensationem ab incurfa irregularitate propter homicidium a Presbytero, etiam involuntarie patratam, indulgere renuit Sacra Congregatio in *Nepesina Dispensationis ab Irregularitate 3. Augusti pag. 106.*

Dispensationem a voto continentiae, propter validitatem Ordinationis ad Subdiaconatum contracto, concedendam esse censuit Sacra Congregatio, facto tamen verbo cum Sanctissimo in *Possanien. 11. Maii ad II. dub. pag. 63.*

In qua resolutione persistit, ut in *eadem 13. Julii pag. 95.*

Dispensationem plura retinendi Beneficia, & consequenter abessendi ab una ex Ecclesiis, nec non munia per alterum implendi, iam denegatam per summaria precum, confirmavit Sacra Congregatio in *Montis Alti Dispensationis 14. Septembris pag. 143. & seqq.*

Dispensationes Fundatorum asserendas esse iussit Sacra Congregatio, pro decernenda voluntatis eorum commutatione, dilata interim causae resolutione, ut in *Fulginaten. Applicationis 26. Januarii pag. 1.*

Distributiones quotidianas lucrandi tempore choralis vacationis arbitrio Episcopi praestiniendo facultatem, sive indultum comperere decrevit Sacra Congregatio Clero inferiori Capituli Viglevanensis, in *Viglevanen. 13. Februarii pag. 17. & seqq.*

Divinum Officium. Vid. *Officium Divinum.*

Diurna Consuetudo. Vid. *Consuetudo diurna.*

Domus. Vid. *Aedes.*

Dotalia subsidia. Vid. *Subsidia dotalia.*

Dotem ut assequerentur Puellae, quas elegerat Gubernator Societatis Mortis, removeri non debere ab urna, praecipit Sacra Congregatio in *Viterbien. Dotium 20. Aprilis pag. 48.*

Sed in ea retinendae, donec forte fuerint extractae pro consequendo subsidio dotali *ibid.*

Dotem a Testatore dandas Puellis sanguinis necessitudine sibi conjunctis, earum favore augendas esse in scitis tercentum pro una earum qualibet, demandavit Sacra Congregatio in *Ferrariensis Subsidiarum Dotialium 26. Januarii pag. 1.*

- Mutatio voluntatis Testatoris absolute non dicitur, quando concurrante iusta, & rationabili causa permittuntur translationes Sacrorum, sed potius interpretatio est nuncupanda pag. 113. §. *Quamvis,* & §. *Sacra Congregatio.*
- Reliqua vid. *Sacrorum translatio.*
- N**
- Necessaria ad propriæ vitæ sustentationem detrahere debent possidentes Beneficia, licet simplicia in Parochialibus Ecclesiis, antequam adstricti veniant tractibus eorum ad expensas supplendas pro reparatione, & reparatione illarum pag. 179. §. *Ex hac,* & §. *Sustinent.*
- Reliqua vid. sub verb. *Parochialis Ecclesia.*
- Necessaria, & iusta causa accedente, fit translatio Ecclesiæ collapsæ ad Matrices, seu viciniore Ecclesias pag. 191. & seqq. §. *At,* & §. *In Civitate.*
- Necessitas Ecclesiæ, & utilitas sunt iusta, & rationabilis causa, ob quam uniones factæ validæ habeantur pag. 25. & seqq. §. *Atque.*
- Reliqua vid. sub verb. *Uniones.*
- Necessitas urgens, ob quam Canonicus licet absens ab Ecclesia, tamen consideratur tamquam præsens, & lucratur omnes distributiones, intelligitur graves inimicitie contra ipsum exortæ, vel aliud grave, imminensve periculum vitæ, vel indignatio Patroni Ecclesiæ, vel imputatum homicidii crimen, ob quas causas cogatur ab Ecclesia se abstinere pag. 100. §. *Ad causæ.*
- Ecclesiæ si concurrat, commutatur Testatoris voluntas pag. 111. §. *Qui.*
- Vid. *Testatorum voluntates.*
- Si concurrat, permittuntur, si deficiat, denegantur translationes Sacrorum pag. 113. §. *Sacra Congregatio.*
- Necessitate occurrente reparandi, sive restaurandi Parochialem Ecclesiam, vel construendi, & deficiente omnibus aliis mediis, suspenduntur onera Missarum ad decennium pag. 179. & seqq. §. *Sustinet* & §. *Sacra Congregatio.*
- Illa deficiente, rejiciuntur preces suspendendi onera Missarum *ibid.*
- Necessitate præferens causa dicitur iusta, & rationabilis ad translationem Sacrorum obtinendam pag. 113. §. *Quamvis.*
- Adeunt necessitate deficiente, rejecit, ea accedente, indulgit translationes Sacra Congregatio *ibid.* *Sacra Congregatio.*
- Vid. *Sacrorum translationes.*
- Necessitatibus tum Parochi, tum Parochiæ providere debet Episcopus commodiori ratione, quatenus redditus insufficientes sint pag. 185. §. *Ad rem.*
- Necessitatis causa Domi collatus Baptismus, suppleri debent in Ecclesia Catechismus, seu cæremoniæ consuetæ pag. 90. §. *Pro certo.*
- Reliqua vid. *Baptismi Sacramentum.*
- Negligentes ad Fidei professionem præstandam, intra statutum tempus, vel minus recte illam explentes recurrere debent ad Sacram Congregationem pro facultate illam emittendi, vel renovandi pag. 57. §. *Nec.*
- Reliqua vid. sub verb. *Dignitates Ecclesiastica.*
- Nepotes aliquando veniunt sub nomine Filiorum pag. 127. §. *Ponderandum.*
- Nominandi jus. Vid. *Jus nominandi.*
- Nomine filiorum, quandoque veniunt Nepotes pag. 127. §. *Ponderandum.*
- Nosocomia. Vid. *Hospitalia.*
- Nova Ecclesia tunc erigi debet pro Accolarum utilitate, si impervium sit iter, & longè distitum a propria Parochia pag. 191. & seqq. §. *Sedulo.*
- Nulla habetur, & invalida professio Religiosa sine consensu interiori, & voluntate, emissa, etiam si vi metuque non impediuntur pag. 167. §. *Sustinent.*
- Reliqua vid. *Professio religiosa.*
- Sicuti etiam per vim, & metum emissa, licet voluntas accedat pag. 163. §. *Sane.*
- Vid. *Professio.*
- Nulla habetur reiteratio Baptismatis pag. 90. §. *Pro certo.*
- Vid. *Baptismi Sacramentum.*
- Nulla habetur suspensionis pœna, quæ non lata est in scriptis, nec præmissis monitionibus, nec cum expresse causæ, ob quam illa infligitur pag. 143. & seq. §. *Ad primum.* & pag. 144. §. *Innocentius,* & §. *Item.*
- Reliqua vid. *Suspensionis pœna.*
- Nulliter Professus Vid. *Religiosus.*
- Numerus Missarum. Vid. *Missarum numerus.*

- O**bligatio quæcumque oritur ex voluntate, cum ista deficiat, deficit etiam obligatio ipsa pag. 167. §. *Sustinet.*
- O**bedientiæ, ac fidelitatis juramentum erga proprium Episcopum præstare debebant ex Synodo Provinciali Mechlinensi anni 1607. obtinentes dignitates Ecclesiasticas, tam cum cura Animarum, quam simplices pag. 54. §. *Sane.*
- Præter illud confirmatorium professionis Fidei *ibid.*
- Reliqua vid. sub verb. *Dignitates Ecclesiasticæ.*
- Sicuti in aliquibus locis etiam ii, qui recipiunt investituram per verbalem possessionem pag. 56. §. *Nec est.*
- Idque, ante traditionem signi, vel impositionem Byreti *ibid.*
- Reliqua vid. sub. verb. *Beneficiorum possessio.*
- O**betubreptitium dicitur Pontificium Rescriptum, si in supplicatione aliquid reticuit fuerit pag. 189. §. *Ad primum,* & pag. 152. §. *Addit.*
- Dum, si quod reticuit innotuisset Pontifici, vel non concessisset gratiam, vel denegasset *ibid.*
- O**blationes Fidelium, quæ sunt in aliqua Parochia, debentur illius Parocho, nec non recollectæ in Cappella sita intra limites parochiales pag. 131. §. *Ad secundum.*
- Limita, nisi fiant intuitu dictæ Cappellæ, & ad aliquem determinatum effectum *ibid.*
- Quo in casu administratio tantum eorum Parocho competit pro conversione in causam ab offerentibus volitam *ibid.*
- Jus eas colligendi Laicis competere potest ex consuetudine, sicuti eas administrandi vel per ipsos, vel una cum Parocho loci *ibid.* & *seqq.* §. *Docet.*
- Dummodo nil sibi applicant, sed in pios usus integrè eas convertant *ibid.*
- Et cum auctoritate Ordinarii, cui reddere debent rationem de illarum erogatione pag. 132. §. *Certum.*
- O**bservantia est interpretationum regina, etiam in rebus dubiis pag. 83. & *seqq.* §. *Hic etiam.*
- O**bservantia simplex non sufficit ad inducendam consuetudinem in actibus facultativis, sed requiruntur actus consequutivi importantes præscriptionem cum acquiescentia pag. 157. & *seqq.* §. *Sustinet.*
- O**btinentes Beneficia; licet simplicia; in Parochiali Ecclesia tenentur subire expensas pro illius restauratione, & reparatione pag. 179. §. *Ex hac.*
- Dummodo prius ex illis deducantur ne-
- cessaria ad propriam sustentationem *ibid.* §. *Sustinet.*
- Reliqua vid. sub verb. *Parochialis Ecclesia.*
- O**btinentes Beneficium, vel Præbendam in Cathedrali Ecclesia satistacere debent præcepto Tridentini sess. 24. cap. 22. de ref. pag. 53. §. *In relatione.*
- Dignitates Ecclesiasticas tam simplices, quam cum Animarum cura, debent juramento confirmare Catholicam fidem, quam profitentur pag. 54. §. *Vetustissima,* & §. *Hunc.*
- Reliqua vid. *Dignitates Ecclesiasticæ.*
- Post sex menses ab adepta possessione, tenentur horas Canonicas recitare pag. 108. §. *Viguit,* & §. *Revera.*
- Reliqua vid. *Beneficiati.*
- O**fficii divini nomine comprehenditur etiam Missa Conventualis pag. 149. §. *Certum.*
- O**fficiis Divinis pro celebrandis interesse semper debebant illi Ecclesiæ, cui adscribebantur antiquitus Clerici statim ac in ordinibus Minoribus erant constituti, proindeque de ejus redditibus vivebant pag. 103. §. *Nulla sane.*
- Reliqua vid. *Beneficiati.*
- Cum in septem partibus sit distributum, ita septies in die debet esse Chori servitium in Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis pag. 119. §. *In capite.*
- Vid. *Hora Canonice.*
- O**lei Sancti in collatione prohibitum est quidquam percipere pag. 33. & *seqq.* §. *In taxa.*
- O**leorum Sacrorum consecratio, seu benedictio fieri debet in Cathedrali, nisi excuset aliqua rationabilis causa, pag. 156. §. *Ad tertium.*
- Sin autem duæ Cathedrales unita sint, & unio est subjectiva, tunc consecrare debet Episcopus in Cathedrali, ubi facta fuerit unio *ibid.* §. *Verum.*
- Aut sunt æque principaliter unita, & tunc explere valet in alterutra, prout sibi placuerit *ibid.*
- Juxta tamen consuetudinem dudum introductam, servatamque pag. 157. §. *Sustinet.*
- Ad quam inducendam in actibus facultativis non sufficit simplex observantia, sed requiruntur actus consequutivi importantes præscriptionem cum acquiescentia *ibid.* & *seqq.*
- O**nera a Fundatore præscripta subire tenetur solummodo qui gaudet redditibus ab eo relictis, & ipsis infixa pag. 5. & *seqq.* §. *Contendit.*
- O**nera Beneficio simplici, injuncta, si personale servitium exposcant, tunc Beneficiatus a residentia non excusatur pag. 125. §. *Juxta.*
- O**nera Missarum. Vid. *Missarum onera.*

- Onera nova superaddere non licet, sed impleri tantum debent, ea, quæ in fundatione mandata sunt pag. 148. §. *Addunt*, & pag. 150. §. *Notandum*.
- Onera pia, hoc est servitii, & residentie potius minui debent, quam Missarum numerus, juxta praxim Sacre Congregationis pag. 8. §. *Quamvis*.
- Oneris Missarum etiam post acceptationem, taxatur a Sacra Congregatione elemosyna ad rationem perpetue pag. 43. §. *Erit*.
Si nulla taxata fuerit a Testatore *ibid*.
Reliqua vid. sub verb. *Missarum reductio*.
- Onerum Beneficii implementum spectat ei, qui gaudet ejusdem redditibus, quibus inhæret pag. 5. & seqq. §. *Contentus*.
Implementum non raro remittitur, ob defectum reddituum pag. 44. §. *Hæc*.
- Onus applicationis Missæ Parochialis pro Populo satisfieri debet etiam iis festis diebus, in quibus Christianifideles interfunt ad audiendum Sacrum, & ex Apostolica dispensatione opera servilia exercere possunt. pag. 62. §. *Ponderanda*.
- Onus celebrandi quotidie Missam Conventualem cum applicatione pro Benefactoribus in genere impleri debet ab Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis pag. 149. §. *Certum*.
Non obstante quacumque contraria consuetudine *ibid*. §. *Dubitarum*.
Sin autem redditus Præbendarum exigui sint, reducitur ad dies festos de præcepto tantum *ibid*.
Ecclesie vero, quæ Collegiatæ non sunt, a prædicto onere immunes evadunt pag. 150. §. *Affirmat*.
- Onus Missarum, deficientibus omnibus aliis mediis, suspenditur pro reparatione, & restauratione Ecclesie Parochialis pag. 179. §. *Sustinet*.
Ad decennium occurrente necessitate, ista deficiente rejiciuntur preces illud suspendendi *ibid*. & seqq. §. *Sacra Congregatio*.
- Onus Missarum dimittitur juxta ratam reddituum, ad rationem elemosynæ manualis, inspecto Regionis more, & detractis utensilibus pag. 43. §. *Agitur*.
Reliqua vid. sub verb. *Missarum reductio*.
- Onus Missarum impletum ultra quantitatem reddituum compensari non valet cum imposterum adimplendo pag. 44. §. *Hæc*.
Redigitur, si redditus impares sint ad illud ferendum pag. 88. & seqq. §. *At verò*.
Vid. *Missarum reductio*.
- Onus recitandi horas Canonicas primis Ecclesie sæculis impositum erat omnibus Clericis tum Majoribus, tum Minoribus pag. 108. §. *Nulla sanè*.
- Reliqua vid. *Clerici*.
Nunc in Sacris constitutis, & Beneficiariis tantum pag. 108. & seqq. §. *Viguit*, & §. *Revera*.
Reliqua vid. *Beneficiariis*.
- Onus residentia duo Beneficia simplicia si possint, sunt incompatibilia pag. 125. §. *Juxta*.
Vid. *Beneficia simplicia*.
- Opinio nonnullorum Doctorum, quæ inolevit, posse a Choro vacari, ultra tres menses vigore immemorabilis consuetudinis, semper rejecta fuit a Sacra Congregatione pag. 119. & seqq. §. *Quamvis*.
Quæ desuper declaravit dictam adversantem opinionem intelligendam esse de consuetudine interserviendi per hebdomadas cum hoc tamen onere, ut per novem anni Menses Capitulares interserviant Choro *ibid*, & seqq.
- Oppidorum si nulla facta sit divisio, & separatio Parochiarum, Cathedralis Ecclesia pro eorum Parochia habetur pag. 52. & seqq. §. *Atque*.
Reliqua vid. *Cathedralis Ecclesia*.
- Orationis, & verborum se sus vitiantur a superadditis per subauditum intellectum conditionibus, vel particulis cujuscumque genere pag. 87. §. *Nullumque*.
- Ordinarie distributiones. Vid. *Distributiones ordinaria*.
- Ordinarius Vid. *Episcopus*.
- Ordinatio Sacra invalida habetur si concitrat coactio, seu vis præcisa, & absoluta pag. 51. §. *Animadvertendum*.
Reliqua vid. *Oratio Sacri collatio*.
Fiebat antiquitus in qualibet die Dominico pag. 58. §. *Juxta*.
Quæ disciplina vigeat tempore Divi Leonis Magni, nempe circa medium sæculi quinti *ibid*.
Dein addita fuit jejuniis quatuor temporum pag. 59. §. *Verum*.
Quod sub penis sevari mandatunt posteriores Pontifices, ut videre est *ibid*. §. *Disciplinam*.
Intellige fuisse additam non cuidam dici jejunii quatuor temporum, sed in eorum Sabbathis tantum pag. 60. §. *Advertunt*.
Adeunt nulla contraria consuetudo potuit hunc morem invertere *ibid*. §. *Hunc*.
Sed ex dispensatione Pontificia, vel ex privilegio *ibid*. §. *Ceterum*.
Quod privilegium aliquibus Regularibus est indulgum, & juxta concurrente causa etiam aliquibus non Regularibus conceditur *ibid*. & seqq.
- At cum consueta conditione, nempe ut habeatur Ordinatio diebus festis, & cum aliquo interservitio ab Episcopo definiendo *ibid*. & seqq.
- Statuta Tridentinæ Synodi circa ordinationes non afficiunt Regulares, juxta declar-

clarationem S. M. Pii V. pag. 57. §. *Mouit*.

Nisi eas habiturus sit Diocesanus, ab Antistite, quem maluerint Regulares recipere valent Ordines, juxta communem opinionem pag. 65. §. *Contra*, & pag. 70. §. *Hæc*.

Reliqua vid. *Regulares*.

Ordinis Sacri collatio pro invalida habetur, concurrente coactione, seu *vi precisa & absoluta* pag. 50. §. *Animadvertendum*.

Utpotè talis, non imprimi characterem, & per consequens sic Ordinatus non tenetur ad seruandam legem continentix *ibid*.

Ea dicitur *precisa*, & *absoluta*, quæ homini vi detento, & reluctanti manus violenter injectæ sint, ut Sacros Ordines suscipiat *ibid*.

E contra, illa *conditionalis*, & *causativa* accurrente, imprimitur character *ibid*.

Quia licet indirecta, & coacta sit, attamen semper est voluntas *ibid*.

Sic dicitur concurrere in illo, qui ad eufugiendum periculum, vel cruciarum, vel mortem, consentit se ordinari *ibid*.

Ita ordinatus an teneatur nec ne ad Legem continentix seruandam, quaestio fuit antiqua *ibid*. §. *Questio*.

Ex quo semper consultum fuit Ordinato, ut dispensationem peteret a Summo Pontifice, cum prædicta coactio justam dispensandi causam præbear *ibid*.

Taliter ut plura afferant de hac dispensatione exempla Doctores citati *ibid*. §. *Et reuera*.

Quæ omnia intelligenda sunt de metu, seu coactione gravi, & cadente in constantem Virum, non autem de levi, & vana pag. 52. §. *Hunc*.

Ordinibus in minoribus cum initiarentur antiquitus Clerici, statim adscribebantur alicui Ecclesie pag. 108. §. *Nulla sane*.

Reliqua vid. *Clerici*.

Sacris constituti tenentur horas Canonicas recitare pag. 108. §. *Viguit*, & §. *Reuera*.

Originarius illius loci licet habeatur quis adscriptus sit ad aliquam Civitatem pag. 13. & seqq. §. *Maximè*.

Attamen frui acquirit de privilegiis naturalium Civium, nisi probet ex privilegio morare, & domicilium habere in ipsa Civitate acquisita cum onerum supportatione *ibid*.

Immo tamquam peregrinus, & alienigena recensetur *ibid*.

Originem trahere debet ab impedimento legitimo absentia a servitio Chori pag. 9. & seqq. §. *Hæc*.

Origo absentix Clericorum minorum ab Ecclesia principium trahit a defectu eorundem adscriptionis pag. 108. §. *Viguit*, & §. *Reuera*.

Ex quo remanet interesse in colos Clericos Majores, & in Beneficiatos *ibid*.

Reliq a vid. *Clerici*.

Origo foundationis quando ignoratur, conceditur Missarum reductio pag. 33. & seqq. §. *At vero*.

Reliqua vid. *Missarum reductio*.

Orthodoxæ Fidei publicam professionem facere tenentur in manibus Episcopi, vel coram generali ejus Vicario, seu Officiali provisi de Beneficiis quibuscumque curam Animarum habentibus pag. 54. §. *Hunc*.

Et in Romanæ Ecclesie obedientia permanenturos ipondere, ac jurare debent *ibid*.

De Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus provisi iam facere tenentur etiam in Capitulo *ibid*.

A die adeptæ possessionis ad minus intra duos Menses *ibid*.

Reliqua vid. *Dignitates Ecclesiastica*.

Sicuti in aliquibus locis etiam ii, qui investituram recipiunt per verbalem possessionem pag. 56. §. *Accell*.

Idque ante traditionem signi, vel impositionem Byteti *ibid*.

Reliqua vid. sub verb. *Beneficiorum possessio*.

P

Parochi sufficientes redditus habere debent pro sustentatione propria, & pro adimplendis oneribus Parochie pag. 183. §. *Ex bisce*.

Reliqua vid. *Parochialium Ecclesiarum redditus*.

Parochia pro universali totius Civitatis licet habeatur Ecclesia Cathedralis, attamen non ita censetur pro conterminis Terris, Villis, & Oppidis pag. 32. & seqq. §. *Atque*.

Reliqua vid. sub verb. *Cathedralis Ecclesia*.

Parochie gravari nequeunt onere pensionis, seu reservationis fructuum, nisi excedant summam ducatorum centum pag. 185. §. *Ad rem*.

Parochie oneribus pro adimplendis, nec non pro sustentatione propria sufficientes redditus habere debent Parochi pag. 183. §. *Ex bisce*.

Reliqua vid. *Parochialium Ecclesiarum redditus*.

Parochiales redditus incerti, & eventuales imputari non debent in partem congruæ pag. 183. §. *Perperam*.

Hujusmodi sunt emolumenta funeris, Altaris, aliorumque id genus *ibid*.

Reliqua vid. *Parochialium Ecclesiarum redditus*.

Nisi excedant summam ducatorum centum

- tum gravari nequeunt onere pensionis, seu reservationis fructuum *ibid.*
- Num adest manuentio debet haberi ratio in assignatione Congruæ pag. 186. §. *Notat.*
- Cum hac methodo semper se gessit Sacra Congregatio *ibid.* & §. *In Papien.*
- Parochiali in Ecclesia qualibet erigi possunt Confraternitates sub invocatione Sanctissimi Sacramenti pag. 131. §. *Serio.*
- Parochialibus Ecclesiis qui præficiantur, ultra Fidei professionem, ex Synodo provinciali Mechlinensi anni 1607. emittere quoque tenebantur juramentum fidelitatis, & obedientia erga proprium Episcopum pag. 55., & seqq. §. *Sane.*
- Et utrumque præstare adstricti erant, antequam Beneficii possessionem nanciscerentur *ibid.*
- Reliqua vid. sub verb. *Dignitates Ecclesiasticæ.*
- In eis erectæ Confraternitates Laicorum duplici medio subsunt Parochiis pag. 130.; & seqq. §. *Ad primum.* & §. *Revera.*
- Vid. *Confraternitates.*
- Parochialibus in Ecclesiis vel simplicibus habere potest Baro fenestras in eas prospicientes, dummodo insignis Benefactor sit, non autem in Cathedralibus, vel Collegiatis pag. 85., & seqq. §. *Materia.*
- Reliqua vid. *Fenestrarum aperitio.*
- Parochialis Ecclesia, quæ gaudet certis finibus assignatis, certoque Populo, pro separata a Cathedrali habetur pag. 32. & seqq. §. *Atque.*
- Reliqua vid. sub verb. *Cathedralis Ecclesia.*
- Custodire omnes Scripturas, librosve, & cum proprio indice in Archivo retinere. pag. 134. §. *Ad nomen.*
- Parochialis Ecclesia restaurari, & reparari debet ex fructibus & proventibus eidem Ecclesiæ quomodocumque spectantibus pag. 178., & seqq. §. *In Capite.*
- Si patronalis, supplere tenetur Patronus, & ii, qui alios fructus ex ea percipiunt *ibid.*
- In illorum vero defectu, tenentur Parochiani omnes, *ibid.*
- Qui omnibus juris remediis cogendi sunt pag. 190.: & seqq. §. *De Translatione.*
- Nec non Beneficia, licet simplicia in ea obtinentes pag. 179. §. *Ex hoc.*
- Dummodo ex Beneficiis prius deducantur necessaria ad propriam sustentationem *ibid.* §. *Sustinet.*
- Quando vero desint omnia alia media, suspenduntur onera Missarum *ibid.*
- Et pauperes recognoscantur Parochiani, tunc permittitur translatio ad Matrices, seu viciniores Ecclesias pag. 190., & seqq. §. *De translatione.*
- Quod sit, si necessitas adest construendi Ecclesiam *ibid.*
- Deficiente ista, rejiciuntur preces suspendendi onera Missarum, occurrente vero, conceditur ad decennium *ibid.*, & seqq. §. *Sacra Congregatio.*
- Sicuti deficiente justa, & necessaria causa, non permittitur translatio pag. 191., & seqq. §. *At.* & §. *In Civitatis.*
- Sin autem Beneficiati solam sustentationem ex Beneficio percipiant, tunc rescinduntur Ecclesiæ expensis Patronorum pag. 180. §. *Ceterum.*
- Quibus præfinitur tempus vel ad restaurandam Ecclesiam, vel ad jus nominandi renunciandum, sive dimittendum *ibid.*
- Parochialis Missa celebrari, & applicari debet pro Populo etiam iis diebus festis, in quibus Fideles audito Sacro, ex Apostolica dispensatione vacare possunt operibus festiuitatibus pag. 62. §. *Ponderandum.*
- Parochialis novæ, ratione decentiæ, & commoditatis, concedi debet translatio simplex jurium parochialium pag. 40., & seqq. §. *Præ oculis.*
- Reliqua vid. sub verb. *Translatio.*
- Parochialium Ecclesiarum redditus incerti, & eventuales, non imputantur in partem congruæ pag. 183. §. *Perperam.*
- Hujusmodi sunt emolumenta funerum, Altaris, aliorumque idgenus *ibid.*
- Si insufficientes sint ad onera debite implenda, Episcopus commodiori ratione providere debet necessitatibus tum Parochi, tum Parochiæ pag. 185. §. *Ad rem.*
- Nisi excedant summam ducatorum centum, gravari nequeunt onere pensionis, seu reservationis fructuum *ibid.*
- Ex quo patet, ut Parochi sufficientes redditus habere debeant pro sustentatione propria, & pro adimplendis oneribus Parochiæ *ibid.* §. *Ex hisce.*
- Parochialium jurium translatio simplex concedi debet in levamen spirituale Populi pag. 40., & seqq. §. *Præ oculis.*
- Reliqua vid. sub verb. *Translatio.*
- Parochiani tenentur in defectu reddituum Ecclesiæ, ipsam collapsam restaurare pag. 190., & seqq. §. *De translatione.*
- Ita ut omnibus juris remediis possint cogi *ibid.*
- Si vere Pauperes deprehendantur, tunc fit locus translationi ad Ecclesias Matrices, seu viciniores *ibid.*
- Dummodo ad sit justa, & necessaria causa transferendi *ibid.*, & pag. 191., & seqq. §. *At.* & §. *In Civitatis.*
- Parochiani tenentur supplere restaurationi, & reparationi Ecclesiæ Parochialis in defectu reddituum, fructuum, & proventuum eidem quomodocumque spectantium pag. 78., & seqq. §. *In Capite.*
- Reliqua vid. sub verb. *Parochialis Ecclesia.*

- Parochianorum nonnullorum dissensus non valet ad denegandam translationem, si Populus non valet præstare alimenta Cappellano Curato pag.40., & seqq. §. *Præcoccus*. Reliqua vid. *Translationes*.
- Parochiarum divisio, & separatio fieri debet certis limitibus, certoque Populo assignato pag.32., & seqq. §. *Atque*.
- Parochis Congrua, quæ debetur, taxata reperitur in annuâ summâ non majori centum, nec minori quinquaginta pag. 135. §. *De Parochiarum*. Reliqua vid. *Congrua*.
- Parochis supra, alii que de Clero seculari præminentia gaudent Canonici Collegiatæ insignis pag.194. §. *Addit.*
- Etiâ in functionibus Ecclesiasticis, licet non collegialiter uniti interveniant *ibid.* §. *Quin.*
- Parochis vetitum est Sacramenta ministrare aliis, quam suis Parochianis pag.32. §. *Quinimo*.
- Duplici medio subsunt eis Confraternitates Laicorum, primo si erectæ sint in iis:tem Ecclesiis Parochialibus, aut Oratoris, aut Sacellis inibi adjectis; altero modo, cum addictæ sint publicis, ac liberis Ecclesiis, quæ intra fines Parochiarum posite sunt pag.130. §. *ad primum dubium, ac §. Altera*.
- Ipis debentur oblationes, quæ vel sunt in eorum Parochiis, vel recollectæ in Cappella intra limites Parochiales, quia assistere, valent omnibus oblationibus, quæ sunt in eorum Parochia pag.131. §. *Ad secundum*. Reliqua vid. *Oblationes*.
- Parocho impedite non debent exercitium officii sui Festivitates, quæ celebrantur in Ecclesiis Regularibus, vel Regularibus pag.135 §. *Ex quibus*.
- Idcirco Episcopis est injunctum, ut methodum præstent, qua eadem veniant celebranda *ibid.*
- Parochiarum, & Parochiarum necessitatibus Episcopus providere debet commodiori ratione, quatenus redditus earum impares sint ad onera debite implenda pag.185. §. *Ad rem*. Reliqua vid. *Parochiarum Ecclesiarum redditus*.
- Paroenos inter, & Confraternitates jurgia, quæ suboriuntur aliquando, a Sacra Congregatione componuntur pag.135. §. *Ad decimum, & §. Ex quibus*.
- Paroenus assistere potest omnibus oblationibus, quæ sunt in ejus Parochia, nec non eidem debentur recollectæ in Cappella sita intra limites suæ Parochiæ pag.131. §. *Ad secundum*.
- Limita, si oblationes non fiant intuitu dictæ Cappellæ, & ad aliquem determinatum effectum *ibid.*
- Quo in casu, administratio tantum earum Parocho competit pro conversione in causam ab offerentibus volitam *ibid.*
- Parochus tenetur celebrare, & applicare Missam pro Populo etiam iis diebus Festis, in quibus Fideles auditio Sacro, ex Apostolica dispensatione vacare possunt operibus servilibus pag.62. §. *Ponderande*.
- Particulæ cujuscumque generis, si per subauditum intellectum superaddantur vitiant verborum, ac orationis sensus pag.87., & seqq. §. *Nullumque*.
- Et si res de Testamento sit, immutant statim mentes, & voluntates Testatorum *ibid.*
- Patriciale præceptum unusquisque satisfacere debet in propria Parochia pag.32. §. *Contra*. Non autem in Cathedrali, vel Collegiata pag.33. §. *Sacra Congregante*.
- Patientis impotentia. Vid. *Impotentia Patientis*.
- Patientis testimonium Vid. *Testimonium Patientis*.
- Patrati causa homicidii, & ad contentiosum forum delati, conceditur dispensatio ab irregularitate pag.104. §. *Mutius*.
- Intellige, si res sit de jam promoti, cum mitius agatur cum eo, quam cum promovendo *ibid.*
- Patroni Ecclesiæ indignatio erga Canonicum reputatur urgens necessitas, ob quam ipse absens, consideratur tamquam præsens, & lucrare potest distributiones tam ordinarias, quam extraordinarias pag.100. §. *Ad causam*.
- Patroni tenentur supplere reiterationi, & reparationi Ecclesiæ Parochialis, si ipsa Patronalis sit, pag.178., & seqq. §. *In Capite*.
- Et Beneficiati solam sustentationem ex Beneficio percipiant pag.180. §. *Ceterum*.
- Ita ut præstetur eis tempus vel ad restaurandam Ecclesiam, vel ad jus nominandi renunciandum, aut dimittendum *ibid.*
- Reliqua vid. sub verb. *Parochialis Ecclesiæ Patronorum consensus, & Beneplaciti apostolici defectus invalidam reddidit transactionem de rebus Ecclesiasticis pag.6. §. Non obstaré*.
- Quæ si læsiva enormissimè sit, habetur ac si numquam celebrata fuisset, ita ut nullo indigeat rescissionis remedio *ibid.*
- Patronus, qui in limine foundationis jus sibi quæsitum voluerit aperiendi fenestras in Ecclesiis prospicientes, excipitur a generali regula, quæ omnibus prohibet earum aperiitionem pag.84. §. *Materiam, & pag.85. §. Quibus*.
- Reliqua vid. *Fenestrarum aperiitio*.
- Patronus, qui in nominatione deviavit a lege foundationis, cecidit illa vice a jure suo, & a commodò juris nominandi pag.14. §. *Addit.*
- Nec excusari valet ab ignorantia legis foundationis, quia scire illam tenetur *ibid.*

- Ita ut lapsa quadrimestre Patronis Laicis concessio, nec nominato alio ad tramites foundationis, ad Superiorem devolvitur jus nominandi *ibid.* (*Multoque*).
- Pauperes** si recognoscantur Parochiani ad re-
stituatandam Ecclesiam collapsam, & insuf-
ficientes sint ejusdem redditus, ac proven-
tus tunc fit locus translationi ad Matrices,
seu viciniores Ecclesias *pag.* 190. & *seqq.*
§. De translatione.
- Intellige, si adest justa, & necessaria
causa *pag.* 191. & *seqq.* *§. At,* & *§. In Ci-
vitate*.
- Peccatum grave** committunt Beneficiati, qui
post sex mentes a die adeptæ possessionis
computandos, recitationem Divini Officii
omittunt absque legitimo impedimento
pag. 109. *§. Indictam*.
- Reliqua vid. *Beneficiati*.
- Pensionis onera**, seu reservationis fructuum
gravari nequeunt Parochiales Ecclesiæ, ni-
si excedant summam ducatorum centum
pag. 185 *§. Ad rem*.
- Peregrinus**, & Alienigena recensetur quis,
etiamsi ad Civitatem aliquam sit adscriptus,
nisi probetur ex privilegio morate, & Do-
micilium habere in ipsa Civitate cum one-
rum supportatione *pag.* 13, & *seqq.* *§. Ma-
xime*.
- E contra si duo isthæc interveniant, pro
Originario illius acquisitæ Civilitatis ha-
beretur, & de Naturalium Civium privile-
giis frui potest *ibid.*
- Periculum vitæ grave**, & imminens, quod
Cannonico insitet, habetur pro urgenti re-
cessitate ob quam ipse, absens ab Eccle-
sia, consideratur tamquam præsens, itaut
lucrifaciat distributiones tam ordinarias,
quam extraordinarias *pag.* 100. *§. Ad Cau-
sa*.
- Vid. *Canonicus*.
- Periodi**, & verborum sensus vitiantur a su-
peradditis ditionibus, & particulis cujus-
cumque generis per subauditum intellectum
pag. 87. *§. Nullumque*.
- Perpetuis Vicariis** ad titulum habentibus plu-
res curas Animarum unitas Congrua, quæ
debetur, taxata reperitur in annua summa
non majori centum, nec minori quinquaginta
pag. 185. *§. De Parochorum*.
- Personale servitium**. Vid. *Servitium perso-
nali*.
- Pia Loca** tenentur custodire Scripturas omnes,
Librosque, easque proprio indice in Archi-
vo retinere *pag.* 134. *§. Ad notum*.
- Si eorum redditus impares sint ad con-
stituendum Archivum, adiguntur tamen
Libros, Scripturave in Armario clausas
deferre ad illum Episcopale *ibid.*
- Pia onera** Vid. *Onera pia*.
- Pluralitas Beneficiorum** semper damnata fuit
tum a veteribus, tum a novissimis Ecclesia-
stica disciplina Inhibitis *pag.* 22. *§. Contra*.
- & *pag.* 22. *§. Atque*.
- Intellige de Beneficiis ecclesiasticis, non
autem laicalibus *pag.* 22. *§. Verumamen*.
- Pœna decreti Tridentini** test. 24. cap. 12. de
refor. ammissionis fructuum statuta contra
obtinentes Beneficium Curatum, Dignita-
tes, vel Canonicum in Ecclesiis Metropolita-
nitis, seu Cathedralibus, si intra præsi-
nitum duorum mensium spatium a die ade-
ptæ possessionis publicam Orthodoxæ fidei
professionem non fecerint, nec ex post emis-
sæ illis suffragare, intelligenda venit de
fructibus Beneficii, non autem de distri-
butionibus quotidianis *pag.* 56, & *seqq.*
§. Hac.
- Habet insuper locum quoad fructus futuros
Beneficiato debitos, non comprehendit verò
decurfos primo bimestri *pag.* 57. *§. De tem-
pore*.
- Reliqua vid. sub. verb. *Dignitates Eccle-
siasticæ*.
- Restitutionis fructuum indicta est Bene-
ficiatis, si post sex mentes a die adeptæ pos-
sionis sui Beneficii computandos, non
recitant horas Canonicas *pag.* 103, & *seqq.*
§. Revera.
- Præter quam graviter peccant, si præfinito
tempore omittant recitationem, absque
legitimo impedimento *pag.* 109. *§. In-
dictam*.
- Reliqua vid. *Beneficiati*.
- Pœna suspensionis**. Vid. *Suspensionis pœna*.
- Pœnitentiæ Sacramenti** in administratione ve-
titum est quidquam percipere *pag.* 35, &
seqq. *§. In taxa*.
- Pontificalium functionum** peractio expleri de-
bet in Cathedrali, nisi excuset aliqua ra-
tionabilis causa, *pag.* 155. *§. Ad ter-
tium*.
- Quando duæ Cathedrales sint, ad evi-
tanda jurgia inter utramque Ecclesiam, ex-
pelit, ut modo in una, modo in altera
habeatur *pag.* 157. *§. Susinet*.
- Maxime si ex consuetudine invecita fue-
rit prædicta alternativa, quæ tunc servan-
da est, non ex decencia, sed ex iustitia
pag. 155. & *seqq.* *§. Sed*.
- Sin autem duæ sint Cathedrales unitæ,
tunc distingui oportet, aut unio est subje-
ctiva, & tunc Episcopus peragere debet in
Cathedrali, ubi facta fuerit unio *pag.* 151.
§. Verum.
- Aut æque principaliter sunt unitæ, &
tunc explere valet in alterutra, quam ma-
luerit *ibid.*
- Pontifici**, nulloque alio Judici, est reservata
concessio Beneficii restitutionis in in inte-
grum advertus lapsum quinquennii, tam-
quam extraordinarii remedii *pag.* 166.
§. Decursu.
- Reliqua vid. *Restitutio in integrum*.
- Pontifici** si innotuisset quod recitatum fuit in
supplicatione, vel non concessisset gratiam
vel

- vel denegasset *pa.139. §. Ad primum, & pag.152. §. Ad ut.*
- Ideoque Pontificia gratia laborare dicitur vitio subreptionis *ibid.*
- Solummodo ipsi est reservatum erigere Ecclesias in Collegiatis *pag. 43. §. Pergrunt, & pag.150. §. Videndum.*
- Pontificia gratia. Vid. *Gratia pontificia.*
- Pontificium rescriptum. Vid. *Rescriptum pontificium.*
- Populi egestas, ob quam non valet præbere alimenta Cappellano Curato, est causa sufficiens Translationum *pag.40. & seqq. §. Præoculis.*
- Reliqua vid. sub. verb. *Translationes.*
- Populi in levamen concedi debet translatio simplex jurium Parochialium *pag. 40., & seqq. §. Præoculis.*
- Possessio Beneficiorum. Vid. *Beneficiorum possessio.*
- Possessio effectiva novæ dignitatis facit, de jure communi, amittere Cappellano Cappellaniam *pag. 23., & seqq. §. Quo posito.*
- Reliqua vid. sub. verb. *Cappellania.*
- Possidens bona Beneficij, subire tenetur onera omnia isdem inherencia *pag.5., & seqq. §. Contentit.*
- Possidentes Beneficia, licet simplicia, in Parochialibus Ecclesiis tenentur ad expensas pro illarum restauratione, & reparatione *pag.179. §. Ex hac.*
- Detractis prius necessariis ad propriam sustentationem *ibid. §. sustinet.*
- Reliqua vid. sub. verb. *Parochialis Ecclesia.*
- Potentia minantis. Vid. *Minantis potentia.*
- Præbendæ. Vid. *Dignitates Ecclesiasticæ.*
- Præbendarum fructus ab illis distributionum sæceni ceperunt statim ac divisi, & assignati fuere redditus unicuique Beneficio *pag.199. §. Cum.*
- Reliqua vid. sub.verb. *Beneficia.*
- Præbendarum redditus, quoties exigui sint, reducuntur ad dies festos de præcepto tantum applicationes Missarum Conventualium *pag.149. §. Dubitatum.*
- Præbendati satisfacere debent Tridentino præcepto *sess.24. cap.12. de refor. pag.53. §. In relatione.*
- Re iqua vid. *Dignitates Ecclesiasticæ.*
- Tenentur persolvere horas Canonicas post sex menses ab adepta possessione computandos *pag. 103. & seqq. §. Virguit, & §. Revera.*
- Reliqua vid. *Beneficiari.*
- Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum septies in die præstare debent servitium, juxta septem horas Canonicas *pag. 119. §. In Capto.*
- Vid. *Horæ Canonicæ.*
- Nequeunt illi ultra tres menses ab Ecclesia abesse vigore cujuscumque Statuti, *Levi.21.*
- vel consuetudinis *ibid.*
- Exceptis constitutionibus illius Ecclesiæ, quæ longius servitii tempus requirunt *ibid.*
- Opinio nonnullorum Doctorum, quæ inolevit, posse vigore inmemorabilis consuetudinis a choro vacare ultra tres menses, a Sacra Congregatione semper reprobata fuit *ibid., & seqq. §. Quamvis.*
- Quæ desuper declaravit, dictam adversantem opinionem intelligentiam esse de consuetudine interveniendi per hebdomadas, cum hoc tamen onere, ut per novem anni Menses Capitulares interviant Choro *ibid., & seqq.*
- Adeout non aliter a Sacra Congregatione concedatur privilegium hoc trimestris vacationis, nisi sub exceptione temporum Adventus, & Quadragesimæ, alinque intra annum solemnitatibus *pag. 120. §. Ut unum sem.*
- Concurrente verò tenuitate reddituum, indulgit aliquando Capitularibus, ut per dimidiam eorum partem alteris hebdomadis interviant Choro *ibid., & seqq. §. Quamdoque, & §. Et.*
- Præcepto Tridentini *sess.24. cap.12. de refor. satisfacere debet Proventus ac Beneficio, vel Præbenda in Cathedrali Ecclesia pag. 53. §. In relatione.*
- Præceptum faciendi aliquid, quando fertur cum suspensionis poena ipso facto incurrenda per transgressores, si particulare sit, & uni Personæ directum, seu universæ, & universam Communitatem, vel Universitatem respiciat, si juridice fertur, requirit solemnitates *pag. 145. §. Ad primum & pag.145. §. Innocentius §. Item, & §. Verum.*
- Reliqua vid. sub. verb. *Suspensionis poena.*
- Præceptum Paschale. Vid. *Paschale præceptum.*
- Prædilectio Testatoris erga Ecclesiam, & Populi commòdum ó. ita commutationi voluntatis ipsius *pag.111. §. Qui.*
- Sicuti etiam translationi Missarum de una ad aliam Ecclesiam *pag. 113. §. Quamvis.*
- Idque obtinet, nè ejus voluntas subvertatur, neve Ecclesiæ prædilectæ immuetur cultus *ibid.*
- Præminentia supra Parochis, alisque de Clero Seculari gaudent Canonici Collegiata insignis *pag.194. §. Aditi.*
- In iunctionibus etiam ecclesiasticis, quamvis interveniant non collegialiter uniti *ibid. §. Qui.*
- In Synodo quoque, ubi post Capitulum Cathedralis, & post Abbates locum habere debent, servata antiquitate, & majoritate inter Collegiatas Civitatis *pag. 195. §. Beneficiarius.*
- Præjudicium illatum Tertio ab unione facta

- sine vocatione, & consensu illius, reddit eam irritam, & prorsus invalidam *pag. 26. §. Uterius.*
- Reliqua vid. sub. verb. *Unio* s.
- Præmiu nullum reportare nequit Administratores ex opera sua *pag. 102. §. Exemplum.*
- Prænominatione Episcopatus duarum Ecclesiarum, quæ invicem æque principaliter sunt unitæ, debetur digniori *pag. 158. §. agitur.*
- In actibus vero ab Episcopis in Dicecesi exercendis prænominari debet Ecclesia illa, ad quam actus diriguntur *ibid. §. Hac in re.*
- Præscriptionem cum acquiescentia importantes actus consequitivi requiruntur ad inducendam consuetudinem in actibus facultativis, non simplex observantia *pag. 157. & seqq. §. Suffinet.*
- Præsens habetur Canonicus, etiam si absens ab Ecclesia sit ob urgentem necessitatem, ita ut distributiones tam ordinarias, quam extraordinarias faciat suas *pag. 100. §. Ad casum.*
- Vid. *Canonicus.*
- Præsul. Vid. *Episcopus.*
- Præsumptiones, & exteriora signa, per quæ admittitur probatio causæ honestæ, cui alligata sit simulatio ad probandam nullitatem Professionis ex defectu interioris consensus, debent esse graves, univoce, & ex omni parte completæ *pag. 168. §. Quamvis.*
- Presbyter homicida, quamvis voluntarius non fuerit, attamen a gravi culpa excusari non valet *pag. 104. §. In hac vero.*
- Vid. *Homicidium.*
- Presbyteri defectus, qui Sacrum celebret pro solita elemosyna, est causa sufficiens tum reductionis Missarum tum augmenti illius ultramanualis *pag. 43. §. Erut, & pag. 88. & seqq. §. At vero.*
- Reliqua vid. sub. verb. *Missarum reductio.*
- Principium absentia Clericorum minorum ab Ecclesia ortum habuit a defectu eorundem adscriptionis *pag. 103. §. Viguit, & §. Revera.*
- Interessentia vero in solos Clericos majores, & in Beneficiatos coercita, ab eodem defectu suam trahit originem *ibid.*
- Reliqua vid. *Clerici.*
- Privationem tituli inducit inadimplementum residentia continuæ, sive præcisæ *pag. 125. & seqq. §. In.*
- Privilegia plurimum Regularium circa ordinationes, eorumque variationes, & præsentaneam observantiam videri possunt a *pag. 67. §. Verum ad pag. 70. §. Hei, & pag. 96. §. Sacra Congregatio.*
- Privilegiis naturalium Civium frui nequit receptus ad civilitatem aliquam, etiam si pro originario illius loci habeatur, nisi probet
- ex privilegio morare, & domicilium habere in ipsa Civitate cum onerum supportatione *pag. 13. & seqq. §. Maxime.*
- Immo hoc in casu tanquam peregrinus, & alienigena recensetur *ibid.*
- Privilegium retinendi fenestram, seu, ut vulgo dicitur, *supra populum* in Ecclesiis per mortem Indultarii expiratum, extenditur aliquando ad heredes Compatroni, cum onere tamen iidem inuncto aliquam præstanti summam in subsidium Ecclesie *pag. 85. §. Sacra Congregatio.*
- Reliqua vid. *Fenestrarum aperiitio.*
- Privilegium vacandi a Choro ultra tres menses non conceditur a Sacra Congregatione nedum vigore cuiuscumque Statuti, vel consuetudinis *pag. 119. §. In capite.*
- Exceptis constitutionibus illius Ecclesie, quæ longius servitii tempus requirunt *ibid.*
- Dum opinio nonnullorum Doctorum, quæ inolevit, posse vigore immemorabilis consuetudinis a Choro vacare ultra tres menses, a Sacra Congregatione semper reprobata fuit *ibid. & seqq. §. Quamvis.*
- Unde in concessione semper excipit tempora Adventus, Quadragesimæ, aliisque infra annum solemnibus *pag. 120. §. Ut autem.*
- Privilegium, vel dispensatio recipiendi Sacros Ordines extra tempus a iure præfixum, indultum est aliquibus Regularibus *pag. 60. §. Caterum.*
- Iusta concurrente causa, etiam non Regularibus conceditur *ibid. & seqq.*
- At cum conditione, nempe, ut habeatur Ordinatio diebus festis, & cum aliquo interstitio ab Episcopo definiendo *ibid. & seqq.*
- Probatio non quævis admittitur ad probandam nullitatem Professionis religiose ex defectu interioris consensus, nisi alicui causæ sit alligata, etiam si simulatio probetur *pag. 168. §. Quamvis.*
- Reliqua vid. sub. verb. *Professio religiosa.*
- Procuracionem distinctam ab ea, quæ pro visitatione percipi solet post taxam Innocentianam, exigere nequit Episcopus ministrans per Dicecesim Sacramentum Confirmationis *pag. 36. & seqq. §. Verum.*
- Quia sublata fuit omnis contraria consuetudo *ibid.*
- Reliqua vid. sub. verb. *Episcopus.*
- Professio per vim, & metum eimilla nulla est, licet accedat voluntas *pag. 168. §. Sane.*
- Quia hoc casu, quamvis adsit voluntas, attamen sicuti coacta, libera & spontanea dici nequit, ideoque non sufficit ad valide profutendum *ibid.*
- Coactio prædicta, & metus gravis esse debet, quod cadit in constantem Virum *ibid.*
- Ad quem dignoscendum an vere fuisset, vel

vel non, arbitrio Judicis relinquatur discernendum *ibid.*

Facilius tamen præsumitur in fœmina ob imbecillitatem sexus, quam in masculo *ibid.*

Verificato gravi metu, restitutio in integrum conceditur, sicuti eo concludenter non probato, denegatur *ibid.*, & *seqq.* §. *Tota.*

Ut omnino dici possit, an metus fuisset gravis, & cadens in constantem Virum concurrerere debet potentia minantis idonei ad exequendas illatas minas, impotentia patientis ad eas evitandas, & minæ revera fuissent graves *pag. 169. §. Videndum.*

Professio religiosa sine interiori consensu, vel voluntate profitentis, hoc est fidei & simulate emissâ, pro nulla habetur, etiam si vi metuque non impellentibus *pag. 167. §. Sustinent.*

Ita ut ad observanda vota obstringi nequeat sic Professus *ibid.*

Ratio est, quia obligatio oritur ex voluntate, sicuti ista obligandi deficit, ita deficit obligatio ipsa *ibid.*

Quod habet locum tam in interno foro, quam in externo *ibid.*

Nec Ecclesia supplere valet defectum consensu *ibid.*

Quæ omnia intellige, nisi per hypocrisim facta fuerit Professio, ob quam in poenam reatus manere debet in Religione *ibid.* & *seqq.* §. *advertunt.*

Adverte tamen, nullitatem Professionis examinari nequit, nisi infra quinquennium *pag. 166. §. Conclitum.*

Quo tempore elapso, & non reclamante, audiri amplius non debet, nisi cum beneficio restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii *ibid.* §. *Decursu.*

Vid. *Restitutio in integrum.*

Ad nullitatem sustinendam ex defectu interioris Consensus, non admittitur quævis probatio, nisi alicui causæ alligata, etiam si simulatio probetur *pag. 168. §. Quamvis.*

Alicui causæ si alligata sit simulatio, inquirei dein debet an honesta sit, vel non *ibid.*

Cum inhonesta deprehendatur rejicitur, sin autem honesta, tunc admittitur ad probandum defectum interioris consensus per exteriora signa, & præsumptiones, quæ tamen sint graves, univocæ, & ex omni parte completæ *ibid.*

Professionem Fidei publicam emittere, & juramento confirmare debent obrinentes dignitates Ecclesiasticas tam cum Animarum cura, quam simplices, *pag. 54. §. Vetusissima, & §. Hinc.*

In manibus Episcopi, vel coram ejus Vicario Generali, seu Officiali *ibid.* §. *Hinc.*

Tom. LI.

In Metropolitanis, & Cathedralibus id facere tenentur etiam in Capitulo *ibid.*

Sed intra duorum mensium tempus a die adeptæ possessionis *pag. 56. §. Hæc.*

Sin minus, amittunt fructus ex præcepto Tridentini *ibid.*

Non autem illos decurfos primo bimestri, nec distributiones quotidianas *ibid.*, & *pag. 57. §. De tempore.*

Ex post emissâ, non suffragatur ad recuperandos fructus præteritos, sed tantum ad lucrandos futuros *pag. 57. §. Nec.*

Quos præteritos condonare non valet Episcopus *ibid.*

Unde negligentes ad Fidei professionem præstandam intra Statutum tempus, vel minus rectè illam explentes recurrere debent ad Sacram Congregationem pro facultate illam vel emittendi, vel renovandi *ibid.*

Quibus recurrentibus solet Sacra Congregatio facultatem prædictam impertire, necnon fructus indebitè, sed bona fide perceptos condonare, sub onere aliquid elargiendi pauperibus *ibid.*, & *seqq.*

Reliqua vid. *Dignitates Ecclesiasticæ.*

Eandem elicere tenentur in aliquibus locis etiam ii, qui investituram recipiunt per verbalem possessionem *pag. 56. §. Nec est.*

Idque, ante traditionem signi, vel impositionem Byreti *ibid.*

Reliqua vid. sub verb. *Beneficiorum possessio.*

Professus nullitèr. Vid. *Religiosus.*

Promotio simpliciter Cappellani in novam Dignitatem, de jure communi, non facit ei Cappellaniam amittere *pag. 23.*, & *seqq.* §. *Et altera.*

Reliqua vid. sub verb. *Cappellania.*

Ad Ordinem Sacrum habetur pro invalida, si cum coactione, seu vi præcisâ, & absoluta facta fuerit *pag. 51. §. Animadvertendum.*

Reliqua vid. sub verb. *Ordinis Sacri collatio.*

Regularium ad Ordines fieri potest juxta nonnullos Doctores ab Episcopo, quem ipsi maluerint, Diocæsano vacante *pag. 65. §. Futur.*

Reliqua vid. *Regulares.*

Pro toto facilius, quam promovendo conceditur dispensatio ab irregularitate *pag. 104. §. Mitius.*

Vid. *Homicidium.*

Promotus ad Ordinem Sacrum coactione, seu vi præcisâ, & absoluta est invalidè ordinatus *pag. 51. §. Animadvertendum.*

Sicuti non est impressus in eo character *ibid.*

Ideoque non tenetur servare legem continentiam *ibid.*

Sin autem promotus fuerit coactione

contionali, & causativoz, tunc imprimitur character ibid.

An teneatur hoc casu servare legem continentix, quæstio fuit antiqua *ibid* §. *Quæstio*.

Sed sicuti prædicta coactio præbet justam causam dispensandi, ideo semper consultum fuit taliter Ordinato, ut dispensationem peteret a Summo Pontifice *ibid*.

De qua dispensatione plura exempla sunt allata *ibid*. §. *Revera*.

Dummodo agatur de metu, seu coactione gravi, & cadente in constantem Virum, non autem de levi *pag. 52. §. Hunc*.

Pro Populo Missa applicari, & celebrari debet etiam iis festis diebus, in quibus Fideles auditio Sacro, ex Apostolica dispensatione, vacare possunt ab operibus servilibus *pag. 62. §. Ponderande*.

Proprix vitæ ad sustentationem necessaria deducere prius debent Beneficia, licet simplicia, possidentes in Parochiali Ecclesia, antequam ad reparationem, & restaurationem sint adstricti *pag. 179. §. Ex hac, & §. Sustinet*.

Reliqua vid. sub verb. *Parochialis Ecclesia*.

Redditus sufficientes habere debent Parochi *pag. 183. §. Ex bisce*.

Reliqua vid. *Parochialium Ecclesiarum redditus*.

Prospectus omnis prohibetur in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata *pag. 84. & seqq. §. Materiam*.

Reliqua vid. sub verb. *Servitus*.

Proventibus, & ex fructibus Ecclesiæ Parochialis quomodocumque spectantibus, fieri debet reparatio, sive restauratio ipsius *pag. 178, & seqq. §. In capite. & pag. 190, & seqq. §. De translatione*.

Reliqua vid. *Parochialis Ecclesia*.

Provisi de Beneficiis, licet simplicibus, in Parochiali Ecclesia, tenentur supplere expensas pro reparatione, seu restauratione ipsius *pag. 179. §. Ex hac*.

Dummodo ex illis prius deducantur necessaria ad propriam sustentationem *ibid. §. Sustinet*.

Reliqua vid. sub verb. *Parochialis Ecclesia*.

Provisio Cappellanix, facta ad instar simplicis Beneficii, dicitur Cappellania residentialis causativa *pag. 126. §. In*.

Provisus de Beneficio eidem collato ab Episcopo, & ab eo acceptato, statim habet jus in ipso, etiam ante possessionem *pag. 56. §. Ponderandum*.

Provisus de Beneficio, vel præbenda in Cathedrali Ecclesia debet satisfacere præcepto Tridentini sess. 24. cap. 12. de reform. *pag. 53 §. In relatione*.

De dignitatibus Ecclesiasticis tam curarum Animarum, quam absque ea, confirmare

debet juramento Fidem Catholicam, quam profiteatur, coram Episcopo, vel Vicario Generali *pag. 54. §. Vetusissima. & §. Hunc*.

De Canonicatibus, & dignitatibus in Cathedralibus, non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, seu Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere tenentur *ibid. §. Hunc*.

Reliqua vid. *Dignitates Ecclesiasticæ*.

Q

Quadragesima per annos continuos, & laudabiliter Ecclesiam intervientibus conceditur remuneratio, quæ idem est ac jubilationis indultum *pag. 171. §. Nullum*.

Reliqua vid. *Jubilatio*.

Quadrimestre Patronis laicis concessio, lapsa, nec nominato alio ad trames fundationis, a cujus lege deviarit in prima nominatione Patronus, devolvitur ad Superiorem jus nominandi *pag. 14. §. Multoque*.

Reliqua vid. *Patronus*.

Quantam sint differentix, & diversitates inter coactiones, seu vires. Vid. *Coactio, seu vis*.

Quatuor Temporum Sabbathis addicta fuit collatio Sacrorum Ordinum post Pontificatum Divi Leonis Magni *pag. 59. §. Verum, & pag. 60. §. Advertunt*.

Reliqua vid. *Ordinatio Sacra*.

Quid minimum percipere in administratione Sacramentorum est prohibitum *pag. 34. & seqq. §. Cautum, & pag. 35. §. Loquendo*.

Quinquagesima non minori, nec majori centum in annua summa reperitur taxata Congrua, quæ debetur Parochis, seu Vicariis perpetuis in titulum habentibus plures Animarum curas *pag. 185. §. De Parochorum*.

Reliqua vid. *Congrua*.

Quinquennio a die Professionis computando, elapso, audiri amplius requirit Religiosus vel nulliter professus, vel sine licentia e Religione discedere cupiens *pag. 166. §. Concilium*.

Etiam si allegaret postmodum a metu continuo fuisse detentum *ibid*.

Sed adversus eum reportare debet extraordinarium remedium, nempe restitutionem in integrum, quæ a solo Pontifice conceditur *ibid. §. Decursu*.

Quisque quod clarè protestatus est, indignum deum est, ut proprio testimonio infirmeret *pag. 163. §. Quamvis*.

Quod vix fieri dicitur, fieri tamen sine dubio potest *pag. 92. §. In capite*.

Quotidianæ distributiones. Vid. *Distributiones quotidianæ*.

R

Ratihabitio, quæ procedit ex actibus exercitiis, excludere valet quæcumque metum etiam gravem, & cadentem inconstantem Virum pag. 52. §. *Ponderandum*.

Et per consequens dispensationem a lege continentis observanda ab ordinato cum prædicto metu *ibid.*

Rationabilis causa Vid. *Causa Rationabilis*.

Ratione decentiæ, & commoditatis novæ Parochialis concedi debet simplex translatio jurium Parochialium pag. 40. §. *Præoculis*.

Realis possessio. Vid. sub verb. *Beneficiorum possessio*.

Rebus in dubiis observantia est interpretationum regina pag. 88. §. *Hi etiam*.

Receptus quis ad Civilitatem aliquam, licet pro Originario illius loci habeatur, aramen de naturalium Civium privilegiiis frui nequit, nisi probeatur ex privilegio morare, & domicilium habere in ipsa Civitate acquisita, cum onerum supportatione pag. 13. §. *Maximè*.

Si duo isthæ deficiant, non obstante receptione ad civilitatem, tamquam peregrinus, & alienigena recensetur *ibid.*

Recipiendi jus oblationes. Vid. *Oblationes*.

Recitationi horarum Canonicarum præcis Ecclesiæ Sæculis omnes Clerici adstringebantur tum minores, tum majores pag. 108. §. *Nulla sanè*.

Reliqua vid. *Clerici*.

